





ARTIS MEDICÆ
PRINCIPES.

TOMUS II.


ARTIS MEDICÆ PRINCIPES

HIPPOCRATES, ARETÆUS, ALEXANDER, AURELIANUS, CELSUS, RHAZEUS.

RECENSUIT, PRÆFATUS EST

ALBERTUS DE HALLER.

TOMUS II.




LAUSANNÆ,
Sumptibus FRANC. GRASSET & SOCIOR.

M. D. CC. LXX.

TABULA
TOMI SECUNDI.



HIPPO-



HIPPOCRATIS
LIBER DE
CORPORUM RESECTIONE.

PRÆFATIO AD LIBRUM DE ANATOME.

Brevis libellus, ad cor pertinens, hepar, alia abdominis viſcera: vera omnia, & bona, & ex homine ſumta, ut ex quinque pulmonis lobis, & ex menſura inteſtini conjicias. MERCURIALIS *ultimo loco reponit.*

ARteria ex utraque faucium parte exortum faciens, in ſummitatem pulmonis deſinit, circulis compoſita conſimilibus, rotundis, in ſuperficie ſe mutuo contingentibus. Ipſe autem pulmo teſtudinem coadimplet, in ſiniſtram converſus, quinque apices habens, quos lobos, & ſummitates vocant, cinereo colore præditus, notis cavernoſis compunctus, naturaque antroſus exiſtens. Ad medium vero ipſius cor ſitum eſt rotundius, ac oblongius, quam in omnibus ani-

malibus. A corde vero ad hepar multa cartilaginosa arteria procedit, & cum ipsa vena magna appellata, per quam totum corpus nutritur. Hepar autem similitudinem quidem cum omnibus aliis habet, verum sanguinolentius, quam alia existit, apices habens duos, quos portas appellant, in dextris locis sitas. Ab hoc vero obliqua vena inferne ad renes tendit. Renes autem consimiles colore, malorum speciem præ se ferunt. Ab his canales obliqui, ac ferme triangulares, in summum vesicæ apicem tendunt. Vesica autem tota nervosa est, magnaque, ac late se extendens capacitas intra eam a natura disposita est. Et has sex partes intus per medium corpus natura disposuit. Gula autem a lingua principium faciens, in ventrem desinit, quam sane græci etiam œsophagum, & stomachum, id est os, ventris significanter appellant. Cæterum a spina retro hepar, septum transversum productum est. Ex latere vero notho, sinistro videlicet, lien initio sumpto extentus est ad humani vestigii similitudinem. Ventriculus autem hepati adjacens juxta sinistram partem, totus quidem est nervosus. A ventriculo vero extat intestinum ventri consimile, longum cubitorum non minus duodecim, pampini formiter in finibus involutum, quod aliqui colum vocant, per quod alimenti delatio contingit. A colo autem situm est rectum, ac princeps intestinum postremum, carnem copiosam habens, & in summum anum desinens. Reliqua porro natura ipsa ordinavit, ac disposuit.

HIPPOCRATIS
DE
CARNIBUS, SEU PRINCIPIIS LIBER.

PRÆFATIO.

Tertiæ suæ classi tribuit MERCURIALIS, *quæ deterioris ipsi est ordinis quam secunda. Acuti ingenii auctor, systema continet, in quo quantum video,* HERACLITEUM *cum Peripateticis opinionibus mistum est. Calidum immortale, & omnia intelligit. Ejus pars secessit in æthera, & una reliqua tria elementa secesserunt. In terra relictum calorem: ex ea tuniculas fuisse in putredine. Ossa ex pingui & frigido coacta esse: glutinosum in nervos venasque: frigidum a calore secutum abiisse in humores animalis. Ex ejusmodi compositione calidi, frigidi, humidi & sicci, viscera omnia nata esse, quæ auctor per singula persequitur. Cor calidissimum esse, cerebrum humidi metropolin. Anatomica monumenta non minimi momenti hic latent, fibræ lienis, membrana tympani, os cribrosum, nervi optici & oculi tunicæ & lens crystallina. Putes Herophileis temporibus scriptum, quando anatomica corporis humani cognitio hactenus adoleverat. Nam & arteriæ nomen habet, pro aorta significanda. Non vocales esse, quibus guttur præsectum.* IDEM.

ARGUMENTUM LIBRI.

De ſingularum partium principiis, generatione, & formatione; de viſus, odoratus, & auditus organis; de ſeptenarii numeri facultate in partu, morbis acutis, ulceribus, atque inflammationibus, dentiumque complemento.

CAPUT I.

Quid ſit dicturus: de calido innato: de Elementorum ſecretione, ſedibus, & qualitatibus: de partibus ex ipſis procreatis: de oſſium, nervorum, ac membranarum generatione.

EGO ad hunc uſque ſermonem communibus ſententiis utor cum aliorum, qui ante me fuerunt, tum etiam meis. Neceſſario namque eſt eum, qui hanc de arte Medica tractationem ſuſcipere velit, commune ſententiis principium ſupponere. De ſublimibus autem rebus differere mihi opus non eſt, niſi quod quantum conferunt ad hominem, & reliqua animantia quæ ſunt, & procreata ſunt, demonſtrabo: & quid anima ſit, & quid ſanitas, & quid morbus, quidque in homine pravum ac bonum, & unde moriatur. Nunc autem ipſe meam ſententiam proferam. Quod calidum vocamus, id mihi immortale eſſe videtur, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & ſcire omnia tum præſentia, tum futura. Hujus igitur plurima pars, quum omnia perturbata eſſent, in ſupernum ambitum ſeceſſit, ac ipſum mihi veteres videntur æthera no-

minasse. Altera pars inferior, terra quidem vocatur, frigidum & siccum (elementum,) multasque motiones habens; in eoque multum sane calidi inest. Tertia vero pars, medium aeris locum occupavit, calidum quid existens. Quarta (pars) terræ proximum (locum obtinet) humidissimum quid & crassissimum. Quum antea in orbem hæc circumvolverentur ac turbata essent, multa calidi pars in terra conclusa est, partim quidem magna, partim vero minor, alias etiam valde parva, sed multitudine copiosa. Et temporis successu a calido hæ partes conclusæ in ipsa terra, veluti in tunicis quibusdam, putredines pariunt. Ac longo tempore incalescens, quantum quidem ex terræ putredine pingue fuit & minimum humidi habens, id citissime exustum ac in ossa mutatum est. Quæ vero glutinosiora fuerunt, & frigidi communionem habuerunt, ea calefacta exuri non potuerunt, neque etiam humida fieri; ideo formam magis diversam ab aliis acceperunt, & nervi solidi facti sunt, cum non multum in iis frigidi inesset. At venæ frigidi multum habebant, atque hujus frigidi quod circumcirca erat glutinosissimum, a calido exassatum, membrana evasit; quod vero erat frigidum a calido superatum, dissolutum est; ideoque fluidum evasit.



CAPUT II.

De cavarum partium, ſtomachi, ventriculi, inteſtinorum, tunicarum, veſicæ & oſſium procreatione; de cerebro, cur liquari nequeat, ac de ſpinali medulla.

AD eandem autem rationem, fauces, gula, venter, & inteſtina ad podicem uſque cava facta ſunt. Frigido enim ſemper incaleſcente, quod in ejus ambitu glutinoſum erat, exaſſatum eſt, & ambiens membrana tunica evaſit. Quod vero frigidum intus erat, quoniam in ipſo neque pingue, neque glutinoſum multum inerat, colliquatum eſt, & fluidum exſtitit. Eadem quoque ratio veſicæ: frigidum multum concluſit in ejus ambitu, a calido calefactum & diſſolutum, liquidum factum eſt. In eo namque non erat pingue, neque glutinoſum. Quod vero ſuperfuit, tunica evaſit. Sed & alia, quæ cava ſunt, ad eundem habent ſe modum. Ubi enim plus glutinoſi quam pinguis erat, membrana in tunicam evaſit. Et ubi pingue ſupra glutinoſum abundavit, oſſa facta ſunt. Oſſium vero eadem eſt ratio. Ubi enim glutinoſum minime inerat, ſed pingue & frigidum abundavit, id celeriter propter pinguedinem exuſtum fuit, oſſaque duriſſima & maxime ſolida facta ſunt. Ubi vero pingue & glutinoſum ſimili portione reſpondent, hæc oſſa ſunt cavernoſa; ac de his quidem hæc videtur eſſe ratio. Frigidum quidem denſat; calidum vero diffundit; longo etiam interpoſito tempore exſiccat. Quod ſi quid pinguedinis adfuerit, citius exurit & exſiccat. Verum ubi glutinoſum cum frigido adfuerit, citra pinguedinem, exuri

non ſolet, ſed temporis ſucceſſu incaleſcens condenſatur. At vero cerebrum frigidi & glutinoſi ſedes eſt & matrix; calidum vero pinguedinis ſedes & matrix. Quod enim dum incaleſcit, primum omnium diffunditur, pingue fit. Atque idcirco cerebrum, quod minimum pinguedinis, plurimum vero glutinoſi habeat, a calido exuri nequit, ſed temporis ſpatio tunicam, membranam craſſam, accepit; circa membranam vero oſſa, ex eo quod calidum ſuperavit, & in quo pingue inerat. Medulla etiam, quæ dorſalis appellatur, a cerebro ducitur, & non in ipſa eſt pinguis, vel glutinoſi multum, quemadmodum & cerebro: eamque ob cauſam neque medullæ nomine jure donatur. Neque enim reliquorum oſſium medullæ ſimilis eſt, quum ſola membranas habeat, quas alia medulla non habet. Atque horum manifeſta ſunt indicia, quod, ſi quis nervoſa & glutinoſa, itemque alia aſſare volet, cætera quidem cito aſſentur; nervoſa tamen & glutinoſa aſſari nequeant, quum minimum pinguedinis habeant; quod vero pinguiſſimum & unctuoſum eſt, celerrime aſſatur. At vero viſcera hoc modo mihi conſtare videntur. Et de venis quidem antea a nobis dictum eſt.

CAPUT III.

De cordis ſtructura, ſitu, temperamento, & functione; de venæ cavæ, & arteriæ magnæ ortu, diſtributione, cavitatibus, ac fetum in utero alimentum trahere.

COr autem multum glutinoſi ac frigidi obtinet, quod a calido calefactum, caro dura

& viſcoſa evaſit, ipſumque membrana involutum, cavum factum eſt, non quemadmodum venæ; & ad venæ maxime cavæ caput annexum eſt. Duæ enim ſunt a corde venæ cavæ, alteri nomen quidem arteria; alteri vero vena cava eſt, juxta quam cor ſitum habet. Arteria vero calidi plus continet, quam vena cava, & ſpiritum condit ac aſſervat. Verum præter has duas venas, aliæ quoque in corpore ſunt. Maxime autem cava vena, ad quam cor ſitum eſt, ſeptum tranſverſum & ventrem totum, pervadit, & in utrumque renem alias ſcinditur, & in lumbis finditur, tumque in partes, cum in utrumque crus fertur. Sed & ſupra cor ad cervicem, partim quidem in dextram, partim etiam in ſiniſtram (tendit) tuncque ad caput adſcendit, & in tempora utraque ſcinditur. Poſſunt autem & maximæ venæ numero recenſeri; ſed ut uno verbo comprehendam, a vena cava, & ab arteria, reliquæ venæ in totum corpus diſperſæ ſunt. Sunt autem maxime cavæ, quæ ad cor, cervicem & caput tendunt; & infra cor ad coxendices uſque. Calidumque plurimum in venis & corde ineſt; eamque ob cauſam ſpiritum cor in ſe continet, quod ſit omnium, quæ in homine ſunt, membrorum calidiſſimum. Quod autem ſpiritus ſit calidus, facile eſt intelligere. Cor & venæ cavæ ſemper moventur, calidique plurimum in venis ineſt: & quia ex omnibus hominis membris cor ſit maxime calidum, eam ob cauſam ſpiritum attrahit. Id vero & aliter cognoſcere licet. Si quis ignem in domo, quum ventus non inſpirat, accendere velit, flamma modo minus, modo magis movetur. Sed & lucerna accenſa, ad eundem modum modo magis, modo minus agitatur, nullo, quem quidem ſpirare ſentiamus,

vento mota; frigidumque calido alimentum eſt. At vero puer dum in utero eſt, compreſſis labris ex matris utero ſugit, tum alimentum, tum etiam ſpiritum, qui in puero calidiſſimus eſt, ubi ſane mater reſpirat, in cor attrahit. Quin etiam hoc calidum reliquo corpori, & omnibus aliis partibus motum præbet. Quod ſi quis roget, quomodo hoc quis noſcit, quod puer in utero trahat & ſugat: hoc illi reſpondere licet. Pueri quum naſcuntur, ſtercus in inteſtinis habent, ac in lucem editi, tum homines, tum pecora celerrime ventrem exonerant. Atqui ſtercus non haberent, niſi in utero ſuxiſſent; neque utprimum puer natus eſt, ubera ſugere noſſet, niſi in utero ſuxiſſet. Ac de cordis quidem & venarum motione, ad hunc ſe res habet modum.

CAPUT IV.

De pulmonis, jecoris, ſplenis, tunicarum, articulorum, nervorum, muci, & unguium generatione.

PUlmo autem juxta cor ſic factus eſt. Quod in humido glutinoſiſſimum erat, cor calefaciens, celeriter exſiccavit, veluti ſpumam, & cavernoſum fecit, multasque in eo venulas. At venulas eam ob cauſam condidit. Quod in glutinoſo inerat frigidi, id ipſum a calido colliquatum, fluidum eſt redditum; a glutinoſo vero ipſa tunica facta eſt. Jecur vero ſic conſtitutum eſt. Humido multo cum calido concluſo, abſque glutinoſo & pingui, frigidum ſuperavit calidum, & condenſatum eſt. Certum autem id

mihi indicium eſt. Quum quis victimam jugulat, quamdiu ſanguis calidus eſt, liquidus manet; ubi vero perfrixit, concreſcit. Quod ſi quis ipſum agitet, minime concreſcit; fibræ namque frigidæ ac glutinoſæ ſunt. At lien hunc in modum conſtitutus eſt. Cum calido & glutinoſo, calidi quidem plurimum, frigidi vero minimum (remanſit) tantum ſolummodo, quantum ipſum glutinoſum cogat; ſunt autem id fibræ in liene exiſtentes, & propter has fibras ſplen mollis & fibroſus eſt. At renes hoc modo compacti ſunt. Glutinoſi parum, parumque calidi, plurimum frigidi; & ab hoc condenſatum eſt, & viſcus duriſſimum evaſit, & minime rubrum, quod non multum calidi ſimul coierit. Eadem quoque de carnibus ratio eſt; frigidum quidem carnem conſtituit, condenſavit, & fecit, glutinoſum autem in foramina abiit; in foraminibus autem, velut in magnis venis, humidum ineſt. Calidum autem in univerſo corpore eſt, plurimum vero humidi in corpore, & multum frigidi in humido ineſt, tantum autem eſt frigidi, quantum humidum condenſare queat; verum a calido ſuperatur, quare etiam ab eo diffunditur. Hæc autem humidi, quod ſit calidum, demonſtratio eſt. Si quis corpus hominis ſecare velit, ubicumque voluerit, ſanguis calidus effluet, & quamdiu quidem calidus fuerit, liquidus erit. Ubi vero, tum ab inſito, tum ab externo frigido perfrixerit, pellicula & membrana obducitur; qua detracta, ſi quis pauco tempore ſinat, aliam enatam pelliculam videbit; eamque ſi quis ſemper auferat, alia a frigido pellicula producetur. Sed hujus rei gratia plura dixi, ut oſtendam corporis ſummum aeri obverſum, a frigido & ventis ingruentibus neceſſario pelliculam contrahere. Ar-

ticuli vero ſic producti ſunt. Quum oſſa conſtituta ſunt, quæ quidem ex his pinguia fuerunt, celerrime exuſta ſunt, quemadmodum ſuperiore oratione dictum fuit. Quod autem ex his glutinoſum erat, id quum peruri nequiret, medio loco inter uſtum & exſiccatum comprehenſum, a calido in nervos, & mucum tranſiit. In mucum vero, quatenus quod ex glutinoſo liquidiſſimum erat, calefactum craſſius evaſit, quum liquidum eſſet, indeque mucus exſtitit. Ex hoc ipſo autem glutinoſo ungues producti ſunt. Quod enim in eo maxime eſt fluidum, ab oſſibus & articulis ſemper ſecedens, glutinoſum redditur, & a calido ſiccatum, arefactum foras in ungues abit.

CAPUT V.

De dentibus, venis maxillæ, oſſibus, venis meſaraïcis, pilis, ac eorum generatione.

DEntes autem poſtremi iſtam ob cauſam gignuntur. Ex capitis & maxillarum oſſibus glutinoſo incrementum accedit, & pingue quod ineſt, a calido exſiccatum exuritur, & dentes fiunt reliquis oſſibus duriores, quia nihil frigidi ineſt. Ac primi quidem dentes ex victu in utero naſcuntur, & ubi in lucem editus eſt puer, ex lacte, dum mammam ſugit. Quum vero hi exciderint, ex cibo & potu. Excidunt autem, ubi ad primi alimenti annos devenerint; quibuſdam etiam prius, ſi ex morbido alimento pullularint; plurimis vero quum ad annos ſeptem pervenerint. At qui poſtea naſcuntur, ſimul conſeneſcunt, niſi ex morbo corrumpantur. Iſtam vero

ob caufam dentes reliquis partibus pofteriores nafcuntur. In maxilla venæ funt, eæque huic offi inter omnia offa ex ventre inferiore alimentum exhibent. Offa autem, qualia quidem funt, tale dant incrementum: ut & reliqua omnia tale exhibent incrementum, qualia ipfa funt. Venæ enim ex ventre & inteftinis, in quibus cibi & potus coacervantur, ubi hi incaluerint, tenuiffimum & humidiffimum attrahunt; craffiffimum autem ifthic relictum, in inferioribus inteftinis in ftercus abit. Tenuiffimum vero venæ trahunt ex ventre & inteftinis, quæ fupra jejunum funt, ubi cibi incaluerint. Qui, quum jejunum tranfierint, in inferiora inteftina collecti, ftercus fiunt. At poftquam alimentum eo pervenerit, unumquodque eam, quam habuerat formam, cuique reddit. Irrigata namque alimento fingula incrementum accipiunt, calidum, frigidum, glutinofum, pingue, dulce, amarum, & offa, & reliqua omnia, quæ in homine infunt. Ideoque pofterius dentes producuntur. Dictum autem a me etiam eft antea, maxillas folas inter offa venas in fe fe habere, ut proinde copiofius ad ipfas alimentum, quam ad reliqua offa trahatur. Et quæ copiofius habent alimentum & uberiorem affluxum, ea tale ex fe incrementum pariunt, qualia fane ipfa funt, quamdiu homo integer crefcit. Crefcit autem ubi confpicue (adolefcere) cernitur: confpicue autem adolefcit maxime a feptennio ad decimum quartum annum. Atque eo tempore tum maximi, quum cæteri omnes dentes producuntur, poftquam exciderint hi, qui ab alimento in utero capto orti funt. Crefcit autem & ad tertium annorum feptenarium, in quo adolefcens evadit, ad quartum ufque & quintum feptenarium. Quin etiam hominibus

plerisque quarto septenario duo dentes enascuntur, qui dentes sapientiæ nominantur. Capilli autem ad hunc modum oriuntur. Ab ossibus & cerebro ejusmodi incrementum provenit, ab eo videlicet glutinoso, quod circumcirca est, in quo pinguis nihil inest, quemadmodum & nervis accidit. Si quid enim pinguis inesset, a calido exureretur. Ac fortasse mirabitur aliquis, quod etiam in axillis & pube, & reliquo corpore pili multi succrescant. Cujus rei hæc est ratio, quod ubicunque in corpore glutinosum inest, ibi pili a calore gignuntur.

CAPUT VI.

De auditu, odoratu, visu ac eorum organis, objectis, causis.

HAnc vero ob causam auditio fit. Aurium foramina ad os durum & siccum lapidi simile perveniunt, huic autem ossi cavitas fistulata inest. Soni autem in durum impingunt, & os cavum per ipsum durum resonat. Pellicula vero in ipso meatu auditorio juxta os durum tenuis est, ut aranei tela, cæterarum pellicularum siccissima. Quod autem siccissimum est, id maxime resonare, multa signa sunt. Cum ergo plurimum resonuerit, tunc maxime audimus. Etsi nonnulli naturæ historiam scriptis mandantes, cerebrum ipsum sonum edere dixerunt; quod tamen nullo modo fieri potest. Cerebrum enim ipsum humidum est, & ipsum ambit membrana humida & crassa, eamque ossa circumdant. Nullum igitur humidum resonat, sed quæ sicca sunt. Quæ vero resonant, auditionem faciunt. Olfacit

autem cerebrum, quum humidum ſit, aridorum odorem cum aere per cartilaginoſa corpora, quæ ſicca ſunt, attrahens. Cerebrum enim ad naſi cavitatem progreditur, hacque parte nullum ei os obtenditur, ſed mollis cartilago, ſpongiæ inſtar, quæ neque caro, neque os eſt. Et quum quidem naſi cavitas ſicca fuerit, ipſemetipſo exactius arida olfacit. Non enim aquam olfacit, nam cerebro humidior eſt, niſi computruerit. Putrefacta namque aqua craſſior evadit, & reliqua omnia. At quum nares humidæ fuerint, olfacere nequit; non enim ad ſe cerebrum ipſum aerem attrahit. Ea quoque ratione quum cerebrum ipſum eliquet plurimam materiam ex ſe in palatum, & fauces, & pulmonem, reliquumque ventrem; id percipiunt homines, & ex capite deſtillare dicunt, ſed & in reliquum corpus deſtillat, idque cum calore quodam contingit. Viſionem autem obit eas ob res. A cerebri membrana vena ad utrumque oculum per os deſcendit. Per has duas venas ex glutinoſo, quod tenuiſſimum eſt, ex cerebro percolatur, atque ideo ipſam circum ſe tunicam quæ aeri obverſatur, & ad quam venti ingruunt, talem facit, quale eſt ipſum oculi pellucidum, eadem plane ratione quam de cæteris diximus. Sunt autem multæ hæ tunicæ; quæ oculi pellucido prætenduntur, ipſique ſunt ſimiles. In hoc enim pellucido lumen & ſplendida cuncta lucem reflectunt. Per hoc igitur, in quo lumen reflectitur, viſio fit. Quod vero minime eſt ſplendidum, neque relucet, per illud viſio non fit. Reliquum circum oculos album, caro eſt. Pupilla autem oculi nominata, nigra ob id apparet, quod in profundo collocata ſit, & tunicæ eam ambientes nigræ exiſtant. Tunicam vero appellamus id, quod velut pellicula ineſt,

quæ neutiquam conſpectui nigra apparet, ſed alba, & pellucida; oculi vero humidum glutinoſum eſt. Sæpe enim conſpeximus oculo rupto, prodiiſſe humorem glutinoſum, qui quamdiu calidus fuerit, liquidus eſt; ubi vero perfrixit, ſiccus evadit, veluti thus pellucidus: quod in hominibus & feris ad eundem modum ſe habet. At oculo infeſtum eſt, quicquid in eum inciderit, & venti irruentes, & quæcunque ſplendidiora quam ipſe eſt. Idque quis forte dijudicet fieri, quod ſuperficiei lævitas in cauſa ſit; quemadmodum os, & lingua, & reliquus venter, humida ſunt.

CAPUT VII.

De ſermonis formatione, facultate, organis, cauſis; & quare ii, quibus guttur abruptum, ſonum ſeu vocem nullam edere poſſint.

SErmonis autem cauſa eſt, quod totum corpus ſpiritum intro trahit, eumque plurimum in cavitates ſibi ipſi abducit. Is vero per inane foras pulſus, ſtrepitum facit. Caput enim reſonat; lingua vero occurrens articulat, inque faucibus obruens & impingens ad palatum ac dentes, claritatem ejus facit. Quod niſi lingua ſuo appulſu ſermonem formaret, non diſtincte homo loqueretur, ſed ſingula unam natura vocem ederent. Cujus rei indicio ſunt muti ab ortu, qui diſtincte loqui nequeunt, ſed ſolam vocem edunt. Neque vero ſi quis ſpiritu foras emiſſo loqui conetur, id facere queat; quod hinc conſtat. Qui homines magnam volunt vocem edere, ii attractum

externum ſpiritum foras propellunt, & quamdiu perdurat ſpiritus, magnam vocem fundunt: quæ poſtea deficit. Sed & citharœdi, quum ipſos magna voce uti opus ſit, ſpiritum intro ſummopere attrahunt, & plurimum emittunt, ac vociferantur, vocemque, quamdiu ſpiritus ſuffecerit, magnam edunt. Ubi vero ſpiritus defecerit, deſinunt. Ex quibus manifeſtum eſt, ſpiritum vocem edere. Vidi præterea quoſdam, qui, cum ſeipſos jugulaſſent, guttur in totum ſibi præſecuerant. Atque hi vivunt quidem, verum nullam vocem edunt, niſi quis guttur conſtringat, ac tum ii vocem edunt. Quin & hoc patet, quod præſecto ſummo gutture, ſpiritus in cavitates internas adtrahi nequit; ſed per præſectam partem foras effertur. Ita ſane de voce ac ſermone ſimili modo ſe res habet.

CAPUT VIII.

Vitam hominis ſeptem dierum eſſe; de conceptionis affectibus; de lethali jejunio; ac de fetu vitali, & non vitali.

HOminis autem vita ſeptem dierum eſt. Ac primum quidem, ubi genitura ad uteros pervenerit, habet intra ſeptem dies, quæcunque ex corpore ei accedere neceſſe eſt. Id vero quomodo noverim, fortaſſe quis mirabitur; verum multa ad hunc modum vidi. Meretrices publicæ, quæ in ſe ipſis ſæpius id expertæ ſunt, ubi cum viro congreſſæ fuere, noſcunt, quando conceperint, moxque conceptum intra ſe perdunt. Quo poſtea jam perdito, veluti caro excidit. Eam carnem in aquam conjectam ſi accuratius inſpexeris,

ſpexeris, in aqua invenies, membra omnia habere deprehendas, & oculorum loca, & aures, & brachia. Quin & manuum digiti, & crura, & pedes, & pedum digiti, & pudendum, & reliquum totum corpus in conſpicuo eſt. Liquido autem conſtat harum rerum peritis, quod mulier, ubi concepit, ſtatim inhorreſcit, & incaleſcit, ac dentibus ſtridet, & (coxæ) articulum, reliquumque corpus convulſio prehendit, & uterum torpor, idque iis, quæ puræ ſunt, accidit. Quæ vero craſſæ & mucoſæ iſtud experiuntur, earum mulierem pleræque hoc non ſentiunt. Ac ſane quantum illæ mihi indicarunt, tantum etiam me ſcire profiteor. Quod vero hominis vita ſeptem dierum ſit, hoc quoque manifeſtum eſt. Plerique quidem ex his, qui ſeptem diebus nihil edere aut bibere volunt, in his moriuntur; quod ſi qui eos ſuperaverint, nihilominus tamen moriuntur. Nonnulli etiam ne per inediam a vita diſcederent, ſed ut comederent & biberent, perſuaſi ſunt, verum venter non amplius admittit. Jejunum enim inteſtinum in his diebus cohæreſcit, quin etiam illi moriuntur. Quin & illud ipſum ex his conjicere licet. Puer ſeptimo menſe natus, certa ratione in lucem prodiit & vitalis eſt, quum is rationem & numerum exacte ad hebdomadas reſpondentem habeat. Octimeſtris autem natus, nullus unquam vixit. Novem autem menſium & decem dierum fœtus editur, & vitalis eſt, numerumque ad hebdomadas exacte reſpondentem habet. Quatuor nempe decades hebdomadum, dies ſunt ducenti & octoginta. Hebdomadum autem decuriam dies ſeptuaginta conſtituunt. At ſeptimo menſe editus partus tres hebdomadum decurias obtinet, & ad unamquamque decuriam dies concurrunt ſeptua-

ginta. Tres itaque hebdomadum decuriæ, in totum dies ducentos decem faciunt.

CAPUT IX.

Morbos acutissimos septimo die judicari, ut & magna ulcera, & inflammationes sedari; & septimo anno dentes absolvi.

SIc & morbi acutissimi hominibus contingunt, voluentibus diebus, quibus judicantur, & moriuntur, aut convalescunt. Et tertianæ diebus undecim, una & dimidia hebdomade. Quartanæ duabus hebdomadibus. Quintanæ duodeviginti diebus, hoc est, duabus hebdomadibus & dimidia. In cæteris vero morbis, quoto tempore homines sani evadent, certa sententia pronunciari non potest. Ad eundem autem modum, ulcera quoque magna in capite [& reliquo corpore, quarto die inflammatione tentari incipiunt, septimo vero inflammatio sedatur, aut decimo quarto, aut duodevigesimo. Quod si quis diligentem curam adhibeat, neque ulcera capitis magna hoc tempore sedentur, homines morientur. Ac forte quis harum rerum imperitus, mirabitur fœtum septimo mense nasci; atque id quidem certe, & sæpius vidi. Quod si quis volet, id facile deprehendet, obstetrices, quæ parturientibus præsunt adeundo & percontando. Est vero & aliud argumentum. Pueri sæpius septimo anno exacto dentes explent. Et septem annos pleno & justo numero exacte quinquaginta & trecentæ hebdomades conficiunt. Quod autem horum singula septenariis a natura regantur, alias declarabo.

HIPPOCRATIS
DE OSSIUM NATURA LIBER.

PRÆFATIO.

A GALENO *pro* HIPPOCRATICO *opere habitus est*, & mochlici *nomine veteribus innotuit. Ejus pars prior titulo respondet, brevis omnino, neque nimis digna principe medico, tamen ut agnoscas recentia ossa ab auctore esse contemplata. Neque ignorarit, nervum secundum cubitum descendere, qui adlisus stuporem faciat.*

Pars posterior, quæ de venis in nuperis quibusdam editionibus audit, ænigmaticā mihi farrago videtur. Aliis enim locis illam quatuor venarum inemendabilem descriptionem tradit, quæ in aliis non genuinis operibus redit: alibi veriores venas habet, epigastricam, mammarias, venam sine pari, venam cavam, artuumque venas. Sic etiam paris vagi & nervi intercostalis veram historiam hic tradi ostendi, tamen ut vera falsis misceantur, & ipsa arteriarum a venis distinctio, atque venarum nomen sanguisluæ subtiliorem anatomen & posteriora post HEROPHILUM *nervorum inventorem, tempora exigat. Versio hic præter modum aberrat. Lienis etiam cellulosam fabricam habet: & alternam venarum (nempe micantium) repletionem & inanitionem. Hæc cæte-*

rum quatuor venarum paria MERCURIALIS *pro ſpuriis &* ARISTOTELICI *aevi ſcriptis habet. Nolui vero ſeparare & monuiſſe putavi ſufficere.*

ARGUMENTUM LIBRI.

De quarundam corporis partium natura, ſitu, & numero, ac uſu; de venis quamplurimis, earumque in corporis partes propagatione, atque progreſſu.

CAPUT I.

Oſſium enumeratio, ac partes in ventre imo, ac medio concluſæ.

OSSA manus ſeptem & viginti (numerantur) pedis quatuor & viginti; cervicis ad magnam (vertebram) uſque ſeptem; lumborum quinque; ſpinæ viginti; capitis una cum oculorum oſſibus octo: omnia unum & nonaginta, cum unguibus vero centum & undecim. Quæ vero nos ipſi ex hominis oſſibus dicimus (ſic habent). Vertebræ ſupra claviculam una cum magna, ſeptem numerantur. Ad coſtas vero (totidem) quot & coſtæ duodecim. Ad ilia exteriore parte, ubi coxendices, in lumbis quinque. Semen vero velut favus, ab utraque veſicæ parte (fertur.) Ex his autem locis venæ ab utraque ureteris parte in pudendum tendunt. Potus per fauces & gulam (larynx in pulmonem & arteriam) ab his in ſummam veſicam. Hepatis quinque lobi ſunt; fel au-

tem quarto adhærescit, quod osculum ad septum transversum, cor atque pulmones fertur. Cor membrana circumvestit. Homo intestina crassa majora, quam canis habet; appendent autem ex mesocolo: id vero ex nervis a spina sub ventre (procedentibus) renes ex nervis de spina & arteria.

CAPUT II.

Venarum ac nervorum distributio.

Cordis cognati scaturigo vena per septum transversum fertur, hepar, lienem, renes, ad coxendicem, circa suram, ad tarsum. Altera autem ex corde sub alas, claviculas, jugula, caput, nasum, frontem, juxta aures, humeros, dorsum, pectus, ventrem, per cubitum. Alia vero per alas ad cubitum, in summam manum. Nervorum exortus ab occipitio adusque spinam juxta coxendicem fertur in pudenda, in femora, pedes, tibias, & manus; quin & ad brachia; partim quidem in carnes; partim vero juxta fibulam in magnum digitum; partim etiam ex carnibus ad reliquos digitos. Quin & ad scapulas, pectus, ventrem, ossa, ligamenta. A pudendo vero juxta podicem ad coxendicis cavitatem; partim quidem supra femur; partim vero infra ad genua: deinceps ad genu extentus, ad tendinem, calcis os, pedes; alius vero ad fibulam; alii etiam ad renes.

CAPUT III.

Alia venarum, arteriarum diſtributio.

AT vero venæ ipſæ utraque ex parte bifariam maxime dividuntur; partim quidem ab ipſa utriuſque renis parte; partim vero ab altera, & in renes foraminibus ſunt perviæ. Atque cordis formam renes habent, pariterque ventriculos. Ren autem cavitate ſua ad magnas venas ſitus eſt, unde procedunt ex ipſo venæ in veſicam, qua parte potus per venas ad renes trahitur; deinde per renes aqua velut excolatur, & per ipſa inteſtina, per quæ ſimul emittitur. Spongiæ enim eſt ſimile, quod ab his ad veſicam (tendit) illicque urina a ſanguine percolatur & ſecernitur, eamque ob cauſam ſane rubra eſt. Neque enim in renes aliæ venæ feruntur, quam quæ dictæ ſunt, neque quantum ego ſentio, alius locus, ubi potus colliquetur. Venæ, quæ ad coſtas porriguntur, ſub unaquaque coſta ſunt, non ad caput, ſed inferius, & ab arteria. Igitur arteria quidem ſubtermeans in coſtas (propagines ſuas) diſtribuit. A craſſa autem vena ex corde recurrit una in ſiniſtram partem incluſa. Deinde hæc quidem per medias vertebras ad ſummas uſque coſtas incedit, non ex æquo ſua ſegmenta coſtis dextris ac ſiniſtris diſtribuens; ſed æquas quidem, ſuperne vero in dextris ſcinditur. Juxta vero claviculam utramque duæ quidem venæ ſurſum, duæ etiam ſub pectore feruntur, & partim in dextram, partim quoque in ſiniſtram propagines diſcinduntur; ad cervicem hæ quidem magis, duæ vero ad cor magis: partim quidem ad dextram, partim vero ad ſiniſtram, ex utraque parte

ad coſtas tendunt; & ab his velut quæ infra ſunt ſcinduntur, donec ei, quæ infra a corde recurrit, commiſceantur.

CAPUT IV.

Venæ cavæ diſtributio.

AT vero, quæ ſanguinem fundit, ab arteria hac ideo ſcinditur, quod hic ſublimis eſt, per cor procedens. Sed infra coſtas, quæ ſanguine fluit, & craſſa venæ eſt appellata, rurſus vertebris ſeſe tranſmittit, & illic adhæreſcit, neque amplius pendet, velut ſupra, quum per jecur fertur. Ad lumbos autem ſupra quidem eſt arteria; infra vero, quæ ſanguinem fundit, quæ de jecore per ſeptum tranſverſum ſublimis procedit, & ad cordis dextram partem ad claviculas uſque, ſimplex fertur, præterquam quantum cum ipſo corde communicat, partim quidem juxta ipſum leviter ſciſſa, partim vero cordis ventriculum penetrans. Deinde a corde in ſiniſtram ad ſpinam ſimplex demittitur, & ad ſuperiora quidem corporis ad ſummas uſque coſtas recurrit, & propagines habet a ſeipſa, juxta unamquamque coſtam, ad pectoris commiſſuram uſque, tum in dextram, tum in ſiniſtram, naturaliter protenſas, ipſiuſque rectitudo magis ad vertebram vergit, quam arteriæ extenſio, & venæ, quæ ex hepate proficiſcitur. Ad inferiorem vero cordis partem, recta ipſius extenſio magis ad vertebras eſt, quam quæ arteriæ. Altera autem juxta cor eſt, & ad inferiores ſepti tranſverſi partes ad ſpinam appenſas convertitur. Hinc vero propa-

gines in rectum ſingulæ feruntur, per oſſa & carnes ſeſe invicem trajicientes.

CAPUT V.

Quatuor paria venarum, & quas venas ſecandas partes affectæ indicent.

VEnæ autem craſſæ ſic natura comparatæ ſunt. Ex oculo juxta ſupercilium per dorſum ſecundum pulmonem, ſub pectore; altera quidem ex dextra in ſiniſtram fertur, altera vero ex ſiniſtra in dextram. Quæ quidem ex ſiniſtra (procedit,) per hepar in renem ac teſtem (deſcendit) quæ vero ex dextra in lienem, renem, & teſtem. His autem oſculum pudendum eſt; a dextra vero mamma in coxendicem ſiniſtram, & in crus (fertur,) & ex ſiniſtra in dextram. Oculus vero dexter ex ſiniſtro recipit, ad eundemque modum teſtis ſiniſter ex dextero. At venæ craſſiſſimæ hoc modo naturaliter ſe habent. Quatuor paria ſunt in corpore, & quædam ex ipſis quidem a capitis parte poſteriore per cervicem, parte externa juxta ſpinam ex utraque parte ad coxendices & crura perveniunt; deinde per tibias ad malleolos exteriores & pedes appellunt. In dorſi igitur & coxendicum doloribus, ex poplitibus, & malleolis exterioribus venæ ſectiones facere oportet. Alteræ autem venæ e capite juxta aures per cervicem, jugulares appellatæ, parte interiore ſecundum ſpinam, juxta lumbos utraque ex parte in teſtes, & femora tendunt, & poplites interiores; deinde per tibias ad malleolos & pedes interiore ex parte. Ad lumborum igitur & teſtium dolores

ex poplitibus, & malleolis interioribus venæ ſectiones facere oportet. Tertiæ venæ ex temporibus per cervicem in ſcapulas; deinde in pulmonem ſimul feruntur, perveniuntque una quidem a dextris in ſiniſtras ſub mammam, & in ſplenem & in renem. Altera vero a ſiniſtris in dextras ex pulmone ſub mammam, in jecur & in renem: hæ autem ambæ in rectum inteſtinum deſinunt. Quartæ vero venæ ex anteriore capitis parte & oculis, ſub cervicem & claviculas feruntur; deinde ex brachiorum ſuperiore parte ſub flexuras; mox per cubitos in primas palmæ partes & digitos. Poſtea rurſus ex digitis per manuum volas & cubitos ad flexuras; per brachia vero inferiore etiam ex parte ad axillas, & ex coſtis ſuperiore parte, una quidem ad lienem pervenit, altera vero ad jecur: deinde ſupra ventrem ambæ in pudendum deſinunt. Et craſſiſſimæ quidem venæ ad hunc modum a natura ſe habent. Multæ autem & cujusvis generis venæ ex ventre per corpus feruntur, per quas alimentum corpori adfertur. Tendunt autem & a craſſis venis in ventrem & reliquum corpus, tum ab exterioribus, tum ab interioribus, & inter ſe mutuo internæ foras, & externæ intro, diſtribuunt. Ad eos igitur modos venæ ſectiones faciendæ: danda eſt autem opera, ut quam maxime procul a locis, in quibus dolores fieri, & ſanguis colligi ſolet, ſectiones faciamus. Sic enim minime magna repente mutatio continget, & translata conſuetudine efficiet, ut ne amplius in eundem locum colligatur.

CAPUT VI.

De vena jecoraria, ſepto tranſverſo, ac nervis.

JEcoraria autem per lumbos ad magnam uſque vertebram deorſum fertur, & vertebris ſe adjicit, indeque ſublata (per jecur) & per ſeptum tranſverſum cor petit; & hæc quidem recta ad claviculas (tendit). Hinc vero partim ad cervicem, partim ad ſcapulas, quædam etiam inferius pauló reflexæ juxta vertebras & coſtas declinant: a ſiniſtris quidem una prope claviculas, a dextris vero in aliquem ibidem locum. Alia vero utrinque reflexa, alia paulo inferius deflexa, ubi illa quidem deficit, coſtis ſe adjicit, donec ei, quæ ab ipſo corde procedit, ad ſiniſtra deflexa ſe adjunxerit. Deorſum vero demiſſa ſecundum vertebras deſcendit, donec eo perveniat, unde ſe ſublimem erigit, coſtis adhæreſcens, & reliquis omnibus, utrinque ſingulis per ſe ſola propagines mittens; a corde quidem in aliquem locum, ad ſiniſtra magis deflectit: poſtea arteriæ ſe ſubmittit, quouſque conſumpta fuerit, eoque pervenerit, unde jecoraria ſublimis emerſit. Quo antequam perveniat, ad extremas duas coſtas bifariam ſcinditur, & altera pars hinc, altera inde ad vertebras progreſſa conſumitur. Altera vero recta ex corde claviculas petens, ſupra arteriam evadit, indeque quemadmodum quæ ad lumbos arteriæ ſubtenſa eſt, in jecur inſilit, & modo quidem ad portas & lobum, modo vero in reliquum deinceps excurrit, paulo infra ſeptum tranſverſum. Septum autem tranſverſum ita hepati adhæreſcit, ut facile non ſeparetur. Duplices au-

autem venæ a claviculis, alteræ hinc, alteræ inde, ſub pectus ad pectinem tendunt. Quonam vero inde (ferantur) nondum novi. At ſeptum tranſverſum ad vertebram infra coſtas ſitum habet ea parte, qua renes ex arteria utrinque conſurgunt. Arteriæ vero ex his enaſcuntur, quæ utraque ex parte nervum habent: eaque in parte cum ea, quæ a corde recurrit, jecoraria deſinit. A jecoraria autem per ſeptum tranſverſum duæ maximæ (venæ) hinc una, illinc altera, ſublimes feruntur; multifidæ autem per ſeptum tranſverſum ſunt, eamque complexæ adhærent. Supra vero ſeptum quodammodo magis conſpicuæ cernuntur. Duo autem craſſi nervi ex cerebro ſub magnæ vertebræ os ſuperne, & ad gulam magis, ab utraque arteriæ parte uterque progreſſus, in ſe velut in unum coëunt. Deinde vertebræ, & ſeptum tranſverſum ibi, exoriuntur, ubi deſinunt. Quidam tamen ambigui, & ab hac communione ad jecur & lienem ferri videntur. Alius nervus utrinque a vertebris ad claviculam ſecundum ſpinam, ex obliquo vertebrarum oſtenditur, & coſtis diſtribuitur. Atque ii, non ſecus ac venæ ipſæ, per ſeptum tranſverſum ad menſenterium pertendere mihi videntur. Ubi autem hæc deficiunt, rurſus ab eo loco unde ſeptum exoritur, ab eo continui ac cohærentes, per medium infra arteriam, quod eſt reliquum ad vertebras, quemadmodum venæ, emittunt, quoad os ſacrum totum percurrentes, ibi conſumpti condantur.

CAPUT VII.

De ossium, nervorum, carnis, venarum, & cutis usu; ac de distributione venarum.

OSsa corpori ſtabilitatem, & rectitudinem; atque formam præbent; nervi flexionem, contractionem, & diſtentionem: carnes autem, & cutis omnium colligationem, ac connexionem. Venæ per corpus diffuſæ ſpiritum, & fluxionem, atque motum exhibent, ab una multæ ſurgunt propagines. Atque hæc una unde oriatur, & ubi deſinat, non ſcio. Circulo enim facto, principium non invenitur. Ipſius autem rami, unde pendeant, & qua corporibus parte deſinant, & quod una illa his conſentiat, & in quibus corporis locis extenſi ſint, ego declarabo. Enimvero circum caput ad medium, ex obliquo vena, lata ipſa & tenuis, non multi ſanguinis circumſita eſt; in cerebrum enim ad ſuturas, multæ & tenues venulæ radices egerunt, & circum caput totum ad frontem uſque, & tempora dilatantur. Ipſa vero retro caput, exteriore parte, ſecundum ſpinæ cutem recta tendit; inde autem juxta exteriorem & interiorem venam, ex his quæ in ſingulis ſunt, demittitur; ultra aures vero diviſa, a gena extrinſecus fertur, craſſa quidem. Ab hac multæ & tenues ad linguam procedunt, præter eam, quæ ſub linguam, aut ſub maxillares dentes fertur: ipſa autem craſſa per claviculam, ſubter ſcapulas deſcendit; eaque parte ab ipſa pullulat, vena humeralis appellata, per nervum, qui ſummo humero ſupponitur. Hæc autem ſanguine fluit, & redundat, ruptaque & divulſa ægre curatur: altera ſiqui-

dem ex parte nervo lato connectitur; altera vero cartilago est. Medium vero horum locum ipsa continet, & pellicula spumosa. Quum igitur locus non sit carnosus, facile rumpitur & carnem circum nasci non contingit. Quod si hanc in partem sanguis suffundatur, locum amplum nactus, non discedit, sed induresćit; induratus vero morbum & dolorem creat, hæc quidem, qua prius dixi, permeat; illa vero sub scapulis, crebris & tenuibus, ac implicatis inter se venis, sub mammas propagines emittit, & per humeralem venam, cartilaginem declinans, ipsa subter distributa, ad brachium tendit, musculum ad sinistram habens. Dextra autem ipsa circa humerum scinditur, & cubiti superiorem partem; inde vero cubitum utrinque penetrans; postea rursus ad carpum manus fertur; indeque jam defluens, per totam manum errabunda radices agit.

CAPUT VIII.

De vena principe, ac pulmonis affectibus.

AT vero vena princeps, quæ secundum spinam sparsa, per dorsum, jugulum, & guttur, in cor inseritur, ex sese venam insignis magnitudinis & multa oscula habentem circa cor emittit; inde vero ad os procedens, fistulam facit, quæ arteria per pulmonem permeans nominatur, paucum quidem sanguinem, sed multum spiritum continens. Nam propter visceris amplitudinem & raritatem, multis quidem locis per pulmonem derivatur; cætera vero cartilaginea facta est. Quare si quid sane vel in potu, vel in

ſpiritus, ac ſanguinis tranſitu, non conſuetum ad has pulmonis vias delatum fuerit; nimirum quum venæ ejuſmodi ſint, & viſcus ad inſtar ſpongiæ, multum humorem capere poſſit, ac ſurſum natura procedat; hæc enim lex eſt humoribus ingredientibus conſtituta: prætereaque non multus ſanguis per has venas conſtringitur, neque cito procedens, ea, quæ illabuntur educit; his autem non ſubductis, ſed intus remanentibus, calloſa durities concreſcit. Sic autem deperit alimenti acceſſus, quum hac parte laryngis aditus, etiam ad externas partes ſit. Atque interceptis a calloſa duritie tranſitibus, velox & difficilis ſpiratio corripit: quum hi ſpiritum neque per hanc viam emittere, neque facile attrahere queant; ex talibus ſane hi morbi oriuntur, quales ſunt anhelationes, & tabes ſiccæ. Si vero conſiſtens in his humoris copia ſuperet, ita ut craſſatus humor foras reſolvi haud poſſit, & putridum pulmonem vicinaſque partes facit, evaduntque ſuppurati & tábidi. Hujuſmodi autem morbi ex aliis etiam cauſis oriuntur. Inde autem vena hæc pulmonem occupat, & per duas magnas fibras intro converſas, ſub ſepto transverſo ad ſpinam extenditur, alba & nervoſa, per reliquum condenſatum corpus venulas emittens; indeque per vertebras crebris venulis in ſpinalem medullam hederæ in modum convoluta inſeritur.

CAPUT IX.

Venas omnes ad ſpinam tendere, earumque diſtributionem in renes, inteſtina, & pudenda fieri; unde voluptas, ac titillatio.

Atque aliæ quidem venæ in corpus diſtributæ, ex omnibus partibus ad ſpinam contendunt, quarum una quæque, quod tenuiſſimum eſt, & puriſſimum colligens, huc effundit. Ipſa vero, quæ ſuper extenditur per demiſſos cirrhos in idem cogitur; indeque in renes tenuibus ac fibroſis venis juxta ſpuriam coſtam radicibus firmatur; & hinc contendens condenſatur: poſtea etiam ad podicem in nervum abit, muſculoſque adducentes comprimens, ipſi inſeritur; & in veſicam, teſtes, & adſtites, multiplicibus intextis tenuibus & ſolidis ac fibroſis venis, radices mittit. Inde craſſiſſima & rectiſſima ipſius pars, retroverſa, in caulem abiit, quod eſt pudendum. In flexione autem in eadem ipſa adaptatur; & per pectinem ſupra, ſub ventris & venæ ipſius cute, prorumpit ad eas, quæ deorſum feruntur, quæque in ſeſe mutuo derivantur: per pudendum autem penetrant venæ craſſæ & tenues, & denſæ & incurvæ. In feminis vero, ipſa ad uteros tendit veſicam & urinæ meatum; indeque recta procedit, & mulieribus quidem circa uteros ſuſpenſa eſt; maſculis vero circa teſtes convolvitur. Ob eam ipſam naturam hæc vena plurimum geniture comprehendit. A plurimis enim & maxime ſinceris partibus nutrita, quum paucum ſanguinem contineat, cava, & nervi inſtar craſſa, ſpirituque referta ſit, ſub pudendoque contenta pertingentes ad ſpinam venulas

vi adducit. Hæc vero vi adductæ, tanquam cucurbitula in ſeipſas coactæ, omnia in ſuperiorem venam emittunt. De cæteris autem corporis partibus in hanc confluit, ejus vero pars multo maxima de medulla (velut dictum eſt) colligitur. Ad id vero voluptas accedit, quod vena iſta genituræ ſit plena. Quum ergo per reliquum tempus aliquo ſanguine & ſpiritu abundare ſoleat, ea plena & calefacta, deorſumque confluente ſemine, quæ in ſe habet, conſtringit. Spiritus autem, qui ineſt, præſensque vis & caliditas, venularumque undique contentio, titillationem facit. Illa vero, quæ ex ſe propaginem deduxit, & per dorſum & jugulum ſecundum ſpinam diſtribuitur, venulis multis coſtas involvit, & vertebras per carnes alternatim condenſat, ita ut bene nutrita & ſanguine referta ſit. Ipſa autem juxta nates progreditur, per muſculum ſub femore ſubmerſa, a natibus vero in coxæ acetabulo juxta caput in venam perforatur, quæ femori ſpiritum præbet, & ultra femur, flexuram verſus, quæ eſt ad genu, fertur.

CAPUT X.

De diſtributione venarum ab inguinibus ad uſque pedum extrema, & aliarum ad hepar.

Alteram vero ad inguina demittit, crebris radicibus, & quæ non facile convertitur. Hæc autem per muſculum tendit, & circum genu convolvitur, & per oſſis tibiæ ſummam partem venam in fiſtulam cavat, quæ medullam nutrit, & per infernam tibiam juxta pedis connexionem deducitur. Ipſa vero per genu patellam,

lam, ad interna per tibiæ musculum submersa extenditur, & implicatur per malleolum, intus crassa & sanguine referta, hicque circum malleolum & tendinem, ægre discretas venas convolvit. Ipsa vero ad inferiorem pedem sub primam plantam decurrit; hicque implicata, & ad magnum digitum innixa; duplicem venam sanguine refertam, superiore parte sub cute ex prima planta reflectit, & ad malleolum externum crassa apparet, supraque distribuitur juxta oppositum anteriori tibiæ radium. At juxta suram velut fundam facit; inde juxta internam genu partem extenditur. Immittit etiam & in patellæ genu venas, & ad interiorem patellæ partem, quæ cava est, venam involvit; quam si quis doleat, celerrime biliosum serum colligit; ipsa vero juxta internam genu cavitatem prorumpit. In poplites vero multas implicatas venas velut surculos progignit, quæ inde juxta nervos femoris inferiores extensæ, etiam in testes & in podicem radices emittunt, & circa os sacrum attenuatæ, conjunctim circumtenduntur. Quæ vero ad interiorem genu partem pervenit, sursum juxta internam femoris partem, ad inguen tendit, & per coxendicem ultra ad spinam & lumbum foras procedens, crassa & lata, sanguineque referta, sursum porrigitur ad hepar, & bifidam producens sanguine plenam, dextrum hepatis lobum ad renem continet. Ipsa vero subter hepatis regionem subiens, in crassam venam scinditur; reflexa vero in partem hepatis crassiorem inseritur; & altera quidem ipsius pars in visceris superficie adhærescens, ubi fel est, multis radicibus (tanquam cirrhis) per hepar est implicata; altera vero per internam ejus partem, velut per rivos deducta.

CAPUT XI.

De cæterarum venarum, tum infra tum supra distributione, ac de mutatione coloris in vultu.

DUæ vero venæ inter duos latos lobos se explicant; quarum una quidem per vertices & cutem penetrans ex umbilico emergit; altera vero suo appressu spinam & renem adtingens, in vesicam, pudendumque anchoræ in modum insita est. De coxendice autem adscendere incipiens, ad imum ventrem multas errabundas venas deduxit, costasque & vertebras ad spinam annulorum modo connexuit, & propagines in multas venas transmisit, intestinaque ac ventrem inferiorem involvit. Et hæ quidem ex imo ventre ad mammas, & supra mentum ac summos humeros exporrectæ, connexæ sunt. Quæ vero juxta hepatis crassitudinem pervenit, ubi superius bilem in fistulam coegit, sub spinam distribuitur, via per septum transversum facta. At vero vena, quæ ex sinistris tendit, cætera quidem juxta eandem naturam non secus ac ea, quæ de dextris prodit, radicibus firmatur. Ex sinistris (tamen) adscendens, in hepar non se ingerit, sed in lienem inseritur ad caput, quod in ipsius parte crassa est. Inde intro subit, & lienem sanguinolentis venulis, tanquam araneæ telis intexit. Totus autem ex omento elevatur, ipsum venulis de se sanguine explens. At quæ de lienis capite ad spinam impingunt, per septum transversum procedunt. Inde vero sursum, tum dextra, tum sinistra, sub pulmonem extenduntur. Quæ autem sanguine refertæ sunt, sub ipsum & in

ipſum velut rivi deducuntur. Pauci vero ſanguinis & tenues venæ a pulmone intrinſecus exortæ, quum rarus natura ſit, in cor, nimirum ab ipſo emulctæ, circa ejus auriculas velut frena injiciuntur, & in cavitates internas defluunt. Quin & hæ priores in ipſum propagines immittunt. In anguſtia enim tranſitus intus collocatum eſt, velut ex omni corpore fibras habens. Quamobrem ex omni corpore potiſſimum circa thoracem ſenſus ineſt, colorumque mutationes contingunt, hoc venas conſtringente & laxante. Laxante igitur, colores rubicundi fiunt, vividi, & pellucidi; conſtringente vero, ex virore pallidi & lividi. Verum tales evariant, prout cuique colores adſunt.

HIPPOCRATIS
LIBER DE CORDE.

PRÆFATIO.

Spuriis omnino, neque GALENI *ævo adgnitus, &* ERASISTRATEA *continens effata. Hic liber inter omnes* HIPPOCRATICOS *plurimam anatomes cognitionem demonſtrat. Ventriculos cordis, ſitum eorum, diverſam magnitudinem, valvulas, verum earum uſum, liquorem pericardii deſcribit: experimenta interponit, quæ omnia ab* HIPPOCRATICI *ævi ſimplicitate longe re-*

mota ſunt. Spiritum per arterias adtrahi, potum deglutitum ad pulmones pertingere. Inter manifeſtò ſpurios à MERCURIALI *refertur; cum quo hactenus conſentio, ut tamen addam eſſe ex optimis, qui in collectione Hippocratica continentur. Mirum experimentum eſt, guttur reſectum ejus liquoris colore tinctum reperiri, quo tinctum propinaveris. Arteriam magnam ſanguine deſtitui ex ſcholæ ſententia docet.*

Cum libro de carnibus conjungit Foeſius.

COr figura velut pyramis eſt; colore autem abunde puniceum, & tunicam levem circumdatam habet, & eſt in ipſa humor modicus, velut urina, ut putare poſſis in veſica cor diverſari. Facta eſt autem ea gratia, ut ſanum in cuſtodia floreſcat. Habet autem humiditatem tantam, quanta ſatis eſt æſtuanti in medelam. Cæterum hunc humorem cor emingit, bibendo ipſum aſſumens, ac conſumens, pulmonis nimirum potum lambens. Etenim homo multo maximam partem in ventrem bibit. Gula enim, ſive ſtomachus velut infundibulum potus copiam, & quæcumque volumus, excipit. Bibit autem & in guttur, ac arteriam, minus vero, & quantum latere poſſit per rimam illapſum. Operculum enim exactum epiglottis, lingula, ſive minor lingua appellata, ne permiſerit quidem aliquid amplioris potus penetrare. Signum autem hujus rei hoc eſt. Si quis enim aquam cæruleo colore, aut rubrica temperatam, ſitienti valde bibendam dederit, maxime ſui; hoc enim pecus non eſt curioſum, neque munditiei deditum. Deinde dum adhuc bibit, ipſius guttur reſecet, hoc colore

ipſum tinctum reperiet: ſed non eſt cujuſvis hæc chirurgiæ aggreſſio. Nequaquam igitur fides noſtra ſuſpecta eſſe debet de potu, quod homini in guttur vergat. Sed quomodo aqua acervatim irruens, turbationem, ac tuſſim multam exhibet? propterea inquam, quod contra reſpirationem fertur. Quod enim per rimam illabitur, tamquam juxta parietem delabens, aeris elationi non inſtat, ſed levem, ac lubricam quamdam viam humectatio ipſi præbet. Hunc itaque humorem cor de pulmone una cum aere abducit. Aerem quidem igitur, ubi in medelam ceſſit, neceſſario oportet retro per eamdem viam, qua adduxit, rejicere. Verum humorem partim in culeum, ac vaginam ſuam exſpuit, partim rurſus una cum aere foras propellit. Quapropter etiam palatum elevat, quum ſpiritus recurrit. Merito autem recurrit. Non enim humanæ naturæ alimenta hæc ſunt. Quomodo enim hominis alimentum ſint ventus, & aqua cruda? ſed ſunt magis cognatæ affectionis caſtigatio, & medela. Porro ut ad inſtitutum ſermonem revertamur. Cor muſculus eſt valde fortis, non nervo, ſed denſitate, ac conſtrictione carnis, & duos ventriculos habet diſcretos in uno amiculo, ab utraque parte unum. Nihil autem inter ſe ſimiles ſunt. Alter enim in dextris ad oſculum ſitus eſt, contingens alteram venam. Alter in ſiniſtris. Totum enim cor in his ſedem ſuam firmavit. Sed ille etiam omnino amplioris ventris, & magis inanis, quam alter eſt, neque extremitatem cordis attingit, ſed caudam ejus ambit; ſolidus item eſt, veluti extrinſecus aſſutus. Alter autem ſubter ſiniſtram mammam maxime in directum ſitus eſt, ubi etiam ſaltus ipſius ſignificationem ſui præbet. Amiculum autem habet craſſum, itemque fo-

veam. Foveæ enim ſpeciem præ ſe fert ſimilem mortario. Sed enim hic etiam pulmonem ſubit cum manſuetudine, & circumjectu ipſius, caloris intemperantiam caſtigat. Etenim pulmo natura frigidus eſt, ſed & inſpiratione perfrigeratur. Ambo autem denſi, ac aſperi ſunt interna ſui parte, & velut ſubcorroſi, magiſque ſiniſter, quam dexter. Nam inſitus a natura ignis non eſt in dextro. Quare mirum eſt ſiniſtrum aſperiorem fieri, ubi intemperatum aerem inſpiraverit. Quapropter etiam roboris caloris cuſtodiendi gratia craſſius intus conſtrictus eſt. Oſcula autem ipſis non ſunt aperta, niſi ſi quis cordis auriculas præſecet, aut caput cordis præcidat. Si autem quis præſecet, apparebunt duplicia oſcula in duobus ventriculis. Craſſa enim vena ex altero excurrens viſum decipit, ſi fuerit reſecta. Hi fontes ſunt humanæ naturæ, & hic flumina ſunt, quibus totum corpus irrigatur: atque hi etiam vitam homini conferunt, & ubi reſiccati fuerint, homo moritur. At vero prope exortum venarum corpuſcula circum ventriculos conſurgunt, mollia, cavernoſa, quæ auriculæ appellantur. Non ſunt autem foramina aurium; non enim clamorem exaudiunt; verum ſunt organa, quibus natura aerem rapit. Et ſane videtur mihi boni, ac præſtantis artificis opificium eſſe. Quum enim conſideraſſet figuram ſolidam futuram ipſius viſceris propter ſanguinis ex venis effuſi collectionem, ac concretionem, deinde attractorium ipſum eſſe totum vidiſſet, folles ipſi appoſuit, quemadmodum fabri ferrarii fornacibus ſolent; quo per ipſos ſpiritum apprehenderet. Signum autem ſermonis hoc eſt. Etenim cor videas ex toto ventilari; aures vero privatim tum inflari, tum condeſire, ac contrahi. Et propter hoc etiam dico,

quod venæ quidem operantur respirationem in sinistrum ventriculum: arteriæ autem in alterum. Molle enim magis adtrahit, & incrementum capit. Oportebat autem nobis magis incumbentia cordis tegmina perfrigerari. Est enim calor non in dextris: quare propter hanc affectionem non acceperunt amplum organum, ut ne in totum ab ingrediente aere superarentur. Restant dicendæ cordis pelliculæ latentes, opus dignissimum cognitione. Sunt enim & aliæ quædam in ventriculis pelliculæ, velut araneorum telæ extentæ, quæ undiquaque oscula cingunt, & strias, ac segmenta in solidum cor inserunt. Hæ mihi nervi ipsius visceris, & vasorum principia aortis esse videntur, est autem ipsarum par unum. Cæterum osculis singulis tres pelliculæ subornatæ sunt, rotundæ in summo, velut circulus semisectus. Et qui rei intelligentes sunt, admirantur, quomodo oscula, & aortarum fines claudunt. Et si quis uteris eximendi cor mortui, moris gnarus aliam auferat, aliam reclinet, neque aqua, neque flatus immissus in cor penetrarit, atque hæ magis in sinistri ventriculi osculi exactius, & merito sane subordinatæ sunt. Mens enim hominis in sinistro ventriculo insita est, & reliquæ animæ imperat. Nutritur autem neque cibis, neque potibus a ventre, sed pura & illustri substantia ex sanguinis discretione nata. Adsumit autem alimentum ex proxima sanguinis cisterna radios suos eo immittens, & depascens, velut ex ventre intestinorum alimentum non naturale existat. Quo vero non in mora sit, qui in arteria est in fluctuatione constitutus cibus, viam in ipsam concludit. Magna enim arteria ventrem depascitur ac intestina, plenaque est alimento non principali. Quod autem

non nutritur ſanguine apparente, & quem videmus, arteria ipſa magna, ex hoc manifeſtum exiſtit. Mactato enim animali, & ſiniſtro ventriculo diſſecto, tota deſolata apparet, modico ſeroſo humore excepto, flavaque bile, ac pelliculis, de quibus jam mihi dictum eſt. Arteria autem altera ſanguine non eſt deſtituta, neque ventriculus dexter. Hoc quidem igitur vas cauſſa fuit, mea ſane ſententia, ut pelliculæ producerentur. Id vero, quod ex dextro fertur ventriculo, etiam ipſum quidem commiſſura pellicularum clauditur, verum non valde ſalit præ imbecillitate. Sed aperitur quidem in pulmonis vaſa, ſanguinem exhibens ipſis in alimentum: clauditur autem in cor, non tamen confeſtim, quo ingrediatur quidem aer, non autem multus. Debilis enim eſt hic calor, frigiditatis facultate ſuperatus. Sanguis enim non eſt natura calidus, neque enim alia aliqua aqua, ſed caleſcit: multis autem videtur natura calidus eſſe. Et de corde ſane talia dicta ſint.

HIPPOCRATIS DE GLANDULIS LIBER.

PRÆFATIO.

Et hoc ſcriptum equidem ab Hippocratica ſimplicitate alienum, etiam GALENO *auctore, cæterum non inelegans, neque recedit ab* HIPPO-

CRATIS *de catarrhis theoria, quam in libro* de locis in homine *proposuit. De glandulis parum docet, sed satis vera. Invenias hic glandulas intestinorum humiditatem recipientes, quae sunt mesenterii: (id* HIPPOCRATES *omentum vocat) tum glandulas renales, inde glandulas in articulis positas, quas tamen putes esse subaxillares, inguinales.*

Neque inutiles sunt adnotationes de mucedine, de pectoris morbis, qui mammarum amputationi superveniunt.

ARGUMENTUM LIBRI.

De Glandularum in corpore consistentium natura, substantia, usu, & differentiis ac passionibus; de plerisque item corporis affectionibus, & morbis.

CAPUT I.

De glandularum natura, structura, affectibus, tuberculis, strumis, phlogosi, situ in cavis locis & articulis, & usu.

NATURA universa glandularum sic se habet: natura quidem ipsis est spongiosa; rarae siquidem & pingues, & neque carnem habent reliquo corpori similem, neque aliud quicquam corpori simile; sed friabilem, & multis venis refertam. Quam si disseces, sanguis copiosus, specie albus, & velut pituita effunditur;

tangenti vero tanquam lana apparet. Ac ſi multa vi digitis contrectaris, oleoſum humorem glandula emittit; ipſaque plerumque conteritur ac diſſolvitur: neque vero admodum ægrotant, ſed una cum reliquo corpore. Quum autem proprio morbo laborant (raro namque etiam cum corpore laborant) morbi ſuboriuntur, tubercula, & ſtrumæ reſultant, febrisque corpus detinet. His autem afficiuntur, ubi humore ad eas ex reliquo corpore confluente, impletæ fuerint. Ex reliquo autem corpore influit per venas, quæ per eas multæ & cavæ extenduntur, ita ut ad eas humor, quemcunque tandem traxerint, facile conſequatur. Quod ſi copioſa & morboſa fluxio fuerit, glandulæ etiam reliquum corpus in ſe diſtendunt, eoque modo febris accenditur, glandulæ adtolluntur, & inflammationem concipiunt. Glandulæ autem in corpore ſubſunt plures, & majores in ipſius cavitatibus, quam in articulis, & quæcumque in aliis humectis, & ſanguine redundantibus locis continentur: atque illæ quidem, ut id, quod ex ſuperioribus locis in cavitates influit, exceptum ad ſe trahant; perpetiuntur autem hæc, ubi humiditate repletæ fuerint ex reliquo corpore in ipſas influente, (&) ſic ſuperflua humiditas in corpore minime prohibeatur. Si quid enim ſtatim ſuboriatur, non tamen poſtea ſuccedet nimia corporis humectatio; etenim tum multa, tum pauca, in glandulas expenditur. Eoque modo reliqui corporis abundantiam, glandulæ ſuo lucro adtrahunt, & iis eſt alimentum accommodatum.

CAPUT II.

In locis humectis glandulas esse, & ubi glandulæ, ibi pilos generari, si humor non exsuperet.

QUare ubi uliginosæ corporis partes, ibi etiam glandulæ sunt. Hoc indicio, quod ubi glandula, ibi etiam sunt pili. Natura siquidem glandulas & pilos creat, utraque (enim) eadem utilitate participant; illas quidem, ut quod influit (quemadmodum ante dictum est) excipiant: pilos vero, ut 'ex glandulis opportunitatem nacti,. producantur & augeantur, quodque in extremas partes redundat & exæstuat, colligant; ubi autem corpus siccum, ibi neque glandula, neque pilus ineft. Teneræ vero & labore agitatæ ac humectæ partes, glandulas & pilos habent. Glandulæ vero etiam sunt ad utramque aurium partem, circa jugulares colli venas; pili quoque ibidem. Sub alis utraque ex parte & glandulæ & pili sunt. Inguina & pubes similiter ac alæ glandulas, & pilos habent. Hæ quidem inter corporis partes cavæ sunt, & facile humoris redundantiam excipiunt; ex omnibus enim corporis partibus, hæ maxime laborant & moventur. Reliquæ autem, quæ glandulas tantum habent, velut intestina, (habent enim & hæc glandulas ad omentum majores) pilos (enim) non habent. Neque enim in uliginosis & humectis terræ locis semen nascitur, neque supra terram adscendere conatur, sed (humoris) redundantia, quæ vim semini infert, putrescit & suffocatur. Quin etiam in intestinis redundantia, & humoris copia vim infert; neque pilos exoriri sinit. Glandulæ vero ibi majores

ſunt, quam in alia corporis parte, & expreſſam ex inteſtinis redundantem humiditatem depaſcuntur. At inteſtina ex vaſis ad omentum pertingentibus, humiditatem excipiunt, & emittunt: omentum autem his glandulis tranſmittit. Sed & renes glandulas habent; hi ſiquidem multa humiditate redundant. Sunt autem hac parte majores, quam aliæ quævis glandulæ. Neque enim qui influit humor, in renes imbibitur, ſed infra ad veſicam defluit. Quare quicquid ex ductibus lucrifaciunt, id ad ſeſe attrahunt. Sunt & aliæ in corpore glandulæ admodum parvæ. Verum nolo mea oratione longius aberrare, quum ad inſignes tantum hæc noſtra ſcriptio inſtituta ſit.

CAPUT III.

De colli, aurium, axillarum, inguinum, & inteſtinorum glandulis, & earum affectibus.

NUnc igitur ut ad inſtitutum ſermonem revertar, de integra glandularum colli natura dicendum. Collum utraque ex parte, hinc & hinc glandulas habet, quas tonſillas vocant, in hunc uſum comparatas. Caput cavum & rotundum ſuperiore parte ſitum eſt, & humiditatem ex reliquo corpore circum ſe complectitur, ſimulque corpus vapores cujusvis generis ſurſum ad caput transmittit, quos rurſus caput retro dimittit. Neque enim, quod influit, quum illic ſedem non habeat, immorari poteſt; niſi ſane caput ægrotet. Tunc (enim) non remittit, ſed illic retinet. Ubi vero, quod adtractum eſt, remiſerit, fluxio vergit in glandulas, quæ nullam adfert moleſtiam, donec pauca & moderata fue-

rit, eamque glandulæ retineant. Si enim copiosa & acris fluxio fuerit, & acris & biliosa persEveret, inflammatur & intumescit, collumque distenditur, sicque ad aurem procedit: & si quidem ad utramque partem; utraque auris: sin vero ad alteram; altera dolet. Quod si pituitosa, copiosa, ac lenta fluxio fuerit, sic etiam inflammationem concipit; ex qua, cum humor sit stabilis, strumæ generantur, iique pessimi colli morbi numerantur. In alas autem tunc quidem etiam quid confluit; verum ubi copiosi & serosi humores fuerint, ad hunc modum in ipsis quoque tubercula oriuntur. Quin & in inguinibus glandula ex superioribus partibus humiditatem attrahit; alioqui si magna copia fuerit, inguina in bubones tument, & suppurantur, & inflammantur, similiter ut alæ, ac collum. Atque hæc tum bona, tum mala præstare videntur; & de his quidem hactenus. At vero intestina multum a cibis & potibus explentur; quin & humiditatem sub cute continent, quæ tota, veluti prior, absumitur. Morbos vero non plerumque facit, quemadmodum etiam in articulis contingit: frequentes siquidem glandulæ & expassæ, neque cavæ sunt, neque admodum altera alterius copia fruitur; quando si qua plus abundare velit, neque tunc copiam continere queat. Sed quod in articulum influit, in singulas paucum; & in multas partes divisum, æqualitatem ipsis præbet.

CAPUT IV.

De cerebri glandulis, ipſumque eſſe glandulam, unde fluxiones & affectus minores & majores, ut apoplexia, mania.

CAput quoque ipſum glandulas habet, cerebrum nempe glandulæ ſimile: cerebrum enim, ut & glandulæ, album eſt, ac friabile, iisdemque commodis, quibus glandulæ ſunt prædıtæ, caput afficit; quum id humiditate, quæ, ob prædictas a me cauſas ineſt, cerebrum, velut auxilium adferens, defraudat, & ad extremitates magna ex parte fluxiones foras emittit. Majus autem eſt cerebrum, quam reliquæ glandulæ, & capilli etiam majores, quam reliqui pili. Majus enim eſt cerebrum, & in amplo capitis ſpatio ſitum habet. Morbos autem & minores & majores parit, quam reliquæ glandulæ; parit vero, quum ad inferiores corporis partes copiam, qua redundat, amandarit. De capite autem fluxus, veluti ſecretiones, contingunt, per aures ſecundum naturam, per oculos, per nares, atque hæ tres ſunt: & aliæ per palatum in fauces, in gulam: aliæque per ſpinalem medullam, in ſanguinem, omnes numero ſeptem. Eæ ſi diſcedunt, cerebri purgamenta ſunt; & niſi diſcedant, ipſi morbum creant; non ſecus ac reliquo corpori, ſi intro, & minime foras diſceſſerint. Ac rurſus multa turbatio affatim ſequitur, ſiquidem cerebrum acrem fluxionem emittat, quæ cæteras fluxiones corrodit, & adtrahit. Et ſiquidem quod influit magna copia fuerit, deſcendens fluxio minime ceſſabit, quoad

defluentem copiam exhauserit: & id quidem, quod affluit, foras emittens: alterum vero excipiens, semper eodem statu consistens, tum humores trahit, tum morbos creat. Ambo enim magna molestia naturam debilitant, quæ si affecta fuerit, intolerabilis erit ærumna. Affectiones siquidem naturæ sunt prædictæ fluxiones, quæ copiam moleste admodum ferunt, & pruritum cient; ex eo, quod præter rationem & consuetudinem est. At cerebrum noxiam sentit, ipsumque etiam non bene habet. Sed si quidem mordeatur, multam turbationem habet, & mens non intelligit, cerebrumque convulsionem sentit, totumque hominem trahit, neque a se vocem edit, sed suffocatur, huicque affectioni apoplexiæ nomen est. Sin vero acris non sit fluxio, sed copiosa (in cerebrum) irruat, ipsum affligit, & mens conturbatur, & (homo) obambulat varia cogitans, & diversa videns, morbi indolem perferens effuso risu, & peregrinis imaginationibus.

CAPUT V.

Ab externis fluxionibus, ophthalmia, narium pruritus, aurium purulenta; ab internis diarrhœa, volvulus, tabes pulmonica, & dorsalis.

FLuxio alia in oculos, ophthalmia appellatur, in qua oculi intumescunt. Quod si ad nares defluxio fiat; mordentur nares, nihilque aliud gravius accidit: earum etenim amplæ sunt viæ, & quæ sibi auxilium ferre possint, præterea vero minime coacervatum est, quod per illas fertur. At vero aurium meatus tortuosus quidem & an-

gustus, cerebrum vicinum habet, ipsis appressum. Laborans vero hoc morbo plurima excernit: & auris cum tempore a frequenti fluxione fodicatur, effluitque pus graveolens. Sic se habent fluxiones ad exteriores partes oculis conspicuæ, neque omnino lethales. Quod si fluxio posteriore parte procedat, aut per palatum pituita ad ventrem perveniat: iis quidem ventres fluunt, non tamen ægrotant. Restitante autem in alvo pituita, volvuli, morbi diuturni. Aliis per palatum ad fauces multa & frequens fluxio plerumque morbos tabificos facit: pituita enim pulmones implentur, indeque pus gignitur, quod pulmones exedit, neque ægroti facile evadunt, & medicus sua prudentia, (si vir bonus industriusque fuerit), ut plurimum causam intelligit. Alius morbus ex defluxione capitis per venas in spinalem medullam, cum inde ad os sacrum impetu fertur, spinali medulla eo fluxionem deducente, & in coxendicum acetabula deponente; quod si tabem fecerit, & utroque modo homo contabescit, neque vivere expetit: confestim enim scapulæ dolent, simulque ambo pedes & crura consequuntur, tandemque pereunt longo tempore curationem trahentes, neque viribus homo defecit, & moritur. Atque hæc mihi de fluxionibus capitis dicta sint. Sunt etiam cerebri affectiones & alii morbi, deliria, maniæ, periculique plena omnia, & dolet cerebrum, & reliquæ glandulæ: habet enim & tonum, & alius est hic rursus consensus corporis.

CAPUT

CAPUT VI.

De pectoris glandulis, seu mammis, quæ in mulieribus, non in maribus lactescunt; & affectibus, qui ereptis mammis enecant.

QUin & glandulæ in pectoribus mammæ vocantur, & adtolluntur, & lac faciunt, quibusdam vero minime. Et mulieres quidem lac habent, viri autem minime: mulieribus quidem rara est etiam glandularum natura, quemadmodum reliquum corpus, & alimentum, quod ad se trahunt, in lac convertunt. Et ex utero ad mammas accedit, ad pueri post partum alimentum, quod sane exprimit, aut etiam sursum mittit omentum ad superiores partes, ab ipso fetu compressum. At maribus & locorum angustia, & corporis densitas, ad hoc, ut ne glandulæ magnæ sint, plurimum confert; mas enim confertim plenus est, ac vestis instar tum visu, tum contactu, densus. Femina vero rara & laxa, ac veluti fluida, tum ad visum, tum ad contactum. Quare humiditatem non remittit, id quod est rarum; & molle. Mas vero non suscipit, quum densus sit, & humoris parum amicus, laborque ejus corpus roborat, ut non sit, quo superflua excipiat. Sicque hæc ratio fateri cogit, & pectora, & mammas, reliquumque corpus mulieribus laxa esse & mollia, tum ob vitam desidem, tum ob prædicta; viris vero contra. Mammæ etiam tubercula, & inflammationes pariunt, lac ipsum putrefacientes. Commoda vero superioribus similia obtinent, (&) reliqui corporis abundantiam intervertunt. Cujus rei testimonium præbent mulieres, quibus per

morbum, aut aliam quandam calamitatem mamma aufertur, & vox gravis efficitur, humoresque ad gulam deferuntur, multa ſputatione vexantur, caput dolent, & ex iis ægrotant. Lac enim ab utero veniens & influens, quemadmodum etiam antea ad ſuperiora vaſa tranſmittebatur, quum ea propria non habeat, in principes corporis partes incidit, cor videlicet, ac pulmonem, & ſuffocantur.

HIPPOCRATIS DE GENITURA LIBER.

PRÆFATIO.

Ex commiſtione ſeminis utriusque parentis naſci puerum. Semen ex omni parte maris & feminæ decidere, maxime a capite, per medullam ſpinalem in renes perque medios teſtes, indeque ductos meatus ad pudendum, diverſa quidem via ab ea per quam urina effluit. Utrumque ſemen maſculinum eſſe aut femininum: illo dominante mares gigni, hoc excellente feminas. Eas partes ſimiliores aut patri fieri, aut matri, a quibus aut ex patre aut ex matre plus ſeminis deciderit. Ut naſcantur mutili homines expreſſione quam in utero paſſi ſint. Sic cohærens omnino hypotheſis hic traditur, nimis ſubtilis & a prima artis gravitate aliena, quam ut HIPPOCRATI *tribuas.*

ARGUMENTUM LIBRI.

De his, quæ ad venerem, conceptumque pertinent, de voluptate in coitu, de spuma in semine, de pollutionibus, & ludibriis nocturnis, qui semen non profundant, liberorum ad parentes similitudo, & dissimilitudo unde?

CAPUT I.

Semen unde, & qua derivetur; unde venerea voluptas; cur semen spumescat; cur validissimum venere excernatur; sanguis interdum in genitura profluit; alius seminis, alius urinæ meatus; unde pollutiones per somnum?

LEX quidem omnia sibi subjicit; at genitura viri excrementum validissimum est, quod ab universo, quod in corpore continetur, humido proficiscitur. Hujus autem rei illud argumentum est, validissimum nempe excerni, quod quum rem veneream egimus, tam pauco semine emisso, imbecilles simus. Res autem ita se habet; venæ & nervi ab universo corpore ad pudendum producuntur, quibus dum subteruntur, & calescunt, & implentur, veluti prurigo incidit; unde universo corpori tum voluptas, cum calor oboritur. Quum vero pudendum confricatur; & homo movetur, humidum in corpore concalescit, ac diffunditur, & ex motu agitatur, & spumat, atque ad eundem modum, quo reliqua omnia humida, quum vehementius

dimoventur, ſpumeſcunt; ſic autem & in homine valentiſſima, & pinguiſſima portio a ſpumante humido ſecedit, & ad ſpinalem medullam progreditur (ad eam namque ex univerſo corpore viæ concurrunt, & ex cerebro in lumbos, & in univerſum corpus, & ſpinalem medullam diffunditur) & ex ea viæ procedunt, ut & ad ipſam humidum adeat, & ex ea ſecedat. At ubi ad ſpinalem medullam genitura pervenerit, procedit ad renes; huc enim via patet per venas. Quod ſi renes exulcerati fuerint, interdum etiam ſanguis una defertur. A renibus autem per medios teſtes ad pudendum pervenit; neque qua via urinæ eſt, prodit, ſed alia ipſi via eſt, huic proxima. Qui per ſomnum ſemen effundunt; ideo venerem ſomniant, quum humor in corpore diffuſus, & excalefactus, ſive ex vehementi exercitatione, ſive ex alia quavis cauſa ſpumeſcit; dumque ab ipſo excernitur, veneris imaginem quandam exhibet. Patitur namque per ſe id humor, ſicut in coeunte præſtat. Verum non mihi de his, qui per ſomnum ſemen emittunt, ac de toto morbo, quid ſit, & quæ moliatur, & curante coitum ſemen emittatur, ſermo eſt: ſed de his iſta quidem a me dicta ſint.

CAPUT II.

Cur eunuchi, & pueri, & juniores virgines venerem non exerceant, & cur, quibus juxta aures venæ ſectæ ſunt, ii infecundi ſint?

AT eunuchi propterea venerem non obeunt, quod ipſis genituræ tranſitus abolcatur, per ipſos enim teſtes ei via eſt, & nervi tenues, &

crebri ex teſtibus in pudendum tendunt, quibus erigitur, ac demittitur; iique in exſectione reſcinduntur, proindeque eunuchi ad venerem inepti ſunt. Qui vero iſtorum adtritionem paſſi ſunt, iis genituræ via obſtructa eſt; occalleſcunt enim teſtes, ac nervi a callo duri, hebetesque (redditi,) penem neque intendere, neque laxare poſſunt. Quibuscunque vero juxta aures (venæ) ſectæ ſunt, hi coeunt quidem, & emittunt ſemen; ſed paucum, imbecillum, & infecundum. Plurimum ſiquidem ſeminis a capite ſecundum aures in ſpinalem medullam procedit; ipſe vero tranſitus, cicatrice ſectioni inducta, ſolidus evaſit. Quum autem pueris venæ exiles, ac repletæ ſint, genituram ferri prohibent; & prurigo non eodem modo excitatur, & propterea neque in corpore humidum ad ſeminis excretionem concutitur: virginibus quoque eandem ob cauſam, priusquam adoleverint, menſes minime prodeunt. Ubi vero incrementum ceperint, tum virgo, cum puer, venæ quæ ad pueri pudendum, & virginis uterum feruntur, incremento ampliores evadunt, & aperiuntur, atque via, tranſitusque per illarum anguſtias patet, tuncque humidum agitari incipit: nam & ſpatia ampliora, in quibus concutiatur, habet, pueroque (ſemen) quum adultus fuerit, ob eam cauſam, & virgini menſtrua prodeunt; atque hæc mihi ſic demonſtrata ſunt. At genitura ab univerſo corpore, & a ſolidis, & a mollibus, & ab univerſo totius corporis humido ſecerni adſevero; ſunt autem quatuor humidi ſpecies, ſanguis, bilis, aqua, & pituita. Tot enim ſpecies ſibi congenitas habet homo, ex quibus tum morbi fiunt, cum dijudicantur. Atque hæc mihi quidem de genitura dicta ſunt, & unde, & quo-

modo, & quam ob caufam procreetur, quibus genitura non fit, & quare non fit, fimulque de virginum menftruis.

CAPUT III.

Quod mulier ad liberorum generationem femen conferat.

CEterum quando mulieribus coeuntibus pudendum confricatur, & commovetur uterus, huic quidem accidit velut quædam prurigo, ac reliquo corpori voluptas una cum calore adfcifcitur. Emittit autem & mulier e corpore (genituram) interdum quidem intra uterum, & ex eo uterus madefcit; nonnunquam vero foras, fi plus æquo hiarit uterus. Et oblectatur mulier, ubi coire ceperit, toto tempore, quoad vir ipfum femen emiferit. Verum fi coitum mulier vehementius appetat, (femen) prius quam vir emittit, & de cetero non fimiliter delectatur: fin vero venere non concitetur, fimul cum viro delectari definit. Atque ita (fe res) habet, quemadmodum, fi quis in aquam ferventem alteram frigidam affundat, (illa) fervere ceffat: fic etiam viri femen in uterum illapfum, mulieris calorem, & voluptatem exftinguit. Exilit autem voluptas, & calor, fimul ac femen in uterum decidit, deinde definit; quemadmodum, fi quis flammæ vinum adfundat, primum quidem contingit flammam adtolli, ac paulatim ad vini adfufionem increfcere, deinde ceffare: eodem modo, & in muliere calor ad viri femen adtollitur, poftea definit. At multo minus mulier, quam vir

in concubitu oblectatur, ſed vir tempore diuturniori. Propterea vero quod vir magis oblectatur, ei derepente (ſemen) ab humore concuſſu vehementiori, quam mulieri ſecernitur. Sic autem ſe res habent mulierum, ſi quidem (ipſæ) cum viris coeant, magis ſanæ ſunt; ſi non, minus. Siquidem coeundo uteri humidiores fiunt; qui, ſi plus æquo ſiccefcant, maxime convelluntur; vehementer vero contracti, toti corpori dolorem creant; ſimul autem coitus ſanguinem calefaciens, & humectans, viam menſibus faciliorem efficit; menſtruis vero non prodeuntibus, mulierum corpora morbis obnoxia redduntur. Quare autem morbis obnoxia fiant, in morbis mulierum a me differetur; atque hæc quidem mihi hactenus dicta ſunt.

CAPUT IV.

Quomodo cognoſcat mulier, quum in utero concepit? & quod in viro, & in muliere imbecillius, ac robuſtius ſit ſemen.

QUum autem coierit mulier, ſiquidem minime conceptura ſit, pro more foras prodit ſemen ab utroque (emiſſum) quum mulier voluerit. Si vero conceptura ſit, foras non exit, ſed in utero manet ſemen. Uterus namque exceptum, ac concluſum ſemen in ſe continet, tanquam contracto ob humiditatem ejus oſculo, ſimulque miſcentur, cum quod a viro, tum quod a muliere prodiit: quod ſi mulier partum experta fuerit, & animadverterit, quando genitura non exciderit, ſed intus remanſerit, ſciet, qua die in ſe conceperit. Sic quoque ſe res habet. In-

terdum quidem validius eſt (ſemen) quod a muliere emittitur, quandoque vero imbecillius; ſimiliter quoque, quod vir ejaculatur. Et in viro tum muliebre, cum maſculum ſemen eſt; ſimiliter quoque in muliere. Maſculinum vero femineo validius eſt; marem itaque a validiori ſemine procreari neceſſe eſt. Hoc quoque modo ſe res habet. Si ab utroque ſemen validius prodierit, mas partu edetur; ſi imbecillum, femina. Utrum vero copia prævaluerit, illi & (ſimile) procreatur, ſi namque multo majore copia imbecillius ſemen ſit validiori, vincetur validum, & debili permixtum in feminam tranſit. Si vero validum imbecillo uberius fuerit, ſuperatur imbecillum, ac in marem transfertur. Quemadmodum ſi quis ceram ſevumque ſimul miſcuerit, pluſque ſevi adjecerit, eaque ad ignem liquefaciat, dum quidem liquida fuerint, utrum horum ſuperet, manifeſtum non eſt; ubi vero concreta fuerint, tunc, quod ſevum ceram copia ſuperet, conſpicuum eſt. Sic maris, & feminæ ſe habet genitura. Quod autem & in muliere, & in viro tum femineum, cum maſculum ſemen ſit, ex his, quæ manifeſte contingunt, conjicere licet. Multæ enim mulieres ex propriis viris filias jam pepererunt; verum cum aliis viris congreſſæ, filios genuerunt. Et viri illi ipſi, ex quibus mulieres filias peperere, aliarum mulierum congreſſum adeuntes, maſculam prolem genuerunt, & quibus maſcula ſoboles procreabatur, ii cum aliis mulieribus congreſſi feminei ſexus ſobolem ſuſceperunt. Sic ratio declarat tum virum, cum feminam, & femineum, & maſculum ſemen habere. Nam qui femineam ſobolem ſuſcipiebant, in iis, quod erat validius (ſemen,) ab imbecillioris copia ſupera-

batur, & feminæ generabantur. Qui vero filios pariebant, in iis ſuperabatur imbecillius, mareſque procreabantur. At ſemen non ſemper ab eodem viro validum procedit; imo neque imbecillum perpetuo, ſed alias aliud. Et in muliere ad eundem modum ſe habet; ut minime mirum videatur, easdem mulieres, eosdemque viros, & maſculam, & femineam ſobolem giguere. Atque eodem modo in brutis, quæ de femineo, & maſculo ſemine dicta ſunt. ſeſe habent. Et quod ad ſemen ipſum ſpectat, tum feminæ, cum viri, id ab univerſo corpore prodit, & ab imbecillibus imbecillum, & a validis validum, eodemque modo fetui diſtribui neceſſe eſt.

CAPUT V.

Cur, & unde liberi parentibus ſimiles, ac diſſimiles; tenues ac imbecilles; majores, & minores naſcantur?

CUmque plus ex viri quam mulieris corpore ad genituram acceſſerit, fetus ille patri magis erit ſimilis; quandocunque vero ex mulieris corpore plus prodierit, ille manifeſtius matri aſſimilabitur. Neque vero fieri poteſt, partum in omnibus matri ſimilem eſſe, patri vero nulla in re; aut contra, neque alteri in aliquo ſimilem eſſe, ſed utrique aliqua in re ſimilem eſſe, neceſſe eſt, ſiquidem ab utriusque corporibus ſemen ad fetum (procreandum) procedit. Uter autem plus, & ex pluribus corporis partibus ad ſimilitudinem contulerit, illi fetus pluribus in rebus ſimilis erit. Ac interdum contingit, ut filia genita majori ex parte patri, quam

matri multo ſit ſimilior, & filius natus nonnunquam matri, quam patri magis ſimilis exſiſtat. Atque hæc mihi tamque multa ſunt ſuperioris ſententiæ argumenta tum in muliere, cum in viro, & maſculam, & femineam genituram ineſſe. Quin etiam iſtud contingit interdum, tenues ac imbecilles fetus ex patre, & matre craſſis ac robuſtis procreari. Quod ſi multis jam editis liberis id ejusmodi accidat, fetum in utero ægrotaſſe perſpicuum eſt, vel etiam a matre aliquid ejus incrementi foras prodiiſſe, utero nimirum dehiſcente, proindeque debilem editum eſſe. Unumquodque animal autem reſpectu proprii roboris ægrotat. At ſi omnes liberi imbecilles exſtiterint, uteri in cauſa ſunt quum plus æquo anguſtiores ſunt. Si namque amplum non habeant ſpatium, in quo fetus nutriatur, ipſum tenuem fieri neceſſe eſt, quippe qui ſatis amplo ad incrementum ſpatio non ſit donatus. Si vero amplius habeat ſpatium, neque ægrotet, conſentaneum eſt ex magnis parentibus, magnam ſobolem procreari. Ita vero ſe res habet, quemadmodum ſi quis cucumerem qui defloruerit, parvulum tamen exortu, & adhuc in cucumerario jacentem, in vas aliquod anguſtum impoſuerit, is æqualis ac ſimilis hauſtri ipſius cavitati evadet. At ſiquis in vas amplum imponat, quod & commode cucumerem capere poſſit, ſed non multo admodum majus, quam pro cucumeris natura ſit, æqualis etiam, ac ſimilis vaſis ampli cavitati erit cucumis: adæquat enim incremenmento vaſis capacitatem. Et fere omnia naſcentia hoc proveniunt modo, quo quis ipſa coegerit. Sic ſane, & in puero ſe res habet; ſi loci vero amplitudo ipſi in incremento contigerit, major; ſi loci anguſtia, minor evadit.

CAPUT VI.

Cur, & unde mutilati, & ex mutilatis hominibus ſani & integri, etiam mutilati liberi naſcantur.

AT vero mutilatum in utero puerum cenſeo mutilari, aut collidi, ſi circa fetum mater percuſſa fuerit, vel in eum ceciderit, vel quamcunque aliam vim perpeſſa ſit. Qua vero parte colliditur, ea mutilatur puer. Si vero vehementius collidatur fetus, rupta ea, quæ ipſum complectitur membrana, fœtus abortivus perit. Quin & alia hujuſcemodi cauſa mutilantur pueri; quum uteri locus, qua parte mutilati ſunt, anguſtior fuerit; neceſſe eſt corpus, quod anguſto in loco movetur, illic mutilum fieri. Quemadmodum etiam arbores quæcunque in terra ſunt, neque ſatis amplum ſpatium habent, ſed a lapide, vel alia quapiam re detinentur, quum exoriuntur, tortuoſæ evadunt, aut parte una craſſæ, altera vero tenues: ſic certe in puero fieri contingit, ſi in utero parti cuidam corporis ſpatium alterum altero anguſtius fuerit. Quod autem ex mutilatis hominibus ſani pueri naſcantur, ut plurimum accidit; habet enim mutilatum numero omnia, perinde ac ſanum. Verum ubi ipſis aliquis morbus, ut humido ipſorum acciderit, ex quo ſemen generatur, (ſpecies quatuor, quæ naturæ inſunt) genituram non totam exhibent, ſed imbecilliorem ad mutilatam partem; haud mirum mihi videtur, ſi ut parens, (ita & fetus) mutiletur. At hæc mihi ea de re dicta ſunt; rurſus autem ad eam, quam diſſerere propoſui, quæſtionem poſtea revertar.

HIPPOCRATIS
DE NATURA PUERI LIBER.

PRÆFATIO.

Etiam hunc veteres habuerunt pro Hippocratico, qui manifesto spurius sit, non dissentiente MERCURIALI. *Systema continet aptissime cohærens, plenum subtili naturæ cognitione, post* THEOPHRASTUM *&* HEROPHILUM *scriptum. Hinc ob insignem, quam exigit, anatomes cognitionem: inde ob experimenta anatomica de generationis negotio, & de ovis incubationi permittendis.*

Hic etiam occurrit jurijurando contraria historia psaltriæ, quæ auctore imperante, cum vehementius subsiliisset, ovum peperit, non quidem septem dierum, non tamen veri ovi humani dissimile.

Cæterum mechanicas tradit phænomenorum explicationes, per spiritum & adtractionem.

Semen utriusque parentis commistum ait calefieri, hinc respirare; spiritum trahere frigidiorem; eum calefactum iterum erumpere, sic generari umbilicum, deinde denuo adtrahi spiritum, & pelliculam nasci: a spiritu fetum articulari, intra sex dierum hebdomadas; adtrahere per umbilicum alimentum: à sanguine adlabente placentam generari:

tandem fetum ob alimenti defectum calcitrare, pellicula rumpere, & capite præeunte in lucem prodire Hæc omnia ex generatione arborum & pullorum illustrantur.

Idem posset esse auctor, qui libri de genitura, nam etiam ibi duæ statuuntur seminis species, ex quarum varia, intra diversos uteri sinus, receptione, sexus in fetu discrimen & gemellorum partus deducitur. MERCURIALIS *etiam partem facit libri prioris. Citat librum de morbis muliebribus.*

ARGUMENTUM LIBRI.

De fetus, seu pueri procreatione ac principiis; ac de omnibus tum ad fetum, cum ad fetam pertinentibus; de tempore formationis, de motu in utroque sexu, de mensibus & lactis generatione, quæ omnia cum terræ plantis & ovis conferuntur; de gemellis, ac diverso sexu.

CAPUT I.

Genituram in utero spiritum trahere, & calidum frigido nutriri; & quod calescit, id spiritum emittere; & alium frigidum adtrahere.

SI genitura ab utrisque in mulieris utero manserit, primum quidem miscetur simul, utpote muliere non quiescente, & coacervatur, & calefacta crassescit: deinde spiritum concipit, quip-

pe quæ in calido eſt, poſtea matre ſpirante. Deinde vero, quum ſpiritus plena fuerit, viam ipſe ſibimet foras facit, & per mediam genituram ſpiritus exit. Ubi vero ſpiritui via facta fuerit, quod in calido loco rurſus alterum frigidum a matre ad ſe adtrahit, idque toto tempore facit. Incaleſcit enim, utpote in calido exſiſtens; frigidum vero concipit a matre ſpirante. Omnia vero, quæcumque caleſcunt, ſpiritum habent; ſpiritus autem erumpit, viamque ſibi facit, & foras excedit. Id vero, quod caleſcit, ad ſeſe rurſus alium ſpiritum frigidum per ſciſſuram, quo nutriatur, adtrahit. Hoc autem fit & in lignis, & in foliis, & cibis, & potibus, quæcunque vehementer incaleſcunt. Id vero intelligendum præbebunt ligna ardentia; omnia enim ligna id facient, maxime vero, quæ ſubviridia ſunt; tranſmittunt enim per ſectionem ſpiritum: ſpiritus vero, ubi foras prodierit, circa fiſſuram convolvitur, idque ſemper fieri videmus. Perſpicua igitur eſt ratiocinatio, quod ſpiritus in ligno calidus quum ſit, alium frigidum, a quo nutriatur, ad ſe trahat, & a ſeipſo dimittat: (niſi enim viciſſim traheret, ſpiritus foras prodiens non convolveretur:) omne namque calidum frigido moderato nutritur. Et ubi percalefactum fuerit humidum; quod in ligno eſt, in ſpiritum converſum foras prodit; eademque via, qua exit calor ille, qui in ligno eſt, alium frigidum, quo nutriatur, adtrahit. Hoc etiam faciunt & folia viridia; quum autem uruntur, ſpiritum concipiunt, deinde erumpit ſpiritus, & via ſibi facta foras prodit ſeſe volutans; prodiens autem ſtrepitum edit, qua parte inſpirationem facit. Et legumina, & triticum, & arborei fructus, dum caleſcunt, ſpiritum concipiunt, qui rima facta,

foras prodit; quæ si humida fuerint, uberiorem spiritum emittunt, & rimam majorem efficiunt. Et quid pluribus opus est? Nam quæcunque calefiunt, spiritum emittunt, & alium frigidum ob id vicissim trahunt, a quo nutriuntur. Atque eæ mihi necessariæ rationes productæ sunt, quod genitura in utero calescens spiritum habeat, & emittat.

CAPUT II.

De genituræ spiritu, de tunicarum fetus procreatione & incremento; & gravidis sano fetu menstrua non fluere.

SImul autem, & a matre spirante, spiritum habet genitura; quum enim mater frigidum in se ipsam traxerit ab aere, eo genitura fruitur: calida autem est, utpote quæ in calido sit, tuncque sane spiritum habet, & emittit, & genitura, quum inflatur, membrana obducitur. Eidem enim exteriore parte quiddam obtenditur, quod cum viscidum sit, undique sibi cohæret, & non secus ac in pane, dum torretur, tenue quippiam instar membranæ in superficie exstat (nam quum calescit, & inflatur, adtollitur) qua vero parte inflatur, illic pelliculæ species exoritur. At toti genituræ calenti, & flatu tumenti exteriore parte membrana circumducitur; verum per membranam ad mediam genituram intro, & foras spiritui transitus fit, eaque parte membranæ tenue quiddam a genitura recedit, quæ in his locis paucissima inest; ipsa vero reliqua genitura rotunda est in membrana. Equidem genituram sex diebus in utero retentam, & foras

prolapsam ipse vidi, & qualis tunc meo judicio visa est, ex eo reliquorum conjecturam facio. Ut autem geniturам sex dierum exsistentem viderim, ego narrabo. Mulieri nobis familiari perelegans erat cantrix, quæ cum viris versabatur, & quam minime decebat gravidam esse, ne viliore loco haberetur. Hæc autem cantrix audierat, quæ mulieres inter se narrant; si quando conceptura sit, geniturам intus manere, neque foras egredi. Quibus auditis & intellectis, ea semper in animo habuit, quumque aliquando geniturам non exire percepisset, dominæ exposuit, sermoque ad me pervenit. Quo audito, ego, ipsa ut in terram desiliret, jussi; & quum jam septies exsiliisset, genitura in terram cum sonitu defluxit, quam illa videns non sine admiratione spectavit. Ego vero, qualis erat, referam: ut si quis ovo crudo externam testam undique auferat, in quo interiore membrana contentus humor pelluceat; modus quidem talis erat (ut abunde dicam) ruber erat liquor, & rotundus. In membrana autem fibræ albæ, & tenues inesse videbantur cum cruore crasso, & rubro contentæ, & circum membranam exteriore parte cruenta vestigia instar sugillatorum: in cujus medio tenue quiddam eminebat, quod mihi umbilicus esse videbatur, & per illum primum spiritum intro, & foras facere; ex eoque protendebatur tota membrana, geniturам complectens. Talem equidem ego vidi geniturам sex diebus conceptam. Adducam autem paulo post aliam cognitionis rationem, his omnibus, qui horum desiderio tenentur, manifestam, quæ, quantum homini de re ejusmodi dicere conceditur, omnem orationem meam probabit: ac de his quidem hactenus. Quod vero genitura contineatur membrana, spiratio-

rationem intro, & foras habeat; & ſanguine a matre in uterum delapſo incrementum accipiat. Menſtrua namque haud prodeunt, ubi mulier in ſe conceperit, ſi puer ſanus futurus ſit (niſi quibuſdam primo menſe modicam ſui indicationem faciant;) ſed promanans ab univerſo muliebri corpore ſanguis, in orbem foris membranam circumſtat; ſimulque cum ſpiritu ſanguis per membranam, qua perforata eſt & extat, adtrahitur, condenſatur, & in futuri animalis augmentum cedit. Succedente autem tempore rurſus aliæ multæ tenues membranæ, eo modo, quo prima, intra primam protenduntur, eæque ex umbilico extentæ mutuis inter ſe vinculis connexæ ſunt. Quum vero jam hoc factum eſt, ex delapſo, & concreto materno ſanguine caro gignitur; ſed ex carnis medio umbilicus extat, per quem ſpirat, & incrementum recipit.

CAPUT III.

Unde menſtrua gravidis non æque, ac iis, quæ uterum non gerunt, moleſta ſint; unde fetus ſpiret ac nutriatur: quando fiat conceptio; & quæ menſtruorum ſuppreſſionem ſymptomata ſequantur.

AT vero mulier, quum uterum gerit, a menſibus minime prodeuntibus idcirco non laborat, quod ſanguis ſingulis menſibus cumulate exire ſolitus non agitetur; ſed ſenſim, paulatimque quotidie in uterum citra dolorem ſecedat, ex quo augetur, quod intus in utero continetur. Singulis autem diebus, & non ſemel per menſem

idcirco defertur, quod genitura, quæ in utero continetur, ſemper aliquid e corpore pro virium ratione trahit, ad eundemque modum etiam ſpiratio habet. Ac primo quidem parva eſt ſpiratio, & modicus ſanguis ex matre fertur. Quum vero amplior fit ſpiratio, plus quoque ſanguinis adtrahit, & majore copia in uterum deſcendit. Iis vero, quæ minime uterum gerunt, ubi menſes non prodierint, eas ob cauſas dolor oboritur. Primum quidem quolibet menſe ſanguis in corpore ex eo neceſſario agitatur, quod menſes multum inter ſe frigore, & calore differant, idque mulieris corpus ſenſu percipit; humidius enim eſt, quam viri. Ubi autem agitatus eſt ſanguis, & venas implevit, ab ipſo deorſum fertur, id quod ei quodammodo ab initio a natura inſitum eſt. Quare, ſi illo quidem ſanguine vacuetur mulier, in utero concipiet; ſi vero eo plena fuerit, minime. Uteris enim, & venis ſanguine vacuis, mulieres in ſe fetus concipiunt. Hæ namque mulieres poſt menſtruam purgationem in utero concipiunt; cauſa vero dicta eſt. Quum autem agitatus, & ſecretus ſanguis, minime foras, ſed in uteros feratur, uteri autem non hiaverint, tum ſane diutius immorante ſanguine uteri incaleſcentes calorem reliquo corpori excitant. Quandoque etiam ſanguinem in venas corporis transfundunt, ut & venæ impletæ doleant, & tumores excitent. Nonnunquam vero ex eo claudicationis periculum impendet; quin etiam interdum veſicam obſident, premuntque, & claudunt, urinæque ſtillicidium adferunt. Quandoque vero uteri ſanguine redundantes, aut ad coxendicem, aut ad lumbos procidunt, doloreſque exhibent; aliquando vero, ubi ſanguis quinque, aut ſex menſes in utero immoratus eſt,

putrefcens in pus vertitur, & quibusdam pus per pudendum exit. Nonnullis etiam in inguine velut tuberculum oboritur, ibique pus factum foras prodit, & pleraque alia ejusmodi mala mulieribus contingunt, quum menftrua non expurgantur. Sed quid ea hic recenfere opus eft? De his fiquidem in morbis muliebribus dicetur.

CAPUT IV.

De fecundinis, ac mirabili, primaque partium conformatione, quomodo fiat.

VErum eum, unde digreffus fum, fermonem abfolvam. Cum autem genita fuerit caro, tunc fanguine in utero increfcente, etiam ipfæ membranæ augentur, ac finuantur, præcipueque externæ. Et fanguis a matre defcendens, quem fane caro fpirando adtraxerit, in incrementum cedit, quodque utile non fuerit, in membranarum finus fecernitur; quæ ubi in finus excavatæ fuerint, & fanguinem exceperint, tunc jam fecundæ appellantur. At hæc hactenus mihi dicta fint. At vero caro augefcens a fpiritu articulatur, in eaque abit unumquodque fimile ad fui fimile, denfum ad denfum, rarum ad rarum, humidum ad humidum, & unumquodque in propriam regionem abit, ad id, cum quo cognationem habet, & ex quo etiam ortum eft. Et quæcunque ex denfis orta funt, denfa funt, & quæcunque ex humidis, humida, reliquaque ad eandem rationem in incrementum cedunt; atque offa calore condenfata durefcunt. Ac fane, ut arbor, in ramos etiam dividuntur, multoque melius mem-

bra tum corporis interna, cum externa articulantur; ipſumque caput ab humeris diſtans exoritur; brachia item, & cubiti a lateribus; & crura inter ſe ſeparantur; nervique circum naturas articulorum volvuntur; & os per ſe conformatur, & naſus & aures in carne eminent, ac perforantur, oculique humore puro implentur, & pudendum utrum ſit, manifeſtum fit; & viſcera ipſa formantur. Ac ſane ſuperioribus etiam partibus, tum ore, cum naribus, ſpirationem facit, & venter ſpiritu inflatur, eoque inflata inteſtina ex ſuperioribus per umbilicum inſuper ſpiritum accipiunt, & abſumunt; & a ventre, ac inteſtinis in podicem, ſimiliterque in veſicam via foras patet; atque horum ſingula a ſpiritu effinguntur: ſpiritu namque perflata omnia pro generis affinitate ſeparantur. Etenim ſi veſicæ fiſtulam alligare velis, & per fiſtulam in veſicam, terram, arenam, & tenuia plumbi ramenta immittere, inſuperque aqua per fiſtulam affuſa inflare veſicam; primum quidem illa aquæ permiſcebuntur, deinde vero temporis progreſſu, flatu agitata ſecedent, plumbumque ad plumbum, arena ad arenam, & terra ad terram abibit. Ac ſi quis ea areſcere permittat, diſruptaque veſica contempletur, ſimile ad ſui ſimile ſe contuliſſe comperiet. Sic ſane etiam genitura, & caro diſcernuntur, in eaque ſimile quodque ad ſui ſimile ſecedit. Atque iſta quidem ea de re a me dicta ſunt.

CAPUT V.

De tempore conformationis pueri, & puellæ, & purgationis lochiorum mulieribus necessariæ, cujus suppressio periculosa.

JAm vero formatus est infans, eoque pervenit, ut femina quidem primam concretionem duobus & quadraginta diebus, ut longissime accipiat; masculus vero triginta diebus, ut longissime. Ut plurimum enim hoc tempore, aut paulo breviori, aut paulo longiori, ipsis articulatio contingit. Nam & purgatio a partu fit mulieribus, ut plurimum, in puella quidem concepta duobus & quadraginta diebus, eaque ut maxime diuturna, ita perfecta est, (extra tamen periculum fuerit, si etiam quinque & viginti diebus purgetur). In masculo vero purgatio diebus triginta contingit, sicque hæc longissima, perfecta est; extra tamen periculum fuerit, si diebus viginti purgetur. Postremo vero tempore quam parcissima purgatio procedit. Quin etiam juniores paucissimis diebus, seniores vero pluribus repurgantur. In partu autem, & puerperii purgamentis maxime laborant, ac dolent mulieres primiparæ, & quæ minus sæpe, quam quæ sæpius peperere, magis cruciantur. At vero purgationes a partu ea de causa mulieribus contingunt, quod primo tempore ad duos & quadraginta dies in femina, in masculo vero ad dies triginta paucissimus sanguis in pueri incrementum descendat; ab eo vero tempore ad partum usque copiosior. Ac sane purgationem in partus purgamentis reddi, & foras exire pro dierum ratione oportet.

Principium autem in ejuſmodi muliere tale eſt. In partus doloribus ſanguis mulieri commovetur, & a valido pueri motu vehementer incaleſcit. Commotus vero is quidem primus foras prodit (deinde puer), poſt puerum vero ſanies craſſa, & cruenta, atque huic ductus quidam, non ſecus ac aquæ in menſam effuſæ. Deinceps poſt illum per omnes dies, ad uſque prædictum tempus, purgatio procedit; primo quidem, quantum hemina attica una & dimidia, vel paulo plus aut minus, pro ejus ratione, dum ceſſet. Prodit autem, velut a victima ſanguis, ſi ſana ſit, & ſana futura ſit mulier, citoque concreſcit. Si vero ſana non ſit mulier, neque ſana futura, purgatio tum parcior, tum ſpecie deterior prodit, neque cito concreſcit. Sic autem ſe res habet. Si mulier uterum gerens morbum habuerit, qui non ſit puerperii purgationibus affinis, perit; ſi vero uterum gerens prioribus diebus non ſtatim repurgetur, ſive bene valeat, ſive minus, eique derepente purgatio ſive ſponte, ſive a medicamento commoveatur, pro ratione dierum, quibus ſemel non profluxit, procedet. Niſi enim a partus purgamentis mulier repurgetur, magno morbo corripietur, vitæque periculum incurret, niſi cito curetur, & aliquis convenientem ipſi purgationem promoveat. Hæc propterea a me adducta ſunt, quo demonſtrarem membrorum diſtinctionem in pueris fieri: feminæ quidem intra duos & quadraginta dies, ut longiſſimam; maſculo vero intra dies triginta. (argumentum eſt e partu purgatio, quæ quidem in puella duobus & quadraginta diebus contingit; in maſculo vero, quæ longiſſima, triginta diebus.) Ac ſane denuo idem perſpicuitatis gratia repetam. Aſſevero enim, quod femine

in utero contento ſanguis ille, qui a muliere in utero femineam genituram gerente pauciſſimus venit, duobus & quadraginta diebus viciſſim redditur. Puerorum enim membra his diebus diſtinguuntur. Ex eo vero tempore copioſior ſanguis affluit, quod rurſum in maſculo pro ratione triginta dierum accidit. Quæ quidem ita ſe habere, & vera eſſe, hoc altero argumento conſtat. Poſteaquam in uteros genitura delapſa eſt, primis diebus pauciſſimus ſanguis a muliere in uterum fertur; deinde vero copioſior. Si enim confertus, multusque unico impetu accederet, genitura ſpirationem habere non poſſet, ſed ſanguinis irruentis copia ſuffocaretur; contra vero in purgatione viciſſim redditur; a partu enim purgatio primis diebus plurima prodit, deinde paucior, donec penitus deſinat. Multæ autem jam mulieres fetum maſculum paulo ante trigeſimum diem abortione perdidere, ſed non articulatus conſpectus eſt; qui vero paulo poſt, aut eo ipſo die rejecti ſunt, omnes articulati apparuerunt. Sic etiam in puella pro ratione duorum & quadraginta dierum, ſi quando abortu perierit, membrorum articulatio apparet. Sive autem prius, ſive poſterius puer abortione pereat, ſic ſe habere membrorum articulatio, & ratione, & neceſſitate conſpicitur: in puella quidem duobus & quadraginta diebus; in puero vero triginta. Hujus ſiquidem rei fidem faciunt fetuum abortiones, & puerperii purgationes. Quod autem femina poſterius conformetur, & articuletur, hæc cauſa eſt; quod ipſius genitura imbecillior ſit, & humidior, quam maſcula, eaque ratione feminam tardius, quam maſculum conformari neceſſe eſt; & in puella diuturniorem

esse purgationem, quam in masculo. Nunc vero ad id, unde digressus sum, revertar.

CAPUT VI.

De mirabili partium formatione, quomodo, & quando fiat: de ossium venarum, nervorum, unguium, pilorum, & cuticulæ formatione.

POsteaquam vero articulatus puer fuerit, speciebus membrorum ipsius augescentibus, tum etiam ossa duriora evadunt, & excavantur, atque hæc a spiritu efficiuntur. Cava autem quum sunt, ad sese a carnibus, quod in sanguine pinguissimum est, adtrahunt, & temporis successu extrema ossa in ramos diducuntur; sicut enim arboris summa postremo ramos spargunt; ita & in puero manuum, & pedum digiti inter se dissident; in ipsis autem partibus extremis ungues nascuntur. Venæ enim omnes corporis humani in pedum, & manuum digitos desinunt. Et crassissimæ quidem sunt venæ in corpore, & in capite; deinde in cruribus, & brachiis, & cubitis. At in pedibus & manibus tenuissimæ, densissimæ, & plurimæ venæ sunt; itemque nervi tenuissimi, densissimi, & plurimi, ossaque magnitudine minima; eaque præcipue in manuum ac pedum digitis. Ex digitis autem, nimirum quum ossa densa (&) parva habeant, venas etiam ac nervos itidem parvos ac densos; ita ex ipsis ungues tenues, & densi oriuntur, qui extremas venas comprehendunt, adeo ut nec amplius augescant, neque alia aliam excedat; ut minime mirum sit, si ungues exteriore corporis parte densissimi sint, quum ex densissimis constent. Simul

autem cum unguibus etiam pili in capite radices agunt. Ac pilorum natura sic se habet. Hi siquidem maximi, & plurimi nascuntur, qua summa corporis cuticula rarissima est, & ubi pilus moderatum humorem in alimentum habet. Ac ubi summa cuticula postea rara fit, ibi deinceps quoque pili nascuntur, veluti in mento, pube, & alio quovis loco. Nam simul, ac genitale semen oritur, caro, & extrema cuticula rarior evadit, venulæque magis quam antea aperiuntur. Quum enim adhuc puer est, venulæque tenues sunt, per eas genitura ferri non potest; eademque ratio est in virginibus circa menstrua. Simul autem in virginibus aperitur via menstruis, & geniture, & puero ac virgini, extrema cuticula rarescente, pilus in pube nascitur, simulque moderatum, neque minorem in alimentum humorem habet. Sic vero, & in viri mento se res habet; rarescit enim summa cuticula, delata in eam a capite humiditate. Simul siquidem & in coitu, simulque intermedio tempore, moderatam humiditatem in alimentum pilus habet; tuncque maxime, quum humiditati, quæ in coitu a capite in mentum (utpote) a pectore dissitum descendit, longior mora contingat. In rarissimis autem summæ cuticulæ partibus pilos enasci indicio est; quod si quis velit inurere cutem, & pustulam solum facere, eamque sanare, cutis densa reddita nullum prorsus ex cicatrice pilum emittet. Qui vero ætate adhuc puerili eunuchi fiunt, eamque ob causam neque in pube, neque in mento pilos producunt, lævesque toti sunt, quod nondum genituræ via facta sit, nusquam rarescit summa superficiei cuticula. Nam quemadmodum paulo ante a me dictum est, intercepta est genituræ via. Mulieres autem mento, & toto cor-

pore glabræ ſunt, quod ipſis in actu venereo non perinde agitatus humor, ac viris, ſummam cuticulam raram non efficiat. At qui calveſcunt, ii ſane pituitoſi ſunt, & pituita per coitum in eorum capite agitata, & incaleſcens, in ſummam cuticulam illapſa, pilorum radices exurit; ita ut pili excidant. Eunuchi autem eam ob cauſam non calveſcunt, quod illis non ſit vehemens motus, neque pituita in coitu incaleſcens pilorum radices exurat. Cani autem ob id fiunt, quod longo tempore pertranſeunte humore in homine, id, quod candidiſſimum eſt, ſecernitur, & in ſummam cuticulam illabitur, ita ut adtracta candidiore humiditate pilus quam antea candidior evadat, ipſaque ſumma cuticula, eo præſertim loco, ubi cani ſunt, quam quovis alio, candidior ſit. Quicunque ex nativitate canum quid habent in capite, illis ſumma cuticula, ubi cani ſunt, quam alia quævis, candidior fit, quod illic albiſſima humiditas inſit. Sic autem ſe res habet. Qualem humorem caro attraxerit, ſive flavum, ſive nigrum, talem etiam colorem capillus imbuit. Ac de his quidem hactenus.

CAPUT VII.

De fetus motu, lactis generatione, ejuſque ad uterum, & ad mammas aditu.

AT vero rurſum ad id, quod eſt reliquum orationis, accedam. Quum autem ſummæ corporis pueri partes ramos foras emiſerint, unguesque ac capilli radices egerint, tunc ſane etiam moventur; ad idque maſculo trium menſium tempus eſt, feminæ vero quatuor. Sic enim ut

plurimum contingit, etsi etiam quidam pueri ante hoc tempus moventur. Prius autem mas movetur, quod femina sit robustior: prius quoque conformatur masculus; nam ex validiore, & crassiore genitura fit. Quum autem fetus movetur, tunc sane lac de se significationem matri exhibet; mammæ enim adtolluntur, & papillæ turgescunt, neque tamen lac prodit. Et mulieribus densam carnem habentibus lac posterius significationem de se præbet, ac prodit; prius vero his, quæ rarum habent corporis habitum. Lac autem propter eam necessitatem gignitur. Quum uterus fetu tumescens mulieris ventrem comprimit, si eo pleno compressio illa contingat, quod in cibo & potu est pinguissimum, foras in omentum, & carnem prosilit. Ac veluti si corium copioso oleo quis perungat, ac eo imbibi sinat, eoque imbibito corium premat, hoc compresso foras oleum exsiliet: sic certe, ubi venter pinguedinem a cibis & potibus continet, & ab utero comprimitur, quod pingue est, in omentum, & carnem transilit. Et si raræ carnis mulier fuerit, hanc exsudationem facilius percipit: sin minus, tardius. Quin & pecora, quum utero gerunt, nisi morbo aliquo laborent, potu, ciboque ob eam caussam pinguiora evadunt; itidemque mulier. Pingui namque incalescente, & candido effecto, quod uteri calore edulcatum est, in mammas expressum tendit, & in uteros quoque exigua portio per easdem venas defertur; ad mammas enim & uteros ejusmodi venulæ, & consimiles aliæ feruntur; quumque ad uterum pervenerit, lactis formam habet, eoque exiguo puer fruitur; mammæ vero lac excipiendo implentur, & adtolluntur. Atque ubi mulier pepererit, facto motus initio, lac in ipsas mammas fertur, si (puerum) lactaverit. Sic enim

ſe res habet: dum mammæ exſuguntur, venæ, quæ ad eas tendunt, ampliores redduntur, & ampliores effectæ, quod pingue eſt, a ventre adtrahunt, & in mammas diſtribuunt. Vir namque ſi venerem crebro exerceat, ampliores venæ redditæ ſemen magis inducunt. Quin etiam hæc ſe res habet ad hunc modum. Alimentum, & incrementum puerorum fit, ubi ea, quæ a matre veniunt, ad uterum proceſſerint, atque ut mater ſana, ac debilis eſt, ita etiam puer valet.

CAPUT VIII.

De plantæ fetui comparatæ ortu, nutritione, incremento, radicibus, ramis, foliis, fructibus, ſeminibus, germinatione, cauſis externis, aqua, cœlo, ſole, & anni tempeſtatibus.

QUemadmodum etiam, quæ e terra gignuntur, e terra nutriuntur, & prout terra habuerit, ſic quoque e terra naſcentia ſe habent. Semen enim, quum in terram dejectum fuerit, humore quodam ab ipſa impletur. Habet enim cujusvis generis humorem terra in ſe, quo, quæ ex ea naſcuntur, nutrire poſſit. At ſemen humoris plenum inflatur, & intumeſcit, & vis, quæ in ſemine leviſſima eſt, ab humore condenſari cogitur; condenſata autem a ſpiritu facultas, & humore in folia verſo, ſemen rumpit, & primum folia foras emergunt. Quum vero emerſerint, ubi amplius ab humore, qui in ſemine ineſt, nutriri non poſſunt, rumpitur inferne ſemen, itemque folia, ipſumque a foliis coactum, vim ſuam, quæ in eo reliqua eſt, propter gravitatem ad in-

feriora demittit; ex foliis oriuntur radices, exiisque dependent. Ubi vero planta firmas radices in terram jecerit, ex eaque alimentum sumpserit, tum sane totum (semen) evanescit, & in plantam, excepto cortice, qui solidissimus est, absumitur. Rursus autem cortex in terra putrescens progressu sane temporis evanescit, & folia quædam in ramos finduntur. Ex semine igitur, utpote quod ex humido ortum, quamdiu quidem molle, & aquosum fuerit, ad incrementum tum inferne, cum superne procedens, nullum fructum edere potest. Neque enim facultas valida, & pinguis ei inest, ut ex eo semen condensari queat. Ubi vero temporis successu soliditatem majorem acceperit, & firmiores radices egerit, tunc jam etiam venas amplas, cum superiore, tum inferiore parte obtinet: tuncque sane ex terra non amplius aquosum adtrahit, sed crassius, pinguius ac copiosius; quodque a sole calefactum, in extremitates effervescit, & fructus nascitur cum eo, ex quo ortum est, cognationem habens; multusque ex modico propterea fit, quod, quæ e terra nascuntur, singula copiosiorem ex ea vim trahant, quam ex quo orta sunt, neque secundum unum, sed secundum multa effervescunt; quo ex fervore prodiens fetus planta sua nutritur, quæ, quicquid ex terra trahit, in fructum transfert. Sol autem ab ipso aquosum ad se alliciens, fructum coquit, & solidiorem reddit; atque hæc a me quidem dicta sunt de his, quæ ex semine de terra, & aqua producuntur. At de plantatis in terram surculis ex arboribus, aliæ arbores hunc in modum producuntur. Ramus in infima ad terram parte, qua ab arbore evulsus est, vulnus habet, & unde radices prodeunt, quod hoc fit modo. Quum planta in terram defixa, ab ea humorem accepe-

rit, tumefcit, & fpiritum concipit, quod non facit pars terræ fupereminens. Spiritus autem & humor, collecta in inferiore plantæ parte, vi efficiunt, ut quod graviffimum eft, deorfum erumpat, ex eoque teneræ radices oriantur. Quod quum inferiore parte acceperit, tunc fane ex radice attractum humorem ei parti, quæ fupra terram eminet, tranfmittit; tuncque certe fuperiore parte intumefcit, & fpiritum concipit, & collecta facultas, quantumcunque in planta levis ineft, verfa in folia germinat, jamque tam fuperiore, quam inferiore parte incrementum capeffit. Sic jam contrario modo in germinatione, quæ ex femine, & quæ ex plantariis, contingit, proveniunt; prius enim ex femine folium furfum oritur, deinde radices deorfum demittuntur. At arbor primum radices agit, deinde folia accipit, propterea quod in ipfo femine humoris copia ineft, & ei, quod terræ mandatur, toti alimentum confert, quod primum folio fuppetat, unde folium nutriatur, donec radices jecerit; id autem in ramo non fic contigit. Non enim ex alio nafcitur, unde folium primum alimentum habeat; verum ramus ipfe eft, & velut arbor fe habet, ejufque multa pars fupra terram prominet; quare quum fupra terram emineat, humore repleri nequit, nifi ex inferioribus partibus magna vis quædam procedens ad fuperiora humorem diftribuat. Et primum neceffe eft plantarium e terra fibi ad radices alimentum fubminiftrare, deinde fic a terra attractum furfum emittere, indeque folia erumpere, & increfcere. Quum autem planta increverit, ea, quam referam, cauffa neceffaria ramos fpargit; ubi multum humoris e terra adtracti acceſſerit, præ copia erumpit, qua parte quam plurimus fuerit, illicque planta ramos emit-

tit. Increſcit autem & in latum, tum ſupra, cum infra; propterea quod terræ inferiora hyeme quidem ſint calida, æſtate vero frigida. Id autem ea de cauſa contingit; quoniam terra hyeme aquis e cœlo decidentibus madet, & præ humoris gravitate in ſeſe comprimitur; ideoque denſior evadit, & nullam prorſus tranſpirationem habet. Non enim amplius magna raritas adeſt, ideoque terræ inferior pars hyeme calida eſt. Nam & fimus conſtipatus in ſe calidior eſt, quam qui rarus eſt, prætereaque humecta quidem, & compreſſa a ſeipſis concaleſcunt, & brevi a calore exuſta putreſcunt; non enim, quum denſa ſint, per ea ſpiritus permeare poteſt. Si vero ſicca fuerint, ac rara, multo minùs incaleſcunt, & putreſcunt. Sic vero & triticum, & hordeum humida, & madefacta, intus calidiora ſunt, quam ſi ſicca fuerint, & rare poſita. Quin & veſtes pelliceæ vehementer colligatæ, & compreſſæ, a ſe ipſis exuruntur, velut ego vidi, non ſecus ac ſi igne conflagrarint. Sed & ſi quis alia conſiderare velit, is ea, quæcunque a ſeipſis compreſſa ſunt, omnia calidiora comperiet, quam quæ laxius ſunt compoſita; non enim habent, unde frigus a ventis inſpirent. Sic autem & pars terræ inferior, quum plena ſit, & a ſe comprimatur, nimirum gravis, ac denſa cum ſit, ab humiditate in hyeme incaleſcit, cum nullam prorſus habeat caloris perſpirationem. Verum poſteaquam de cælo aqua in ipſam delapſa fuerit, quum ſpiritus prodierit ab ipſa in terra, non ulterius penetrat; quippe cum denſa ſit terra, ſpiritus retro ad aquam abit. Eamque ob cauſam & fontes, & mare hyeme, quam æſtate, tum calidiores, cum copioſiores ſunt; namque ſpiritus, dum exhalat, retro abit ad aquam, cum terra denſior ſit, & per ſe ſpi-

ritum non transmittat; & aqua uberior cum est, quocunque fertur, eo prorumpit, viamque sibi ampliorem facit, quam si modica esset; neque enim aqua in terra consistit, sed semper in declive fertur. At si spiritum ex aqua provenientem terra per hyemem transmitteret, paucior ex ipsa aqua prodiret, neque per hyemem fontes copiosi forent. Atque ista omnia eo a me dicta sunt, quo terræ inferiora hyeme, quam æstate, calidiora esse constet. Nunc autem dicere volo, quod pars terræ inferior æstate, quam hyeme, frigidior esse videatur. Terra æstate rara est, & levis, nimirum quum sol vehementius irruat, & omnem ad se ex ea humorem adtrahat. Aquam autem plus, minusve terra semper in se continet: spiritus vero omnes nobis oriuntur ab aquis; quod ita se habere, ut conjicere possis, demonstrabo. Ab omnibus enim fluminibus, & nubibus semper spiritus prodeunt. Sunt autem nubes aqua in aere continua, ac tunc sane terra per æstatem rara est, & levis, aquamque in se continet, & aqua in declive profluit; aqua vero decurrente, alius ex alio spiritus inde semper exhalat. Qui vero exhalat, per terram levem, & raram fertur, terramque ita refrigerat, ut simul quoque aqua perfrigeretur. Sic autem se res habet. Quemadmodum si quis aquam utre contentam vehementer premat, & per acus puncturam, vel paulo minorem, aquæ perspiramentum exhibeat, utremque ipsum in sublimi suspendat, spiritus quidem nullus; sed aqua tantum per foramen prodibit, quod amplum satis spatium, quo exhalet, aqua non habeat. Sic sane aqua in terra per hyemem se habet. At si, utre sublimi suspenso, aquæ in eo contentæ amplius spatium concesseris, per foramen spiritus exibit. Spatium enim amplius, quo per

per utrem exeat, aqua mota habet, eamque ob causam per foramen spiritus pervadit. Sic sane per æstatem in terra aqua se habet. Amplum enim satis locum ob terræ raritatem obtinet, quodque sol ab ea ad se humorem adtrahit, ipsaque terra spiritum frigidum ab aqua excitatum, quum rara sit, & levis, per se transmittit. Ideoque pars ejus inferior æstate frigida est, quin & aqua multo magis, quam spiritus in terra frigidus, ipsaque in sese, & in terram spiritum immittit. Simul quoque aquam, quæ ex puteo hauritur, semper spiritus, velut flabellum agitat, qui & aquæ frigiditatem inducit. Quæ vero non hauritur æstate, sed immota manens densatur, ea neque perinde, ut illa, spiritum a terra in sese suscipit, neque ex sese in terram transmittit; simulque a sole, & aere per puteum minime disperso, sed stabili manente, summa ejus superficie primum incalescit: deinde altera pars alteri, ad imum usque, caliditatem communicat. Eaque causa est, cur aqua, quæ æstate non hauritur, ea, quæ hauritur, sit calidior. Quin & fontes multum profundi, æstate semper frigidi sunt: & aqua ex iis per hyemem hausta, quando terra calet, ex illa statim quidem calida est; intercedente vero tempore frigida est, ab aere scilicet frigido refrigerata; a vento quippe rarefit, & per eam spiritus percolatur. Quemadmodum etiam aqua per æstatem, simul ac hausta fuerit, frigida est; eamque ob causam calescit: refrigeratur siquidem, quod terra rara sit, & spiritum in se contineat. At postquam hausta fuerit, si tempus intercedat, quia immota manet, calida conspicitur. Incalescit siquidem ab aere calido, ut & putealis aqua per æstatem; quæ non hauritur, ob id ipsum calida redditur. Ac ista quidem hac de

re a me dicta sunt. Rursus autem repetam, quod inferior terræ pars æstate frigida est, hyeme vero calida. Superior autem terræ pars contrario se habet modo; neque arbori opus est, si modo valere debeat, geminum simul calorem, aut frigus adesse; verum si ex superiore quidem parte calor accesserit, ex inferiore frigus accedere oportet; contraque, si ex superiore parte frigus accedat, ex inferiore calorem ipsi contingere necesse est. Ac radices quidquid adtraxerint, arbori communicant, arborque radicibus; sicque calidi, & frigidi (mutua) fit dispensatio. Quemadmodum homini, ingestis in ventriculum cibis, qui dum concoquuntur, calefaciunt, refrigerationem a potu reddi oportet; sic & arbori contrarium rependi oportet, ex imis ad summa, & vice versa. Ideoque cum in superiorem, tum inferiorem partem arbor increscit, quod alimentum ex inferiore, & superiore parte capessat. Et quamdiu tenella admodum fuerit (arbor) fructum non profert. Non enim facultas illi pinguis, & crassa inest, quæ ad fructum satis esse possit. Procedente vero tempore, tunc jam in ipsa ampliores venæ effectæ, in eam ex terra pinguem, & crassum (humoris) fluxum moliuntur; sol autem ipsum diffundens, effervescere facit in summa parte, utpote quæ levis sit, fructumque proferre: ac ab eo fructu tenuem quidem humorem deducit, crassiorem vero concoquens sol, & calefaciens edulcat. Quæ vero arbores fructum non ferunt, non tantum habent in se pinguedinis, quantum in fructum est expendendum. Omnis autem arbor, quum per tempus solida facta fuerit, & inferne radices ceperit, jam penitus constanter crescere desiit. At vero arbores, quæ ex aliarum inoculatione proveniunt, eæ non illarum similem, in quas insitæ

ſunt, fructum ferunt. Id hoc modo fit. Contingit oculo primum quidem germinare: alimentum enim habuit, primum quidem ab arbore, a qua avulſus eſt; deinde vero ab ea, in quam inſitus eſt. Ubi autem germinaverit, ſi tenues ex ſe radices in arborem demittit, primumque arboris humore, in quam inſitus eſt, fruitur. Deinde temporis acceſſu radices in terram demittit, per eam, in quam inſitus eſt, & adtracto e terra humore fruitur, indeque ipſi alimentum eſt; utproinde minime mirum ſit, inſitas arbores alios fructus ferre; nam a terra vivunt. Hæc mihi de arboribus, & fructibus iſtam ob cauſam dicta ſunt, quod imperfecta oratio relinqui a me non debuerit.

CAPUT IX.

Ex matris valetudine puerum bene, vel male habere: de fetus in utero ſitu, reſpiratione per umbilicum, ſimilitudine cum ovi incubatu, partu decimo menſe, & ultra, & non ultra decimum, & cur ante decimum, ac de conceptu a menſtruali purgatione facili.

AT vero ad eam iterum orationem revertar, cujus gratia iſta a me dicta ſint. Etenim quæ ex terra naſcuntur, ea omnia ex terræ humore vivere adſero, & qualem terra humorem in ſe ipſa habet, talem etiam naſcentia ex ipſa habere. Sic & puer in utero ex matre vivit; & ut valet mater, ita & puer ſe habet. Quod ſi quis, quæ de iſtis dicta ſunt, ab initio ad finem uſque conſiderare velit, is eorum, quæ e terra naſcuntur, & hominum naturam univerſam ſi-

milem esse comperiet. Et hæc mihi hactenus dicta sunt. At vero puer, quum in utero est, manibus ad genas adhæret, caputque pedibus proximum habet; neque certo dignoscere datur, etiamsi puerum in utero videas, utrum caput sursum, an deorsum vergat. Verum, quæ eum sustinent membranæ, ex umbilico protenduntur. Nunc vero rationem explicabo, quam paulo antea me demonstraturum dixi, quæ, quantum humanum ingenium consequi potest, aperta est iis omnibus, qui ea de re nosse volent, quod genitura in membrana sit, & in ejus medio umbilicus exstet, per quem primum illa spiritum ad se adtrahit, & foras emittit, quodque ex umbilico membranæ protenduntur. Quin & aliam pueri naturam, quam dixi, sic totam se habere ad usque finem comperiet, quomodo a me in his sermonibus declaratum est; si quis his argumentis, quæ a me proferentur, uti volet. Si quis enim ova viginti, aut etiam plura, gallinis duabus, aut pluribus, ut excludantur, supponat; & singulis diebus, a secundo exorsus, ad ultimum usque, quo excludetur pullus ex ovo, subtrahat, frangat, diligenter inspiciat, is eo, quo dixi, modo, omnia se habere deprehendet, ut oporteat avis naturam cum humana conferre. Ex umbilico enim membranas protendi, aliaque omnia, quæ de puero dicta sunt, ab initio ad finem eodem se habere modo in ovo gallinaceo comperies. Quanquam, qui hæc nondum observavit, is in ovo gallinaceo umbilicum inesse mirabitur. Atque hæc sic se habent, eaque sic a me relata sunt. Quando vero mulieri partus instat, tunc se movente puero, & manibus ac pedibus se jactante, membranam quandam internam abrumpi contingit. Rupta autem jam una, etiam ceteræ imbecilliores fiunt,

primumque rumpuntur, quæ illam contingunt; deinde postrema. Ruptis autem membranis, tunc fetus vinculo exsolvitur, & agitatus foras prodit. Neque enim laxatis membranis quicquam amplius virium habet, neque uteri puerum amplius continere possunt, laxatis, uti dixi, membranis, & ab ipsis abruptis. Et membranæ, quæ puerum circumplectuntur, non admodum magna vi utero adhærescunt. Quum vero puer prodit, utero dilatato, qui mollis est, vi sibi viam aperit, & in caput fertur, si secundum naturam prodierit. Gravissimæ enim ei sunt superiores partes, ex umbilico libratæ. Quamdiu autem in uteris manet, validior semper evadit adusque membranarum disruptionem decimo mense, quando matri partus instat. Si vero violentum affectum perpetiatur puer, etiam ante præfinitum tempus ruptis membranis foras prodit. Quin etiam si alimento a matre prius destituatur, sic quoque ante tempus matri partio ingruit, & ante decimum mensem puer egreditur. At vero, si quæ ultra decem menses utero gestare sibi visæ sunt, (quod jam sæpe audivi) eæ hoc, quem referam, modo deceptæ sunt. Quum uteri a ventre flatum suppeditante spiritu distenduntur, & intumescunt (id enim contingit) tunc mulieres se concepisse existimant. Et si menses minime prodeuntes in uteris collecti fuerint, longioremque moram fecerint subinde alii eo confluunt, interdum quidem flatibus, qui a ventre procedunt, permixti, interdum vero incalescentes. Tunc quoque sane non prodeuntibus mensibus, & in tumorem sublatis uteris, mulieres utero sibi gestare videntur. Deinde quandoque menses sua sponte erumpunt, aut aliis supervenientibus a corpore in uteros, & priores protrudentibus, etiam flatus egreditur:

ac multis jam ſtatim poſt menſtruam purgationem uteri dehiſcunt, & ad pudendum convertuntur, atque eo tempore cum viris congreſſæ, eodem ipſo die, vel paulo poſt, concipiunt. Atque harum rationum ac rerum ignaræ, eo tempore ſe concepiſſe reputant, quo menſes ſuppreſſi erant, & uteri intumuerant. Cur autem non longiore, quam decem menſium ſpatio, fetum utero geſtari contingat, referam. Poſt exactos decem menſes, ubi fetus grandior eſt, alimentum & incrementum, quod a matre demittitur, non amplius puero ſufficere poteſt. Quod enim in ſanguine dulciſſimum eſt, ad ſeſe adtrahit, ſimulque aliquantula lactis portione fruitur. Quæ, quum ipſi pauciora fiant, puerque jam plenior factus, plus alimenti, quam adſit, requirat, ipſe ſeſe jactans, membranas diſrumpens (initium partus matri inducit). Idque frequentius experiuntur mulieres, quæ primum pariunt. Deficit enim pueris alimentum, ut ad decimum uſque menſem ſatis eſſe non poſſit. Quod ad hunc modum deficit. Mulieribus quibuſdam quidem menſtruæ purgationes abundantes, quibuſdam pauciores ſunt. Quod ipſum ſi ſemper fiat, in natura, & in genere, ipſis uterinum eſt. At quibus pauciora menſtrua effluunt, hæ pueris quoque ſub poſtremum tempus, ubi jam auctiores fuerint, cum parcius alimentum ſuppeditent, eos, ut jactentur, cogunt, & ut ante decimum menſem prodeant, compellunt. Paucus enim ſanguis ab ipſis procedit: ut plurimum vero eas mulieres, quæ pauca menſtrua demittunt, ſine lacte eſſe contingit; ſicciores enim ſunt, & denſiore corporis habitu. Quod vero deficiente alimento fetus exeat, etiamſi nulla violenta affectio ipſi accidat, hoc argumento comprobatur.

CAPUT X.

De avium generatione ex ovi vitello: ovum ſpiritum tranſmittere; pullos viginti diebus excludi: de partus avium cum homine analogia: de partu facili, difficili, & laborioſo; & umbilicum poſtremum edi.

AVis ex ovi vitello naſcitur hoc modo: incubante matre, ovum incaleſcit, & quod in ovo ineſt, a matre movetur; caleſcens autem, quod ovo ineſt, id ſpiritum concipit, & alium frigidum ab aere per ovum adtrahit. Ovum enim adeo rarum eſt, ut adtractum ſpiritum ſatis copioſum ei, quod intus eſt transmittat: & increſcit avis in ovo; & eodem prorſus, conſimilique modo articulatur, velut puer, uti jam antea a me dictum eſt. Procreatur autem avis ex ovi vitello; alimentum vero & incrementum ex eo habet, quod in ovo eſt candidum. Quod omnibus, qui animum adverterint, conſpicuum eſſe poteſt. Quum autem alimentum ex ovo pullo deficit, neque ſatis ei ſuppetit, unde vivat, copioſius alimentum quærens, vehementer movetur in ovo, & membranæ circumcirca diſrumpuntur. Et ubi avis pullum vehementer moveri ſenſerit, putamen tundendo excavans, ipſum excludit. Atque hæc intra viginti dies contingere ſolent, idque ita ſe habere manifeſtum eſt. Nam ubi volucris ovi putamina roſtro contuderit; nihil penitus humoris, quod alicujus ſit momenti, in eo ineſt, quod totus in pullum abſumptus ſit. Sic etiam quum puer increverit, mater ei ſufficiens alimentum amplius ſuppeditare non poteſt. Plus

itaque alimenti, quam quod adſit, fetus quærens, ſeſe jactando membranas diſrumpit, ſimulque vinculis ſolutus foras prodit. Atque iſta, ut longiſſime, decimo menſe contingunt. Eaque eſt ratio, cur brutis & feris eo ipſo tempore, quo quæque parere conſuevit, nec tardius, partus ingruat. Unicuique enim animanti tempus eſſe neceſſe eſt, in quo fetui parcius alimentum ſuppetat, ac deficiat, tumque partus inſtet. Et quæ quidem minus alimenti fetui ſuppeditant, celerius pariunt; quæ vero uberius, tardius. Atque de his quidem hactenus. Puer autem, ubi circumcirca diſruptæ ſunt membranæ, ſiquidem ſuo momento in caput magis inclinet, facile mulier parit. Quod ſi in latus, aut in pedes prodeat, (id enim ſæpius contingit, ſi illuc momentum vergat, vel propter uteri amplitudinem, vel ſi mater in ipſo partus dolore primum non quieverit) ſi ſic, inquam, prodeat, difficilem partum mulier ſentiet. Jam vero ex his ſæpe, vel ipſi fetus, vel una etiam cum ſuis fetibus matres periere. Ex puerperis autem præcipue laborant, quæ primos partus experiuntur, eo, quod doloribus non aſſueverint: & totum quidem corpus dolor occupat; præcipue vero lumbos, & coxendices; nam coxendices ipſis diducuntur: quæ vero magis partus expertæ ſunt, minores dolores ſentiunt, quam quæ primum pariunt. At quæ multoties peperere, omnium minime dolent. Quod ſi fetus in caput feratur, primum caput foras prodit: deinde alia membra conſequuntur; poſtremus eſt umbilicus, ex umbilico autem ſecundinæ dependent. Poſt hæc humor exit cruentus, a capite, & reliquo corpore vi doloris, & caloris ſecretus, qui viam partus purgamentis facit. Poſt exitum autem ſaniei, purgatio procedit,

quo ante dictum est tempore. Et cum mammæ, tum aliæ partes humidiores, mulieribus concidunt, minimum quidem in primo partu; ac in aliis deinceps, quo plures partus expertæ sunt, eo magis flaccescunt, venis a puerperii purgamentis evacuatione exinanitis. Atque ista a me hac de re dicta sunt.

CAPUT XI.

Quomodo gemelli cum mares, tum feminæ, ac fetus multiplices generentur.

GEmelli autem ex uno coitu procreantur ad hunc modum. Uteri sinus plures & incurvos habent, hos quidem longius distantes, illos vero pudendo viciniores. Et ex animalibus, quæ plura gignunt, plures sinus habent, quam quæ pauca; similiter autem habent & pecora; feræ & volucres. Quum genitura ad duos sinus divisa pervenerit, eamque uteri receperint, neque sinus alter ad alterum hiaverit, ea utroque sinu separata, membrana vestitur, vitamque eo modo accipit, quo & unus fetus, de quo hæc diximus. Quod vero ex uno congressu gemini procreentur, hoc argumento constat. Canis, sus, & alia animalia, uno coitu duos & plures fetus pariunt; quorum quisque in utero suo sinu & membrana conditur. Atque hæc ipsi contingere cernimus, eosque omnes eodem ut plurimum die parere. Sic autem in muliere, ex uno veneris complexu nati gemelli, uterque suo sinu & involucro conditur, & eadem die in lucem prodit, alterque prius cum suo involucro foras egreditur. Quod autem ex

gemellis unus mas ſit, alter femina, (ideo contingere) adſevero. In muliere, & in viro, & in quovis animalium genere, in unoquoque cum imbecillior, tum valentior genitura ineſt; neque ſemel ac ſimul genitura prodit, ſed & bis, & ter fervens effunditur: neque fieri poteſt, ut quæ prius, & quæ poſterius exit, ejusdem ſint roboris. Quemcunque ergo ſinum craſſior, validiorque genitura ſubierit, in eo mas procreatur; quemcunque vero humidior, ac imbecillior, in eo femina generatur. At ſi in utrumque valida ſubeat, ambo mares naſcuntur: ſin debilis in utrumque, ambo femellæ. Atque omnis iſta oratio, ad hunc expoſita modum, ad finem perducta eſt.

HIPPOCRATIS LIBER DE SEPTIMESTRI ET OCTIMESTRI PARTU.

PRÆFATIO.

Neque GALENI *tempore pro duobus libris habebantur*, FOESIO *teſte. Ex hoc cæterum ſpurio libello, derivatur illa diu dominatrix opinio, fetum robuſtiorem ſeptimo menſe partum moliri vitalem: ſi non potuerit in lucem eniti, ægrotare per quadraginta dies, & poſt nonum demum*

menſem abſolutum prodire: ſi in eo temporis intervallo naſcatur, debilem eſſe neque vitalem: etiam novimeſtres vix vitales eſſe, meliores decimeſtres dari & undecimeſtres. Ita porro graviditatem per quadragenaria tempora Auctor dividit: primo ait abortum maxime fieri, etiam partum optimum eſſe, quando fetus in caput enititur, & ante partum eumdem in caput ſe convertere. Secundæ claſſi tribuit MERCURIALIS, *ut quem* GALENUS *ſæpe citet.* FOESIUS *pro genuino habet, etſi* EROTIANO *non eſt dictus.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Septimeſtris partus quot dierum numero perficiatur, & cur vitalis? ſeptenarii numeri in menſibus ac diebus vis ac præſtantia; de octimeſtri partu, nonimeſtri ac decimeſtri partu nonnulla; ac de maſculi & feminei fetus perfectionis tempore.

CAPUT I.

De partus ſeptimeſtris diebus ac menſibus; cur vitales ſeptimeſtres & multi pereant?

SEptimeſtres naſcuntur diebus centum & octoginta duobus (ac dimidio) & inſuper addita quadam diei particula. Si enim primi menſis dies quindecim ſupputaveris, quinque vero menſium dies centum quadraginta ſeptem & dimidium (ſexaginta namque diebus, uno dempto, fere duo

menſes conſtant) his ſic ſe habentibus, ad ſeptimum menſem ſuperſunt dies plus quam viginti, quod eſt anni dimidium, una cum aliquantula parte ad diei partem accedente. Quum fetus ad hoc perfectionis principium devenerit, & robur increverit, ipſo jam perfecte aucto magis quam cæteris temporibus, membranæ, in quibus jam inde ab initio nutritus eſt, elaxantur, uti ſpicarum membranæ, ad id vi impulſæ, antequam fructus perfecte maturuerit, & fetus quidem robuſtiſſimi & pleniſſimi, vi illata membranas dilacerant, partumque accelerant, & ex his plerique perierunt. Nam quum parvi ſint, majorem quam cæteri patiuntur mutationem, & ex utero egreſſi per quadraginta dies ex neceſſitate male afficiuntur, quod etiam multos decimo menſe natos interemit. Ex his autem, ſeptimo menſe natis, ſuperſunt quidam, ex multis pauci, propterea quod ratio & tempus, quo enutriti ſunt in utero, effecit, ut ea omnia conſequantur, quorum etiam perfectiſſimi, & qui maxime ſuperſtites evadunt, compotes fiunt; tum etiam quod permutationem ſenſerunt, prius a matre in lucem emiſſi, quam octavo menſe ægrotarent. Etenim ſi hos labores ſuperant, ita ut in lucem puer prodeat, is tamen ſupereſſe nequit ob commemoratas affectiones, quas octavo menſe, multos quoque decimo natos, interimere affirmo. Multi autem fetus ejus ætatis, quæ eſt ſeptem menſium, quum laxatis membranis in id, quod cedit, ſecedunt, ibique alimentum capiunt, primis quidem quadraginta diebus, hi quidem magis, alii minus laborant. Ac propter migrationem ex locis in quibus alebantur, alterationem ſentiunt, & quia umbilicum vulſere migrando, tum etiam propter matris labores. Membranæ namque dum tenduntur, & umbilicus vel-

licatur, dolores matri faciunt, fetusque priſtino vinculo exſolutus gravior evadit. Pleræque etiam mulieres ex hoc caſu inſuper febre corripiuntur, quædam quoque una cum fetu pereunt: verum omnes hac febre paucis diebus tentantur.

CAPUT II.

De difficili tum fetus octimeſtris geſtatione, tum partus dignotione, & prænotione; fidem de partu mulieribus adhibendam eſſe, & abortus fieri quadraginta primis diebus plurimos.

AT vero ſe uteros difficillime geſtare octavo menſe recte dicunt. Eſt autem octavus menſis, non ſolum tempus hoc, verum etiam ſi dies a ſeptimo menſe, & a nono, & ab ipſo anno accedunt. Verum dies eodem modo, neque dicunt, neque cognoſcunt mulieres. Ex eo enim decipiuntur, quod neque eodem modo ſe habent, verum etiam, quod quandoque plures dies a ſeptimo ad quadraginta accedunt, quandoque vero a nono. Sic enim pro ratione menſis ac temporis, in quo mulier conceperit, contingere neceſſe eſt. At menſis octavus minime ambiguus eſt. Per hunc enim contingit, ut judicatio facilis ſit. Mea ſententia partus etiam undecimus menſis eſt, licet non admodum memoratu dignus; mulieribus autem de partubus fides habenda eſt. Nam & omnia narrant, ſemperque dicunt, & ſemper proferunt. Neque enim aut opere aut ſermone ſe perſuaderi ſinunt, ſed ex eo, quod in ſuis corporibus contigiſſe norunt. Etſi vero volentibus aliud dicere licet, quæ tamen decernen-

di, aut de hac ſententia pronuntiandi victoriæ poteſtatem habent, ſemper proferent & affirmabunt ſeptimo menſe, & octavo, & nono, & decimo, & undecimo, partus in lucem prodire, & ex his octavo menſe natos minime ſupereſſe. Quin & abortus plurimos primis quadraginta diebus contingere aſſeverabunt, & cætera quæ in quadragenariis ac ſingulis menſibus evenire conſcripta ſunt. Quum vero ſeptimo menſe pelliculæ diſrumpantur, & fetus ceſſerit, labores, qui circa octavum menſem, & circa ſextum quadragenarium fieri traduntur, corripiunt. Hoc autem tempore elapſo, quibus partus feliciter ſucceſſurus eſt, inflammationes tum fetus, tum matris diſſolvuntur, adeo ut venter emolliatur, tumorque ab hypocondriis & laterum inanitate in loca inferiora deſcendat, ad aptam converſionem, quæ facilem partus progreſſionem faciat. Et ſeptimo quadragenario plurimo tempore fetus illic permanent. Nam & loci ipſis molles ſunt, & tranſmotiones ipſis faciliores & frequentiores contingunt, ideoque ad partum expeditiores redduntur. Et ex toto quadragenario, per ultimos hos dies mulieres facilius uteros ferunt, quoad fetum converti contigerit. Poſtea vero partus dolores & labores incumbunt, donec puero & ſecundis mulier liberetur.

CAPUT III.

Octavum menſem, fetum cæcum ac mutilum gerentibus difficiliorem eſſe; ejuſmodi fetum, non autem alios ſupereſſe. Qui fetus nono menſe ac decimo vivant? unde corporis magnitudo?

QUæ vero mulieres multos pueros pepererunt, in quibus aliquis claudus, aut cæcus, aut

alio quopiam malo affectus fuit, eæ affirmabunt se in his gestandis pueris octavum mensem molestius tulisse, quam in his, quos nullo modo male affectos pepererunt. Mutilus enim fetus octavo mense vehementer ægrotavit, adeo ut etiam morbus abscessum fecerit, quemadmodum & viris morbi gravissimi facere consueverunt. At fetus, qui alio tempore vehementer ægrotarint, ii prius intereunt, quam ipsis ejusmodi abscessus fiat. Octimestres autem fetus, qui non valde ægrotant, sed una quapiam parte propter migrationem male affecti sunt, eorum plerique per quadraginta quidem dies, ob commemoratas causas necessarias, in utero male se habent, verum sani evadunt. Qui vero intra hos quadraginta dies natus fuerit, is superesse nequit, cum huic adhuc in utero ægrotanti, post partum mutationes, & afflictiones præterea accedant. At qui in utero ægrotans ad nonum mensem pervenerit, eoque editus fuerit, is quidem superesse poterit, non minus quam septimestres, quanquam etiam ex his pauci educantur. Neque enim eam habent corpulentiam, quam perfectissimi nacti sunt, & laboribus quos in utero non ita pridem pertulerunt, conflictantur, ita ut tenues reddantur. Is vero potissimum fetus servatur, qui nono mense exeunte in lucem editur. Validior autem evadit, plurimumque abest a morbis, qui octimestribus contingere consueverunt. Qui enim septimo quadragenario in lucem eduntur, decimestres appellati, hanc ob causam præcipue educantur, quod validissimi sunt, plurimumque absunt ab commemoratorum puerorum tempore, in quo circa octavum mensem diebus quadraginta ægrotantes, male habent. Quin & nonimestres tenues editi in lucem, eorum qui octavo mense nati sunt,

morbos & affectiones declarant. Quamvis enim pro temporis longitudine corporis magnitudo existit, prodeuntes tamen ex morbosa affectione, neque eduntur carnosi, neque vegetam habent corpulentiam, velut septimestres, qui gestationis tempus in utero sine morbis peregerunt.

CAPUT IV.

De diebus ac mensibus judiciariis, ac decretoriis conceptionis, abortus, partus.

AT vero mulieribus fetuum conceptiones, & abortiones, & partiones, eodem tempore judicantur, quo & morbi; & sanitas, & mors cunctis hominibus contingunt. Sed istorum omnium alia quidem diebus, alia mensibus, alia dierum quadragenariis, alia annuo spatio de se significationem præbent. In his enim omnibus temporibus multa quidem cuique conferentia, multa quoque adversa insunt. Ex quibus quæ conducunt, sanitatem & incrementa; contraria vero morbos & mortem adferunt. Dies igitur inter alios maxime insignes sunt primi & septimi, ac multum quidem in morbis, multum etiam in fetibus possunt. Abortiones enim plurimæ his diebus contingunt; tales vero effluxiones nominantur, non abortus. Reliqui autem dies intra quadragesimum, minus quidem insignes sunt, multi tamen decernunt. In mensibus vero omnia, quæ in diebus contingunt, eadem ratione. Et singulis mensibus bene valentibus mulieribus menstrua comparent, tanquam peculiarem in corporibus vim mensis habeat. Ex quibus sane septimi menses in prægnantibus, fetibus perfectionis initium afferunt.

adferunt. Pueris vero, ubi septem menses adtigerunt, tum alia eximia in corporibus fiunt, tum eo tempore dentes apparere incipiunt. Eadem quoque est ratio dierum judicatoriorum, si quis forte ea quæ a me dicta sunt, quæque cognitionis gratia dicentur, istis accommodare velit. Etenim Medicum, qui de ægrorum salute recte conjectare volet, animadvertere oportet, ut omnes impares quidem dies in contemplationem adhibeat; ex paribus vero decimum quartum, & vigesimum octavum, & quadragesimum secundum. Hic enim terminus pro harmoniæ ratione, & integer perfectusque numerus a quibusdam ponitur: quam vero ob caussam, longum foret in præsentia referre. Ad hunc autem modum per terminos aut quaternarios contemplari oportet, ternariis quidem omnibus copulatis, quaternariis vero duobus ad duos connexis; & duobus ad duos conjugatis.

CAPUT V.

De quadragenarii Primi; & Secundi; & Tertii viribus, ac de Morte.

AT vero quadragenariæ primum quidem in fetibus judicant. Qui vero primos quadraginta dies superaverit, is abortiones, quæ ex omni caussa contingunt, effugit. Plures autem primis quadraginta diebus, quam aliis omnibus, abortiones fiunt. Quo tempore præterito, fetus valentiores existunt, & singula corporis membra discernuntur. Et in maribus quidem valde manifesta fiunt omnia. In feminis vero per hoc tempus carnes conspicuæ sunt, protuberantias tan-

tum habentes. Longiore enim tempore ſimilia in ſimilibus ſimiliter ſe habent, & propter familiaritatem ac amicitiam tardius diſcernuntur. Etſi in cæteris, ubi a matre ſejunctæ fuerint, puellæ citius quam pueri pubeſcunt, ſapiunt & ſeneſcunt, propter corporum imbecillitatem, & victus rationem. Altera vero eſt quadragenaria, in qua per octavum menſem fetus in utero ægrotant, de quibus hæc tota oratio ad hunc modum eſt inſtituta. Tertia vero, in qua, ſi naſcuntur pueri, licet male affecti, ſi quadraginta dies evaſerint, valentiores ſane magisque intelligentes eſſe videntur. Nam & ſplendorem plenius intuentur, & ſtrepitum audiunt, quum antea non poſſent, tanquam hoc tempus plurimum conferat, tum ad alia, tum ad intelligentiam, quæ in corpore ineſſe percipitur. Singularem ſiquidem intelligentiam in corpore ineſſe prima ſane die conſtat. Nam & in ſomnis pueri ſtatim ubi nati ſunt, & ridere & plorare conſpiciuntur. Quin etiam ſponte vigilantes ſtatim rident, ac plorant, etiam priusquam diem quadrageſimum attigerint. Neque vero tacti aut irritati ante hoc ipſum tempus rident; hebetantur enim vires mucorum copia. Quin & mors fatali ſorte contingit. Quod omnibus documento eſt, omnia quæ exſiſtunt, ex iisdem natura conſtare, & mutationes per congruentia tempora obtinere. Quod ex ſingulis manifeſtum fit, quæ partim oriuntur, partim decedunt. Anno porro volvente multi quidem morbi, multæ etiam ſanitates contingunt, pro temporis ratione, quam habent menſes aut dies ſinguli ad ſeptenarios. Quin etiam multa alia eximia in corporibus fiunt, pueris vero dentes excidunt, & alii naſcuntur. Quæ enim corporibus accidunt, hæc a me ſcribentur.

HIPPOCRATIS
DE OCTIMESTRI PARTU
LIBER.

ARGUMENTUM LIBRI.

Octimeſtris partus cur minime vitalis; decimeſtris frequentiſſimus; fetus quomodo ſecurius alatur; de umbilico quædam, de menſtruis purgationibus, & de undecimo partus menſe. Partem proxime prioris eſſe diximus.

CAPUT I.

Cur octimeſtris partus non vitalis, ſed decimeſtris; de multiplici fetus periculo; ac partum in caput procumbentem ſecuriorem eſſe.

De octimeſtri vero partu, fieri non poſſe adſevero, ut duas continenter conſequentes afflictiones pueri perferre queant proindeque octimeſtres minime ſupereſſe. Hic etenim accidit, ut ea quæ in utero eſt, & ea quæ in partu fit, afflictione conſequenter laborent, proptereaque octimeſtris nullus eſt ſuperſtes. Quin & decimeſtres nuncupatos, ſeptem dierum quadragenariis potiſſimum, in lucem edi ſentio, maximeque ut educentur, convenire. Et perfectiſſimus fetus eſt primis quadraginta diebus; ſi vero plures acceſſerint, perit. Quum enim multa pro tempore ad-

ſumere coguntur, eos multum ægrotare neceſſe eſt, ex quibus mors conſequitur. Puer autem, quum partus inſtat, laborare incipit, & in vitæ periculum venire, quum in utero vertitur. Producuntur ſiquidem omnes caput habentes ſurſum; in lucem vero prodeunt in caput multi, ac multo ſecurius liberant, quam qui in pedes educuntur. Neque enim corporis flexiones puerum in caput procedentem impediunt. Verum ubi in pedes erumpit, obturamenta magis contingunt. Quin & converſiones in utero aliud creant periculum, & puerorum umbilici jam ſæpe circa colla implicati conſpecti ſunt. Ad quamcunque enim partem umbilicus in utero ſe extenderit, per hanc, dum umbilicus vertitur, puer caput potius circumaget; quam ſi circa cervicem convolvatur. Quod ſi ad humerum umbilici injectio obnitatur, hoc ubi accidet, etiam matrem magis laborare, & puerum aut interire, aut difficilius exire neceſſe eſt. Quare multi jam pueri morbi initium intus nacti, in lucem prodiere; ex quo alii quidem perierunt, alii vero morbum trahentes ſuperfuerunt.

CAPUT II.

A partu pueros majores fieri, de alimentorum, locorum, & veſtimentorum mutatione periculoſa; umbilicum fetus utero adhærere, ac patere, extra uterum connivere ac claudi, & reliquas partes patere.

AT vero qui facilem & tutum exitum nacti, derepente ſublata vi, quam in utero pertulerunt, in lucem exierunt; ii craſſiores & majores

ſtatim, quam ratio poſtulet, evaſerunt: quod cum iis non incremento, ſed ex corporis laxo tumore contingat, ex his ſane multi perierunt. Niſi enim tumor citius quam tertio die, aut paulo longiore tempore ſubſidat, ex eo morbi oriuntur: quin & periculoſæ ſunt alimenti & reſpirationis permutationes. Nam ſi quid morboſum invehunt, per os, & nares inducunt. Et ut tantum alimenti adſumatur, quantum ſatis ſit, ac minime ſuperet, multo plura ingeruntur, ita ut pro ingeſtorum copia, & pro corporis pueri affectione, alia quidem tum per os, tum per nares rurſus exire cogantur; alia vero per inteſtinum & veſicam inferne tranſmitti, quum nihil tale antea contingeret Quin & loco ſpirituum & tam cognatorum humorum (cum quibus familiaritatem ac amicitiam in utero interceſſiſſe neceſſe eſt) externis omnibus utitur, crudioribus, ſiccioribus, & ad uſum humanum minus accommodatis; ex quibus multos ſuboriri dolores, pleriſque etiam mortes neceſſe eſt: quandoquidem & plerumque viris, tum locorum, tum victuum mutationes, morbos pariunt. Eadem etiam de veſtibus eſt ratio. Pro eo enim quod carne & ſuccis veſtiebantur, tepidis, & liquidis ac cognatis; iisdem quibus viri veſtibus, induuntur pueri. Umbilicus autem, per quem pueris (alimenti ac ſpiritus) ingreſſus patet, ſolus ex reliquis corporis partibus utero adhæreſcit, per quas vias eorum, quæ ingrediuntur, participes fiunt; cum reliquæ clauſæ ſint, nec prius apertæ, quam puer exitum ex utero tentarit. Quum autem in exitu fuerit, tum reliqua quidem omnia patent, umbilicus vero extenuatur, connivet, & exſiccatur. Quemadmodum enim in his, quæ ex terra oriuntur, fructus turgeſcentes ad interſtitium, ex quo enati ſunt, ſe-

cernuntur ac decidunt : ſic etiam adultis pueris & perfectis, umbilicus quidem clauditur, reliqua vero aperiuntur, tum ut ea quæ ingrediuntur, ſuſcipiant, tum exitus ſecundum naturam habeant, qui ad vitæ uſum ſunt neceſſarii. Secedunt enim ſingula, dum vergunt, quaſi turmatim collecta. Sunt autem validiſſimi fetus, qui ſolo maxime nutriti ſunt.

CAPUT III.

De decimeſtri & undecimeſtri partu, menſtruam purgationem breviſſimam eſſe trium dierum, a qua purgatione fieri conceptionem.

DEcimeſtres autem & undecimeſtres partus ſeptem quadragenariis eduntur, eodem modo, quo & dimidio anno ſeptimeſtres. Pleræque enim mulieres poſt menſtruas purgationes neceſſario concipiunt, quum ab his liberatæ fuerint. Mulieri igitur tempus menſtruum, in quo purgatio ipſa procedet, concedendum, quod ut breviſſimum tres dies implet; pleriſque autem etiam multo plures. Sunt etiam & alia multa, quæ in viris conceptiones impediunt & morantur. In his iſtud vel maxime in conſiderationem adhibendum, quod novilunium, quum dies unus ſit, prope trigeſima menſis pars eſt. Duo autem dies fere decimam quintam menſis partem conſtituunt, tres vero dies decimam menſis partem; cæteraque ad horum rationem conſideranda, quodque nec minori ſpatio menſium ſolutio contingere poteſt, neque fetuum conceptio fieri. Ex his igitur omnibus [illegible] plerasque mulieres circa plenilunium, [illegible] utero concipere, ita ut ſæpe

videantur ducenti octoginta dies undecimum mensem adtingere. Hi siquidem dies septem quadragenarios complent. Quum enim ultra plenilunium mulier concipit, hoc totum undecimum mensem adtingere necesse est, ut quidem ad extremum circuitum perveniat.

HIPPOCRATIS DE SUPERFETATIONE LIBER.

PRÆFATIO.

OMnino spurius, ut magis ad Chirurgiam spectet. Habet enim aliquos partus difficilis casus: & unguis usum in magno digito adaptati: & de fetu intra matris uterum morte, ejus signis, demum putredine, quæ superveniat. De signis tamen graviditatis aliqua etiam continet, & de sexu pueri, ex majori mamma adgnoscendo. Duo uteri cornua admittit, ita superfetationem explicat. Demum hic medica multa repetuntur ex libro de muliebribus.

ARGUMENTUM LIBRI.

De Superfetatione, fetus motu, signis, vario situ, & extractione; de remediis con-

ceptionem, geſtationem, partum, menſtrua, ſecundas, lochia, & uterum juvantibus.

CAPUT I.

De ſuperfetati prolabentis, & minime vitalis prodeuntis, minimeque tumentis, & non ſtatim excidentis, & pereuntis, etiam mulieris ſuperfetantis, & fetum facile, aut difficile parientis cauſis, ſignis, ſymptomatis.

QUUM ſuperfetarit mulier, ſi primum fetum in uteri medio contineat, ſuperfetatum a priore expulſum prolabitur. Si vero in altero cornu ſuperfetatum habeat, poſterum parit minime vitalem, poſtquam vitali fetu liberatus uterus, laxatus & humectus fuerit. Niſi vero ſuperfetatum quamprimum ſecedat, dolores excitat, fluxumque graveolentem, & febrem: & facies, tibiæque, ac pedes tument; quod ſi diſſolvatur, cibum averſatur (mulier), quoad exciderit. Superfetant autem mulieres, quarum (uteri) os poſt primum conceptum non ita valde clauditur, evidentibus ſignis: clauditur autem, ſuperfetato poſterius in lucem edito. Quod ſi nondum partium diſtinctionem habeat, ſed caro ſit, non intumeſcit quidem, verum putreſcit, donec utero exeat. Si cui ſecundæ pueri in utero exeant, priuſquam puer foras prodire incipiat, difficile parit; magiſque periclitatur, niſi caput præcedat. At ſi cui puellus cum ſecundis foras prodierit, & ad os uteri progreſſus rupto involucro exierit, ea facilius parit; & fetus quidem fo-

gas procedit, ſed ſecundæ retinentur, & ſe contrahunt, illicque manent.

CAPUT II.

De fetus editi minime vitalis ſignis; ac de vitalis fetus partu difficili, manu, aut crure, aut capite, aut alia parte prominente, ejuſque curatione.

QUum fetus minime vitalis natus fuerit, hujus ungues caro ſupereminet; ungues vero tum in manibus, tum pedibus deficiunt. Quum vitali naſcente fetu manus prominet, ea retro impellenda, quoad ſupra repuleris; & ſi ambæ (promineant) ambas retrudito. Quod ſi crus promineat, hoc quoque retro propellendum. Quum vero utraque crura conſpicua manſerint, neque alio proceſſerint, fomento utendum, a quo humidiſſimus reddatur uterus; odorem autem hoc fomentum habeat.. E quum caput prius apparuerit, reliquum vero corpus intus fuerit, hoc quoque fomento uteris. Quumque pars quidem corporis in utero, pars vero in pudendis, pars quoque extra pudenda intumuerit ac manſerit, ſic etiam fotu utitor. Et ſi quidem per fomentum diſceſſerit, (bene habet); ſin minus, os uteri medicamento aliquo agitatorio craſſo, aqua diluto illinito, quo partus dolores afferat; quin & cibis ac potibus dolores partus promovendi, & pudenda ipſa, ſi ſicciora quam conveniat, tibi eſſe videantur, cerato inunguenda.

CAPUT III.

De pueri in utero capite prominente mortui per unguem extractione; & secundarum non facile excidentium, umbilicique abrupti, aut ante tempus recisi curatione.

QUum pueri capite extra uteri osculum apparente; corpus reliquum non amplius progredi queat, puer vero mortuus fuerit; digitis aqua madefactis inter uteri osculum & caput insertis, digitum in orbem circumducito; deinde digito mento subdito, in os intruso, foras extrahito. Quum vero reliquum corpus extra pudenda, caput autem intus fuerit (in pedes videlicet fetu prodeunte) circumductis in orbem digitis, manus ambas aqua madefactas inter uteri osculum & caput immittito, & extrahito. Quod si extra uteri osculum, verum intra pudenda fuerit, manibus immissis caput apprehensum extrahito. At si fetus intus maneat mortuus, neque sponte, neque per medicamenta secundum naturam excidere queat, manu cerato maxime lubrico uncta, deinde in uterum intrusa, humeros a cervice valido pollicis appressu; quam ad rem unguis (instrumentum) pollici adaptandus; eaque divisione facta manus educere; deinde rursus immissa manu ventrem discindere, eoque discisso interanea sensim eximere; his deinde exemptis, molles costas conterere, quo concidens corpusculum expeditius reddatur, cumque minime timidum fuerit, facilius exeat. At vero si secundæ non facile excidant, ad fetum quidem maxime propendere sinendæ sunt, puerperaque quemadmo-

dum ſuper laſano collocanda; ſit autem quidpiam alte exſtructum, ut fetus propendens, ſuo pondere eas una ſecum foras extrahat; id autem ſenſim, non vi, faciendum, ne præter naturam diſtractæ (ſecundæ) inflammationem excitent. Supponendæ igitur fetui lanæ quam maxime ſublatæ, recens carptæ, quo paulatim cedant; aut utriculi duo copulati aqua pleni, ſupra quos lanæ imponendæ, & ſupra lanas fetus collocandus; deinde uterque utriculus ſtilo pungendus, quo ſenſim aqua defluat; effluente vero aqua, utres demittuntur ac conſidunt; his autem conſidentibus, fetus umbilicum adtrahit, umbilicus vero ſecundas extrahit. Quod ſi ſupra laſanum ſedere nequeat, in ſella recubitoria perforata locetur. Si vero præ imbecillitate prorſus ſedere nequeat, lectum a capite quam erectiſſimum exſtruito, ut deorſum declinet, ſicque (fetus) ſuo pondere quam maxime deorſum ſimul trahat. Verum puerpera ipſa ſub alis ſupra ſtragula faſcia, aut loro lato & molli ad lectum alliganda, ut ne lectulo erecto, corpus ejus deorſum feratur. Ad eundem quoque modum, abrupto, aut ante tempus abſciſſo umbilico, convenientibus appenſis ponderibus, ſecundarum eductio molienda. Hæc enim iſtorum optima eſt curatio, minimeque lædit.

CAPUT IV.

De fetus in utero mortui ſymptomatis ac ſignis.

AT vero ſi cui puer immortuus fuerit in utero, neque exierit, quum humectus eſſet uterus; ubi etiam nullum amplius humorem con-

timebit, sed siccatus fuerit uterus: primum quidem puer intumescit; deinde colliquescunt & putrescunt carnes, ac foras effluunt, postremo vero ossa prodeunt; fluorque eam aliquando prehendit, nisi prius moriatur. Quum mortuus fetus fuerit, tum aliis signis conjicere licet, tum etiam jubere oportet, ut modo quidem dextrum in latus jaceat, modo etiam in sinistrum convertatur. Dilabitur enim fetus in utero, quocumque se vertat mulier, velut saxum aut aliud quidpiam, si mortuus fuerit; & pectinem frigidum mulier habet. Quod si vivat, pecten calidus est, & totus quidem venter una cum reliquo corpore extentus concidit, nihilque in eo absque reliquo corpore dilabitur.

CAPUT V.

Fetui hæmorrhagiam ante partum periculosam esse, & uteri osculum prope exstare; partus difficultatem ob venerem; mulierem gemellos eodem die concipere, ac parere, eosque uno in chorio degere; in partu difficili quando umbilicus abscindendus.

SI cui parturienti ante fetum multus sanguinolentus citra dolorem fluxus prodeat, periculum est, ne fetus mortuus exeat, aut minime vitalis edatur. Prægnantibus plerisque mulieribus os uteri ante partum prope exstat. Mulier prægnans, si venerem non exerceat, a partu facilius liberabitur. Quæ gemellos gestat, eodem die, velut concepit, parit; uno autem involucro utrumque fetum continet. Muliere ægre parien-

te, si fetus in naturalibus locis contineatur, neque facile exeat, sed cum labore ac Medici machinamentis, hujusmodi fetus brevis sunt vitæ: his non ante abscindendus umbilicus, quam urinam reddiderint, aut sternutarint, aut vocem ediderint; sed sinendi sunt. Mulier vero quam proxime ad fetum accedat, & si sitiat, aquam mulsam bibat. Quod si umbilicus infletur, velut uteri osculum, & fetus moveatur, aut sternutet, aut vocem edat, tunc etiam spirante puero, (umbilicum) secato; si vero non infletur umbilicus, neque moveatur, temporis successu vitalis futurus est.

CAPUT VI.

De prægnantis factæ, ac fetum mortuum, aut valetudinarium, aut interiturum gestantis caussis, signis, & curatione; caput pueri terræ a matre gravida expetitæ aut carbonis signum gerere.

PRægnantem mulierem si aliter non cognoscas, oculi retracti & magis cavi fiunt; & oculorum candidum albedinem nativam non habet, sed lividius est. Si quæ partui vicina sit, & cavos habeat oculos, faciesque intumescat, ac ipsa tota, pedesque tumeant, tanquam ab alba pituita detenta appareat, & aures albas, & summum nasum album habeat, & labra livida ipsi fuerint; fetus mortuos gestat, quos parit, aut vivos male habentes, neque vitales, & exangues tanquam ægrotos; aut prius minime vitales peperit: huic sanguis aquosus evasit. Post partum igitur tali odorata (in vulvam) apponenda sunt, odorata comedenda, ac bibenda,

(ipsaque cibis reficienda.) Primumque in facie summus nasus simus evadit, & colorem recipit. Prægnantibus si terra aut carbones in cibum expetuntur, eaque edant, in fetus capite; ubi in lucem editus fuerit, horum signum apparet.

CAPUT VII.

De fetus in hoc aut illud latus decumbentis, ex mammis & oculis, ut & conceptionis, ex subdititiis, signis; & de prohibitæ conceptionis caussis; & quo tempore uteri osculum magis contrahatur.

MUlierem nosse oportet, utra ei mamma major sit; illic enim fetus erit. Similiter autem & oculum; major enim, & lucidior prorsus erit intra palpebram, qua parte major mamma fuerit. Si cui ex subdititiis non admodum vehementibus, dolores ad articulos obveniant, & dentium stridor occupet, pandiculatioque & oscitatio detineat, eam magis concepisse spes est, quam si nihil tale patiatur. Mulier quæ præter naturam crassa & pinguis evasit, & pituita repleta, eo tempore non concipit; quæ vero natura talis est, horum gratia concipiet, nisi aliud quid ipsam prohibeat. Mulieribus plerisque, quum menses apparituri sunt; ipsum uteri osculum sese magis, quam alias, contrahit.

CAPUT VIII.

De mulieris non amplius concipientis præſervatione; de dolorum poſt conceptionem deſinentium, & poſt partum redeuntium curatione; de mulieris & viri ad conceptionem præparatione; ac concepturæ exploratione.

QUæ crebro mulier concipiebat, ſi concipere deſierit, ei bis in anno manuum & crurum vena ſecanda. Si cui in coxendicibus dolores, aut capite, aut manibus, aut alia quadam corporis parte fuerit; & ubi concepit, deſinant, quum vero liberatus eſt uterus, rurſus inſint; huic conducit odorata tum bibere, tum ad uteri os apponere. Quum mulieri alicui conceptus gratia medeberis, ubi perpurgata eſſe, oſque uteri bene habere videbitur, lavetur, caputque detergeatur, nullo autem unguento illinatur. Deinde linteo inodoro loto circumdatos ipſos capillos, reticulo mundo, aut nihil olenti obliget, primum impoſito (capiti) linteo; poſtea galbano cocto & ad ignem, non ſolem, emollito, ad os uteri appoſito, quieſcat. Deinde mane exſuto reticulo cum linteo, verticem ſuum alicui olfaciendum exhibeat; ac ſi quidem oluerit, probe purgata eſt; ſin minus, male; hæc autem jejuna faciat. Etſi non fecunda fuerit, nunquam olebit, neque purgata, neque alias: & ſic prægnanti idem medicamentum apponatur, neque ſic probe olebit. Quæ vero crebro prægnans futura eſt, facile concipit, ac ſana eſt; etiamſi ſubdititium non appoſueris, neque purgaveris, ejus vertex olebit, aliud vero nihil. Quum vero

probe omnia habere videbuntur, & ad virum accedere oportuerit, mulier quidem jejuna sit; vir autem minime ebrius, frigida lotus, & commodis alimentis nutritus. Quod si noverit se genituram concepisse, tunc temporis virum non adeat; sed quiescat. Cognoscet autem; si quidem vir se semen emisisse dicat, mulier vero præ siccitate ignoret. Si vero uterus rursum genituram ad pudenda reddiderit; & ipsa humecta fuerit, rursus cum viro coeat, quoad concipiat.

CAPUT IX.

De mulieris bimestres aut vetustiores fetus perdentis caussis, & curatione.

QUæ mulier concipit quidem, fetus autem bimestres perdit; exacte eodem tempore, neque prius, neque posterius, idque bis terve perpessa fuerit; imo si trimestres, aut quadrimestres, aut etiam majores ad eundem istum modum perdiderit; his uteri in majorem amplitudinem non amplius increscunt, si fetus augeatur; & bimestre aut trimestre spatium, aut quantulumcunque tempus superet; si quando etiam alias augeatur, uteri non amplius capiendo fetui esse possunt; sed hac de causa eodem tempore perditur. Huic cucurbitula ad uterum apponenda; qua summota, eum per hujusmodi subdititia medicamenta quam maxime instare oportet. Cucumeris agrestis medullam tusam & cribratam, deinde paucam melle copiosiore cocto subigito; parumque laseris (adjicito) mel autem coctum esto. Hoc (medicamento) specillum obductum, &

& ea craſſitudine redditum, quam uteri oſculum ſuſcipiat; ſubdatur ad os uteri, introque quo od ejus interiora penetret, impellatur. Liquefacto vero medicamento, ſpecillum educatur; & elaterium eodem modo præparatum, ſimiliterque colocynthis ſylveſtris apponatur. Atque per hoc tempus edat allia quamplurima, & laſeris caulem, & quicquid in ventre flatum creat. Tertio vero quoque die ſubdititium apponatur, quoad probe habere videatur, ea copia quam recipiet; intermediis (diebus) mollientibus utendum eſt; poſtquam vero uteri os emollientibus præparatum fuerit, quum (menſes) apparuerint, quieſcat; ubi vero ſicca fuerit, (viro) commiſceatur.

CAPUT X.

De uteri velut a tuberculo poſt partum, aut ex abortu, aut alia cauſa, ſuppurati curatione.

SI cui uterus ſuppuratus fuerit, aut poſt partum, aut ex abortu, aut quomodocunque alias, neque aliter in alveo ac tunica, velut in tuberculo ſolet, pus fuerit: huic ſpecillum linitorium in uteri os demittere condunt. Minus enim uſtione opus fuerit, ſi ad ſpecillum proceſſerit: poſtea erucas a tithymalide colliges; habent autem velut aculeos quoſdam; hos ſenſim exſcindito, ne pabulum internum ex ipſis effluat; deinde ſole ſiccatas terito. Quin etiam vermes ſtercorarios eodem modo in ſole ſiccatos, deinde teritos. Et erucæ quidem pondus duorum obolorum Æginenſium, vermium autem duplum,

& anisi parum, aut aliquid id genus permisceto; mali enim odoris medicamentum evadit. Ista autem leviter trita, vino albo odorato diluito, & ubi epota fuerint, succedit gravitas, & ventri torpor incidit. Quæ si adfuerint, aquam mulsam modicam insuper bibat.

CAPUT XI.

De mulieris conceptum & partum jam expertæ, liberorum penuria laborantis, causis ab uteri adfectionibus, & curatione.

SI qua vero conceptione ac procreatione liberorum indiget, orba liberis, & quæ jam prægnans fuit, ac peperit; quum uteri os siccum, aut summa parte adfectum, aut occlusum fuerit, neque recte se habuerit; sed in alteram coxendicem, aut ad anum obversum latuerit, aut sese contraxerit, aut oris labrum in se incubuerit undecunque, aut asperum & callosum fuerit (durum autem fit tum ab occlusione, tum a callositate) iis menses non apparent, aut pauciores quam oporteat, & per longius tempus apparent. Sunt autem, in quibus menses, pro corporis sanitate, & uterorum, exitum assequuntur, imo naturali & justo modo uteri etiam osculo non admodum ex mensium caliditate & humiditate oblæso. Verum genituram ideo non suscipit ob eam læsionem, si qua prohibeat ipsam ab utero male adfecto suscipi. Huic, fomento per totum corpus admoto, medicamentum propinare oportet, primumque corpore purgatam reddere, sive supra & infra opus fuerit, sive su-

pra tantum. Quod si per superiora medicamentum dederis, ante purgationem ne foveto; fovebis vero postea deorsum purgaturus. Si vero sursum purgante medicamento non opus esse videatur, fomento præmisso, deorsum purgans propinato. Quum autem probe purgatum corpus esse videbitur, postea uteros, si conferre videatur, crebris insessionibus foveto. Ad fomentum vero cupressi ramenta, laurique folia contusa immittito, atque calida multa lavato. Quum vero recens lota fuerit, & fomentum admiserit, specillo stanneo os uteri dilatandum, & ubi opus esse videbitur, dirigendum: aut plumbeo (utitor) initio a tenui ducto, deinde crassiore, si suscipere queat, donec probe habere videatur. Specilla autem aliquo emolliente diluto, & si conferre videatur, liquido reddito, intinges. Specilla ipsa postrema parte cava facienda sunt, deinde circum longiora ligna adaptanda, sicque ipsis utendum. Hoc autem tempore potet tædam quam pinguissimam tenuiter concisam, in vino albo odorato, dulci, quam gratissimo decoctam, & apii semen contusum, & cumini Æthiopici semen, thusque quam optimum. Ex hoc, quæ moderata copia esse videbitur, quotque diebus satis habere videbitur, jejuna bibat; & catellos coctos edat, & polypum vino dulci coctum, jusculumque ipsum bibat, & brassicam coctam, superpoto vino albo, neque sitiat, & bis de die calida lavet; hoc autem tempore a cibis abstineat. Ab eo vero tempore, siquidem per os uteri decesserit, & quid purgationis extra ferri videatur, unum atque alterum diem adhuc potione utendum, & specillorum usu desistendum, tentandaque subdititiis medicamentis uterorum purgatio.

CAPUT XII.

Si mulier ſano uteri oſculo, menſtruorum ſuppreſſione, aut paucitate, aut diuturnitate, aut vitio, non concipiat, uteri morbos, & cauſas prohibitæ conceptionis ſcrutari oportet; ac de ejus curatione; medicamentis vehementioribus uteri oſculum ulcerari.

CUicunque vero, uteri oſculo recto, magno, ſano, beneque habente, & in loco decenti ſito, menſtrua nequaquam apparuerint, vel pauciora, & per longius tempus, minimeque ſana; morbo, quo uteri laborant, inveſtigato, & ſiquid corpus etiam conferat, perveſtigata cauſa ob quam non concipiat, atque hæc ſic ſe habeant, ſi adhibitam curationem ſuſcipiat, medelam facito, initio a validioribus ducto, prout opportunum viſum fuerit. In molliora autem deſinendum, donec uterus expurgatione bene habere, ejuſque os recte conſtitutum, & in idoneo ſitu poſitum eſſe videatur. Quod ſi a potu, ac medicamento (menſtrua) non proceſſerint, etiamſi moderato tempore id biberit, non tamen ab hac potione ceſſandum. Quum vero ex ſpecillorum uſu recte habuerit, os uteri molliendum, faciendumque ut dehiſcat ad viam medicamento ſubdititio faciendam, ex pharmacis ad ſuffitum aptis & emollientibus comparato. Quum vero ex emollitione & ſuffitu bene habuerit, uteri purgationem per ſubdititium medicamentum facito, donec bene habere videatur, exordio ab emollientibus ad vehementiora ducto, ita ut rurſus in emollientibus, & odoratis deſinas; vehemen-

tium enim medicamentorum plurima os uteri ulcerant ac mordent. Deinde tum os rectum & ſanum conſtituito, quo ad ſuſcipiendam genituram bene ſeſe habeat; tum uterum ſiccum reddito, flatumque inducito.

CAPUT XIII.

De mulieris ob pinguedinem non concipientis curatione; ver ad conceptionem aptum; de viri ac feminæ ad conceptionem, & ad maſculi ac feminæ procreationem præparatione.

SI mulier uterum præ pinguitudine ad conceptum, læſum habere videatur; eam quam maxime extenuato, & ſupra cætera gracilem reddito. Vernum autem tempus ad conceptum maxime accommodatum. Vir autem nequaquam inebrietur, neque vinum album bibat, ſed quod valentiſſimum & meraciſſimum ſit, cibiſque (veſcatur) firmiſſimis, calida ne lavet; robuſtus ſit & ſanus, & cibis abſtineat ad rem non conferentibus. Quum marem procreare voluerit, menſibus deſinentibus, aut ceſſantibus miſceatur, & quam maxime impellat, dum ſemen excernat. At quum feminam generare voluerit, quum plurimi menſes mulieri prodierint, & adhuc prodeant, coeat; dextrum autem teſtem, prout maxime tolerare potuerit, obliget; ſiniſter vero, ſi marem procreare expetat, obligandus.

CAPUT XIV.

De medicamentis occlusum uteri osculum aperientibus, durum emollientibus, ac distortum erigentibus.

Uteri os occlusum a suffimentis quidem dehiscit, ab emollientibus vero emollitur. Suffire autem oportet loti corticem, lauri baccas, ejusque folia viridia contusa, thus, myrrham, artemisiæ semen, aut folia; anisum etiam contusum, aut adipem, & ceram, sulphur, cupressi semen, peucedani radicem, myrti folia viridia contusa, castoris testem, asini masculi stercus, allia, styracem, adipem suillum; sed si distortum os fuerit, id ex his suffire oportet. Sic quidem dehiscit, ac convertitur. Emollire autem os uteri per hæc oportet, sandaracham, adipem caprinum, fici succum, laseris succum, cyclamini succum, thapsiam, tithymali succum, nasturtii semen, herbam peplum nominatam, castoris testem, lini semen, nitrum, ari radicem, staphidem sylvestrem, calaminthæ folia viridia, struthii semen, scillæ interiorem partem.

CAPUT XV.

Medicamenta emollientia, & vehementem purgationem facientia & cientia.

Thapsiæ radicem, medullam bovis, anserinum adipem, rosaceum, hæc trita & simul fervefacta per quatriduum apponat, & porri suc-

cum, vinumque dulce album bibat; & resinam, & oleum tepidum, cuminum, nitrum, (resinam) & mel lana sordida excipiat, & per quatriduum utatur; & apii semen, thuris granula quinque, & cuminum Æthiopicum in vino albo mero dulci bibat; bisque die lavet. Myrrha, thus, fel bubulum, resina terebinthina, aut netopum, horum singula æquali pondere mixta, in lana pura, aut tenui linteo subdiditio apponantur. Linteum autem unguento albo Ægyptio odorato intinctum, & filo obligatum, lota subdat, & polypum plagis mollitum edat, & apii & asparagi semen ex vino albo ter die jejuna bibat. Myrrha, cassia, thus, cinnamomum, netopum, singula æquali portione lana excepta, aut in glandes formata apponantur. Aliud. Cucurbitæ agrestis (interiorem partem) cuminum tostum, anethi semen, cupressi radicem, hæc lævissime trita, & melle cocto subacta, in glandulas formata, ad subdititium exhibeto; & pæoniæ radicem, apii semen, ac laseris succum in vino bibat. Quin & bulbulus ipse subditus purgat. Et myrrham primariam, & floris æris modicum cum vino albo odorato subdito.

CAPUT XVI.

Medicamenta subdititia ad uterum purgandum maxime idonea.

SUmptum æris florem, & nitri tertiam partem, melle cocto subacta in glandulas, quæ tum magnitudine, tum crassitudine mediocres esse videantur, effingito, sicque ad os uteri apponito. Quod si valentius esse medicamentum velis, elaterium, & solum æris florem admisceto, & ita

formatas (glandulas) ſubdendas præbeto: & ficulnei rami corticem deraſum, ac læviſſime tritum admiſceto; quum os uteri ſiccius eſſe videbitur, dimidiam portionem eodem modo apponito. Aliud. Elaterium & æris florem læviter trita, duas (nimirum) æris partes & unam elaterii, hæc diluito, cyclaminum tritum, prout opportunum eſſe videbitur, huic admiſceto, & ſubdititia formata, in lana apponito. Subdititia albos fluores purgantia. Artemiſiam herbam, nitrum, cyclaminum ſemiaridum, cuminum (ſubdito). Aliud. Artemiſiam herbam viridem tritam, & myrrhæ tertiam partem, vino odorato admixto, lana alba obvolutam, vinoque madefactam, ſubdendam exhibeto. Quum vero laxati fuerint uteri, nitrum, cucumeris agreſtis medullam, cyclaminum ſemiaridum in lana apponito. Subdititia omnis generis purgare valentia. Staphidem agreſtem viridem tritam, in glandulas formatam, artemiſiæ herbæ folia trita, cortice obducta, & in umbra ſiccata, in ſubdititia redacta, mulieri ut ſubdat exhibeto. Aliud. Æris florem mixtum, aut alumen Ægyptium cyclamino dilutum velut priora, melle cocto obducito, vel in ficum ſiccam, etiam myrrhæ modicum, indito. Aliud. Cyclaminum tritum vino albo odorato admixto, in linteo tenuiſſimo, filo puro obligatum, ſubdendum exhibeto. Aliud. Cyclaminum ſemiaridum, nitrum, cantharidas, adipem, ſandaracham (ſubdito).

CAPUT XVII.

De virginis menſtruis maturis non prodeuntibus laborantis, indeque epiala febricitantis, ſymptomatis, & curatione.

DE virgine. Virgini quum menſes maturi non prodeunt, multum & febricitat & dolet, ſitit, eſurit, vomit, inſanit, ac rurſus ad mentem redit; uteri moventur, & quum ad viſcera vertuntur, vomitus, & febris ad delirium ipſi accedunt; at ubi ceſſant, eſurit & ſitit, & febris epialos detinet. Huic pelles agninas cum vellere calidas ad ventrem apponere oportet, ipſique ſuper amphoræ collo deſidenti, ſuffitu in ipſa pudenda quam penitiſſime fumum immittere; myrrham fabæ magnitudine, & thus dupla portione: hæc mixta & ſimul ſiliginem confractam, ad ſuffitum adhibeto, & in ignem injicito, maxime quum jejuna eſt, multaque calida lavato. Subdititium. Alumen Ægyptium liquidum, lana involutum ſubdat. Aliud. Artemiſiam tritam, & vino albo maceratam, ſubdendam exhibeto.

CAPUT XVIII.

De medicamentis puerperæ recens enixæ purgamenta cientibus, procidentem uterum erigentibus, ac dolentem mitigantibus, emollientibus, & purgantibus.

PUerperæ recens enixæ. Roſaceum, myrrham ceram, mixta in lana ſubdenda præbeto.

Quum vero ipſi uteri prociderint, ſicca & acerba, tum bibenda, tum admovenda & offerenda ſunt; ficus nigra, allium, nitrum, cuminum, hæc omnia læviter trita in lana ſubdenda dato. Aliud. Sepiæ teſtam læviſſime tuſam & vino maceratam, cum leporinis pilis in lana ſubdito. Quod ſi a partu uteri doleant, ptiſanam, porrum, adipemque caprinum coquat, ex eo modicum ſorbeat. Subdititium. Nitrum, cuminum, fici tantundem. Purgans ſubdititium & emolliens. Netopum, roſaceum unguentum, anſerinus adeps, tenuibus linteis excepta. Si menſes multi prodeant, pæoniæ grana nigra bis ſeptem ex vini cyathis duobus propinato. Si vero uteri crebro elabantur, muliere ſupina reclinata, uteros tepida perluito; admixto mali punici putamine, galla, rhoe rubra in vino contrita, eo illitum (uterum) intro reponito: deinde lauri folia ex vino auſtero propinato. Quum autem mulier gravida menſes habet profluos, ſtercus aſininum ſiccum, minium, ſepiæ teſtam, hæc læviter trita, linteo obligata apponito: ſi vero ſecundæ non purgentur, in vino albo, cyathi menſura, infriato, quumque ad oboli Attici pondus triveris, potui præbe, & purgabitur.



HIPPOCRATIS
LIBER
DE DENTITIONE.

PRÆFATIO.

Non genuinus, minime tamen malus, & ad ſaporem ſcriptorum Hippocraticorum fictus: practicus totus: multis aphthas deſcribit, ut ego interpretor.

ARGUMENTUM LIBRI.

Ex puerorum ſtatu, nutritione, tum alvi, tum urinæ excretione, & lactis vomitu, ac dentitione, dentitionisque ſymptomatibus, judicia ac prognoſtica.

Pueri natura corpulenti, non pro corpulentiæ ratione lac ſugunt. Edaces, quique copioſum lac trahunt, non pro ratione corpulenti evadunt. Lactentium puerorum, qui copioſe mejunt, annum minime vivunt. Quibus copioſe profluit alvus, & belle concoquunt, ii ſaniores ſunt. Quibus parum, cum edaces ſint, neque pro ratione nutriuntur, morbis ſunt obnoxii. Quibus multum lacteum vomitione refunditur, iis alvus ſiſtitur. Quibus in dentitione alvus pluries ſub-

ducitur, ii minus convelluntur, quam quibus ita raro. Quibus in dentitione febris acuta oboritur, ii raro convelluntur. Quicunque dentientes bene habiti manent, & altiori ſomno premuntur, periculum eſt ne convulſione corripiantur. Qui per hyemem dentiunt, ſi cætera ſimiliter ſe habeant, melius defunguntur. Non omnes in dentibus convulſi intereunt, ſed & multi ſoſpites evadunt. Qui cum tuſſi dentiunt, iis tardius dentes erumpunt; verum in ipſa punctione magis extenuantur. Quicunque dentientes hyemem adſequuntur, hi etiam decenter curati dentitionem facilius ferunt. Qui copioſius mejunt, quam dejiciunt, pro ratione, uberius nutriuntur. Qui non pro ratione mejunt, ſed a pueris alvus cruda crebro dejicit, ii morbis ſunt obnoxii. Qui bene dormiunt, & bene habiti ſunt, ii copioſum alimentum adſumunt, idque adponitur non ſufficienter diſtributum. Qui dum lac ſugunt, interea cibum capiunt, ii facilius ablactationem ferunt. Qui ſæpe cruentum ac crudum per alvum demittunt, plerique horum in febre ſomnolenti ſunt. Quæ in tonſillis citra febrem oriuntur ulcera, ſecuriora ſunt. Quos infantes, dum lac ſugunt, tuſſis urget, ii uvam majorem habere conſueverunt. Quibus celeriter in tonſillis ſerpentia ulcera ſuperveniunt, febribus ac tuſſi perſeverantibus, periculum eſt, ne ulcera recurrentia ſuboriantur. In faucium anguſtiis ulcera in ſimilibus (infantibus) periculoſa. Quibus pueris inſignia ſunt in tonſillis ulcera, ſi deglutiant, ſalutis ſignum eſt. Qui vero in tonſillarum ulceribus magis, quam priores deglutire nequeunt, his copioſam bilem revomere, aut per alvum prodire, periculoſum. In tonſillarum ulceribus ſi quid araneoſum inſit, non bonum. In tonſilla-

rum ulceribus post prima tempora, pituitam per os effluere, quod prius non fuit, utile; educenda tamen est. Quod si quum inceperit, omnino remiserit, lubenter amplectendum; si autem non sic effluat, verendum. Quibus tonsillæ destillationibus vexantur, alvus uberius subducta siccas tusses solvit. Pueris quid concoctum superne eductum, amplius solvit. Tonsillarum ulcera multo tempore citra incrementum manentia, ante quinque, aut sex dies, periculo vacant. Qui, dum mammam sugunt, copiosum lac adsumunt, ut plurimum somniculosi sunt. Qui, cum mammam sugunt, non probe aluntur, macilenti sunt, ac ægre reficiuntur. Quæ æstate tonsillarum ulcera generantur, quam quæ aliis tempestatibus oriuntur, deteriora sunt; celerius enim serpunt. Serpentia circa uvam tonsillarum ulcera, in iis, qui servantur, vocem immutant. Serpentia circa fauces ulcera, molestiora, & magis acuta, ut plurimum spirandi difficultatem adferunt.

HIPPOCRATIS
LIBER I.
DE PRÆDICTIONIBUS.

PRÆFATIO.

Auctorem ad HIPPOCRATIS *posteros* GALENUS *retulit. Mihi videtur initiatus quidem in arte præsagiendi, longe tamen a divina* HIPPOCRATIS *peritia remotus. Artem ignoravit, axiomatum universalium ex particularibus eventis colli-*

gendorum, & persæpe peculiares adnotationes dedit pro axiomatibus. Sed neque signa satis distinxit, quæ ex causa morbi pendent; nimisque frequenter varia neque cohærentia eventa pro signis exhibuit. Sæpe nomina ægrotorum citat, ex quorum morbis axiomata elicuit, inter ea viri in Co, quam insulam HIPPOCRATES *mature putatur reliquisse. Denique vocibus utitur aut insolitis, aut sensu insolito sumtis. Media fere pars versatur in deliriis, signisque morborum soporosorum: tertia fere in convulsionibus: inde aliqua ad hæmorrhagias & abscessus, eos potissimum qui per aures erumpunt. Hunc librum* GALENUS *suis commentariis decoravit.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Quid in morbis salutare, quid perniciosum sit, quid item bonum, quid malum prænuntiet, sigillatim prosequitur, singulis exacte propositis, quæ in omnibus pene morbis circa ægrotantes evenire solent.

CAPUT I.

Præsagia eorum, qui in principio soporosi fiunt: phrenitidem quæ significent? desipientiæ quæ pessimæ? Insaniam adsore quid portendat? phrenitidis signa mala: quid de Melancholia, & quid de acute delirantibus præsagiendum?

QUi soporati sunt in principiis cum capitis, lumborum, hypochondrii, & cervicis do-

lore, vigilantes, num phrenitici sunt? Narem in his distillare, perniciosum, tum alias, tum si quarto die ceperit. Alvi proluvies admodum rubra, malum quidem in omnibus morbis, non minime vero in prædictis. Densæ linguæ, (sive asperæ) & aridæ, phreniticæ. In perturbatis mente & vigilantibus urinæ decolores, cum nigris innatantibus, in sudoribus, phreniticæ. Insomnia in phreniticis conspicua, (bona) sunt. Screatus frequens, si sane quoddam & aliud signum adfuerit, phrenitidem nuntiat. Qui in hypochondrio refrigerata febre ardores relinquuntur, tum alias, tum in sudoribus, mali sunt. Prædebilitatorum desipientiæ pessimæ, ut & Thrasynonti. Phreniticæ vehementes affectiones in tremorem desinunt. In capitis doloribus æruginosi vomitus cum surditate & pervigilio, citam insaniam significant. In acutis faucium partes dolentes, graciles, parvæ, & suffocantes, quum æger hiaverit, non facile os tum cogere, tum claudere posse, deliria portendunt: ex talibus phrenitici fiunt, ac perniciose laborant. In phreniticis per initia moderatum esse, sed crebro permutari, malum id est; sputatio quoque, malum. In phreniticis alba dejectio, malum; quemadmodum & Archecrati: num & his torpor accidit? rigor in his, pessimum. Mente ob melancholiam aberrantibus, quibus tremores superveniunt, malignum. Qui emotæ mentis sunt, si acrior febris accedat cum sudore, phrenitici fiunt. Phrenitici, pauculum bibentes, levi strepitu quum turbantur, tremuli fiunt. Ex vomitu fastidioso vox clangens, oculique sordes habentes, insaniam portendunt; ut Hermozygæ uxori, quæ vehementi insania correpta, muta obiit.

CAPUT II.

Infania & melancholia unde prænofcenda? varia deliriorum figna & omina. Quid porro phrenitidem ominetur? & figna ejufdem perniciofa.

IN ardente febre, fi aurium tinnitus cum vifus hebetudine fuerit, proveneritque in naribus gravitas, mente ex melancholia aberrant. Defipientiæ cum voce clangente, linguæque convulfiones tremulæ, & (voces) ipfæ tremulæ evadentes, mentis indicant alienationem, duritiesque his perniciofa. Linguæ tremulæ fignum non conftantis mentis. In biliofis, fincerisque dejectionibus fpumofa efflorefcentia, malum, tum alias, tum ei, qui lumbis ante doluerit, & defipuerit. Rari in his laterum dolores, delirium fignificant. Vocis interceptiones cum fingultu, peffimum. Cum exfolutione vocis interceptiones, peffimum. In vocis defectione fpiritus, veluti his, qui ftrangulantur, promptus, malum; an & tale delirium portendat? Quæ parvo tempore feroces fiunt defipientiæ, ferinæ funt; jactationes cum refrigeratione non febris experti, fuperioribus partibus parce fudanti, phreniticæ, ut & Ariftagoræ, atque etiam perniciofæ. Crebræ in phrenitide permutationes, convulfionem denunciant. Quæ urinæ immemoribus redditæ, perniciofæ; num his meiuntur, ac fi fedimentum conturbaffes? Palpitantes per totum, num voce capti intereunt? Quum crebræ in phreniticis cum perfrigeratione fputationes fiunt, nigra revomuntur. Surditas, & urinæ non fubfidentes, præerubræ, cum fufpenfis, mentis emotionem portendunt.

His

His icterum oboriri, malum. Mala vero & ictero fatuitas ſuccedens; hos quidem voce privari, verum ſentientes eſſe contingit: ſed arbitror, his alvum prorumpere, ut Hermippo contigit, ac mortuus eſt. Surditas in morbis acutis, & turbulentis conſequens, malum. Tremulæ non manifeſtæ, & palpantes deſipientiæ, prorſus phreniticæ; ut Didymarcho in Coo. Ii, quibus torpor ex rigore contingit, non valde ſibi conſtant.

CAPUT III.

Dolores circa umbilicum palpitantes, & circa ſuram, & dolor circa femur diſſipatus, quid præmuntient? Præſagia ex lumborum dolore, voce, ſiti, reſponſione, oculis, dentibus, reſpiratione, facie, egeſtionibus alvi, & urina.

DOlores circa umbilicum cum palpitatione, habent etiam aliquid de mentis alienatione; ſub judicationem vero his ſpiritus cumulate cum contentione prodit. Suræ quoque dolores in his, mentis emotionem ſignificant. Si quid in urina innatarit, diſſipato femoris dolore, delirium portendit; & quæ circa aurium ſonitus talia exſiſtunt. In alvo liquida, laſſitudine laboranti, caput dolenti, ſiticuloſo, vigilanti, obſcure loquenti, impotenti; quibus talia ſunt, mentis emotio metuenda eſt. Exſudantes, ac potiſſimum circa caput in acutis, (&) ſubmoleſte ferentes, malum; tum alias, tum ſi urinæ nigræ ſint; turbidus quoque in his ſpiritus, malum. Virium defectus præter vacuatorum vaſorum rationem, cum vaſa exinanita non ſunt, malum. Alvi interceptæ,

ſed parva, nigra, caprinis ſtercoribus ſimilia, ad neceſſitatem dejicientes; naſus præterea ſanguinem fundens, malum. Quibus lumborum dolor diuturnus cum æſtu faſtidioſo, hi, ſi exſudent, malum. Num & his tremores fiunt? ſed & vox ut in rigore conſpicua? Extrema corporis in utramque partem cito transmutari, malum; ſitis quoque hujuſmodi, malum. Ex moderato ferox reſponſio, malum. Quibus vox acuta, his hypochondria intro trahuntur. Oculus hebeſcens, non bonum, concretus vero & lachrymans, malum. Vox acuta & ſtridula, malum. Dentium ſtridor, perniciofum, quibus non eſt per ſanitatem aſſuetus; ſuffocatio quoque in his, peſſimum. Probus faciei color, & vultus vehementer triſtis, malum. Dejectiones in ſpumoſas, ſincerasque deſinentes, exacerbant. Urinarum in morbis acutis ex refrigeratione interceptiones, peſſimæ. Perniciofa, ſi abſque ſignis levia facta ſint, mortem ſignificant.

CAPUT IV.

Egeſtiones & urinæ in acutis bilioſis, quæ malæ? vomitus qui, quæ ignorantia & oblivio, & perfrigeratio, & ardor in lateribus, & æſtuans rigor, & flammea facies, & oculi diſtortio &c. mala ſint?

IN acutis bilioſis albicantes, ſpumoſæ, & circumbilioſæ dejectiones, malum; malum quoque & urinæ hujuſmodi; an & his jecur dolore affectum? Si vocis interceptiones in febribus convulſivo modo obortæ, mentis alienationem cum ſilentio adferant, perniciofum. Vocis ex dolore interceptiones cum cruciatu, lethales. Febres ex

hypochondriorum doloribus, malignæ. Sitis præter rationem ſedata in acutis, malum. Sudor multus, cum febribus acutis oboriens, malus. Atque urinæ difficulter emiſſæ, malum. Ex his quoque rubras efflorefcentias retinentes, ac æruginoſæ, malæ; parvas quoque veluti ſtillas apparere, (malum). Vomitus quoque cum varietate, mali; tum alias, tum ſi brevi ſe mutuo conſequantur. Quæcunque in diebus judicatoriis, cum anxietate abſque ſudore perfrigerantur, malum; & quæ ex his inſuper riguerint, mala ſunt. Vomitiones ſinceræ atque faſtidioſæ, malæ. Sopor an ubique malus? Ignorantia cum rigore malum; malum quoque & oblivio. Ex rigore perfrigerationes non recaleſcentes, malæ. Sudantes ex perfrigeratione (non) recaleſcentes, malum; in his laterum æſtus cum dolore, & rigor ſuperveniens, malum. Æſtuoſi rigores quadantenus pernicioſi, & flammea cum ſudore facies in his, mala; ex his poſteriorum partium refrigeratio, convulſionem arceſſit. Parum ſudantes vigiles, recaleſcentes, malum. Ex lumborum (doloris) recurſu oculi perverſio, malum. Dolor ad pectus firmatus, cum torpore, malum; hi ſuborta febre acute exæſtuantes intereunt.

CAPUT V.

Medicamentis purgare quos non oporteat? oris ventriculi dolor qui malus? colli dolor quando peſſimus? Febres quæ malignæ? vomitiones quæ, & quibus malæ? de puerperis, oculorum diſtorſione, & ſideratione.

QUi nigra revomunt, cibos averſantur, deliri ſunt, ad pubem nonnihil dolent, oculum

ferocem, aut clausum habent, eos medicamentis purgare non oportet; perniciosum enim est. Neque eos, qui intumescunt, tenebricosa vertigine laborant, levi motu deficiunt, cibum aversantur, decolores: neque in febre, si exæstuantes decumbunt; perniciosum enim. Oris ventriculi dolor cum hypochondrio distento, dolorque capitis, malignum, & suspiriosum aliquid. Num repente hi moriuntur? ut Dysodi accidit, huic & urina valde fermentata, & prærubra erat. Cervicis dolor, malum quidem in omni febre; sed pessimum, quibus insania timetur. Febres cum sopore, lassitudine, lucis caligine, vigiliis, & levibus sudoribus, malignæ. Crebri ex dorso horrores, celeriter recidentes, molesti; urinæ (enim) interceptionem dolorificam significant. Qui anxie se jactantes citra vomitum exacerbantur, male habent. Perfrigeratio cum duritie signum perniciosum. Ab alvo tenuia non sentienti prodire, ei, qui apud se sit, malum, ut hepatico. Vomitus exigui, biliosi, malum; tum alias, tum si pervigilia supervenerint; nasus in his stillans, perniciosum. Quibus a partu alba purgamenta retinentur cum febre, surditas oboritur, & acutus lateris dolor, hæ perniciose insaniunt. In febribus ardentibus cum aliqua perfrigeratione, & aqueis biliosisque dejectionibus crebris, oculorum distortio, signum malum, tum alias, tum si alto stupore corripiantur. Repentinæ apoplexiæ, leves, si febris diuturna supervenerit, perniciosæ; quale quiddam passus est Numenii filius.

CAPUT VI.

Recurſiones ex lumborum dolore ad ventriculum, quæ funeſtæ? Trementes ac ſoporoſi, qui moriantur? ſingultum quid indicet?

QUibus ex lumborum dolore ad os ventriculi recurſiones febriles fiunt cum horrore, & aquoſa, tenuia, & multa revomunt, mente aberrant, voce privantur, nigra vomunt, moriuntur. Oculi obſeratio in acutis, mala. Num anxie ſe jactantibus citra vomitum, & lumbos dolentibus, ſi ferociter deliraverint, ſpes ſit nigra per alvum prodire? Dolentes fauces abſque tumore, cum moleſtia ac ſuffocatione, præceps exitium minantur. Quibus ſpiritus retrahitur, vox autem iis, qui ſuffocantur, ſimilis, & vertebra intro conſidet, his in fine, velut contrahente quodam, ſpiritus redditur. Caput dolentes, cum alto ſtupore delirantes, intercepta alvo cum oculi ferocitate, & floreſcenti (facie), hi parte poſtica convelluntur. In oculorum perverſione febriculoſo, laſſato, rigor pernicioſus, & ſi qui ſoporoſi in his, malum. In febribus ad hypochondrium dolores ſine voce, ſi ſudore non ſolvuntur, maligni; his ad coxas dolores cum ardente febre, & ſi alvus affatim proruperit, pernicioſum. Quibus voces cum febre deficiunt poſt judicationem, hi tremuli ac ſoporoſi pereunt. Quibus adfectiones ardentes, fatuitatem inducentes, & altum ſtuporem, hypochondria variantia, & ventris tumor, cibis interceptis cum ſudatiunculis, num his turbidus

ſpiritus, & genituræ ſimile quid exiens, ſingultum indicat? ſed & alvus ſpumoſa bilioſa inſuper egerit: ſplendeſcens in his mictus prodeſt; venter autem his inſuper turbatur. Quibus ſopor, ſpumoſis prodeuntibus, oritur, febris exacerbatur acuta. Si ex capitis dolore, vocis interceptiones fiant cum ſudoribus, febrientes laxantur in ſe ipſos, fiuntque morbi revertentes diuturniores; his inſuper riguiſſe, malum non eſt. Manus tremulæ, caput, ac cervicem dolentes, ſurdaſtri, nigra & denſata meientes; quibus hæc ſunt, his nigra proditura eſſe exſpectare oportet, pernicioſum. Quæ cum exſolutione & alto ſtupore fiunt vocis interceptiones, pernicioſæ. Lateris dolor ex ſputis bilioſis, ſi abſque ratione evanuerit, in furorem aguntur.

CAPUT VII.

Oculi dolor quomodo ſolvatur? Alvi circumtenſio: oris putrefactio viridis: dolores e lumbis ad præcordium & caput revoluti exitioſi: adfectiones rigentes in quid deſinant? Præſagia quædam pernicioſa: & ſigna convulſionum quid indicantia.

EX cervicis dolore cum ſopore, & ſudore, alvus inflata, ſi ad neceſſitatem liquida demiſerit, ubi ſubluta fuerit, ex his bile carentia cohibentur. Talia vero ſi ſerventur retenta, diutius ægrotat; num & his non bilioſæ proluvies benigniores ſunt, & flatuoſo tumori prodeſunt? Alvi circumtenſio ad neceſſitatem liquida demittens, cito intumeſcens, convulſivum quid-

dam habet; ut & Aſpaſii filio: inſuper rigere his pernicioſum; ex his convulſus & inflatus quum diutius ægrotaſſet, in ore putredo viridis oborta eſt. Lumborum tenues, & diuturni dolores circum hypochondrium involuti, cum febre & ciborum faſtidio, ſi intenſum capitis dolorem advehunt, acute convulſivo modo perimit. Supervenientes rigores, & nocte magis quodammodo exacerbati, cum vigiliis, & venarum agitationibus ita ut interdum in ſomno urina nolentibus laxetur, in convulſiones cum ſopore conjunctas deſinunt. A principio leviter exſudantes urinis concoctis, æſtuantes, qui citra criſin perfrigeſcunt, & celeriter peruruntur, torpidi, ſoporati, convulſi pernicioſe adfecti ſunt. Uterum gerentibus capitis dolores, cum ſopore & gravitate oborientes, mali ſunt; fortaſſis autem & his convulſivum quid pati contingit. Dolores in faucibus gracilibus ſuffocantes, convulſivum quid habent, tum alias, tum a capite oborti; ut & Thraſynontis conſobrinæ obtigit. Tremores convulſivi contingentes in ſudoribus, reverti ſolent; his judicatio evenit, ubi ſuperriguerint; ſuperrigent hi ardore circa ventrem provocati. Lumborum dolor, & capitis dolor, & oris ventriculi dolor, cum excreatu violento, convulſivum quiddam habet: ſubmetuendus eſt cum judicatione rigor.



CAPUT VIII.

Qui ſublivida, turbulenta egerunt, quæ in his ſigna mala, convulſoria & bona? Quid in febribus convulſionem, & mentis emotionem portendat.

A Ventre ſublivida, turbulenta, & lotia tenuia; aquoſaque ſuſpecta. Fauces leviter exaſperatæ, & alvus inanibus ſurrectionibus obmurmurans, & frontis dolores, palpantes, fatigati, in ſtragulis ac veſtimentis dolentes; quæ ex his augentur, moleſta ſunt: ſomnus multus in his convulſivus, & dolores in frontem graves, & mictio difficilis. Urinæ ſuppreſſio, quibus rigores, & in his convulſoriis adfectionibus, ut & ipſa ubi inhorruit, leviter ſudavit. Sincere deſinentes purgationes, certe in omnibus morbum exacerbant; his vero etiam valde; ex talibus quoque circa aurem abſceſſus exſurgunt. Turbulentæ, ferociſſimæ e ſomno excitationes, convulſivæ; cum alias, tum ſi cum ſudore contingant. Tum cervicis, tum dorſi perfrigerationes apparentes, ſed & per totum corpus, in his & ſpumoſæ mictiones cum animi deliquio, atque oculorum caligine, convulſionem prope eſſe indicant. Cubiti, & cervicis dolores convulſivi; a facie autem prodeunt iſti; atque in faucibus ſonitus crebri cum ſalivatione; his in ſomnis ſudores, boni; num & ſudore plurimos levari non malum? Quibus dolores ad inferas dilabuntur partes, his toleratu faciles. In febribus exſudantes, caput dolentes, intercepta alvo, convulſi fiunt. Friabiles liquidæ dejectiones, perfrigera-

tionesque non sine febre, pravæ. Rigores ex his tum vesicam, tum ventrem prehendentes, dolorem inferunt. Num in his sopor aliquid convulsionis habet? non fuerim admiratus. Quæ in acutis malis in modum vomiturientis trahuntur, mala: & albæ alvi dejectiones, difficiles: non viscosa ex his progressa, cum multo ardore mentem alienant: ex his soporosi torpidi fiunt, morbi ex talibus diutius durant; num circa judicationem hi arescentes difficulter spirant? Quæ ex lumbis ad collum, caputque redundant, resolvuntque levis siderationis modo, convulsionem, & delirium pariunt. An & talia convulsione solvantur? Ex his varie ægrotant, & quidem per eadem euntes. Convulsiones in hystericis sine febre faciles sunt; ut etiam Dorcadi contingit. Vesica intercepta tum alias, tum cum capitis dolore, convulsivum quid habet: quæ in his torpide exsolvuntur, difficilia sunt: non tamen perniciosa; Num & id mentem emovet, quod ejusmodi est? Num & ossium circa tempora discissiones convulsionem arcessunt? vel temulentum sauciari, vel sanguinem valenter erumpere, in principiis, si id faciunt, convulsiva? In sudore sputa defluentia febrienti ægro levia sunt; an ad dies aliquot ventres humectentur? arbitror; an his abscessus ad articulos futurus? Deliria paulisper ferocientia, melancholica sunt; si vero a muliebribus retentis fuerint, ferina; sæpius autem hæc accidunt; num & hæ convelluntur? num & cum sopore vocis interceptiones convulsivæ? quomodo Coriarii filiæ obvenit, cepit autem malum præsentibus menstruis. Quibus convulsis oculi fixi & immoti relucent, non apud se hi sunt, diutiusque ægrotant. Sanguinis eruptiones ex parte adversa, malæ; ut in liene ma-

gno, ſi dextra ex nare fluat; atque res in hypochondriis ita ſe habet; verum cum ſudore id deterius eſt. Ex naribus effluente ſanguine tenuibus cum ſudoribus perfrigeratio maligna, pravaque eſt. A ſanguinis eruptione nigrorum dejectio mala: prava autem & prærubra; num vero & quarto die hæc ſanguinis eruptio contingit? ſoporoſi, comato ſi ex his convulſione moriuntur; an nigris prius excretis, & tumefacto ventre? Sanguinem profundentia cum exſudatione vulnera, maligna; loquentes ita adfecti occulte pereunt. Poſt modicam ſanguinis eruptionem, & nigrorum dejectionem, in acutis ſurditas, malum; ſanguinis dejectio in his pernicioſa; ſurditatem vero ſolvit. Lumbis dolentibus oris ventriculi dolores accedentes, ſigna hæmorrhoidum fluxionis futuræ ſunt. Arbitror autem & hos prægreſſæ hæmorrhoidum eruptionis ſignum eſſe.

CAPUT IX.

De variis convulſionum, & mentis emotionum, præcipue in mulieribus, cauſis & ſignis. De Convulſis & Hæmorrhagiis quomodo judicandum?

QUi ſtatis temporibus ſanguinem fundunt, ſiticuloſi hi, difficiles, & exſoluti; ſi non fuderint ſanguinem, epileptici moriuntur. Qui ſtatim perturbantur, pervigilant, e naribus ſanguinem ſtillant, ſexto die levantur, noctu laborant, poſtridie leviter ſudant, in ſomnum feruntur, delirantque; abunde ſanguinem profundent; num & aquoſa urina tale quiddam indi-

cat? Quibus ſanguinis eruptiones plures fuerint, procedente tempore alvi male adficiuntur, niſi urinæ concoctæ fuerint. In judicatoriis perfrigerationibus ſanguinis eruptiones vehementes, peſſimæ. Capite gravati, ad ſinciput, dolentes, inſomnes, ſanguinem profundunt, tum alias, tum ſi quid in cervice ſit diſtendens. Vigiliis vexati derepente cum jactatione ſanguinem profundunt, tum alias, tum ſiquid non ante fluxerit; num & ubi inhorruerint? Cervicis dolores, valde rubri oculi, ſanguinis eruptionem ſignificant. Quibus de alvo ſanguinis eruptio fit, & inſuper vigent; num ſuppreſſa alvus lienterica ac obdura fit, vel tenues lumbrici infeſtant, vel utrumque? Quibus ad caput manuſque ex lumbis fit recurſus, hi torpidi, ventriculi ore dolentes, & ſanioſi, ſanguinem abunde profundunt, venterque turbatis his copioſe fluit. Quibus ex copioſa ſanguinis eruptione, & frequenti, nigrorum multorum eſt dejectio, hi ſuppreſſa alvo dolentes ſanguinem profundunt; cum aliqua vero fluxione facile ferunt. An hi ſudatiunculas frigidas habent multas? Conturbata in his urina mala non eſt, neque quod reſidet genituræ ſimile; frequentius vero hi meiunt aquoſa. Quibus e naribus in ſurditate & torpore pauca ſanguinis eſt deſtillatio, moleſtum quid habet; vomitus his confert, alvique perturbatio. Quibus ex rigore febres cum laſſitudine fuerint, his menſtrua decurrunt; cervix autem in his dolens, ſanguinis eruptionem portendit. Et per nares ſanguinem profundere ſperandum eſt ea, quæ caput concutiunt; & quæ aurium ſonitum faciunt, ſanguinem profundere, vel muliebria deducere (ſpes eſt) tum alias, tum ſi ad ſpinam æſtus inſequetur; fortaſſis vero & dyſenteriam facient.

Ventris quoque palpitationes cum hypochondrii tenſione ſublonga, & tumente, ſanguinis eruptionem ſignificant; inhorreſcunt autem hi.

CAPUT X.

Narium hæmorrhagiæ varia in morbis præſagia. Quid porro circa narium ſtillicidia obſervandum?

QUæ e naribus copioſa, violenta, multa fluxerint, ad convulſiones interdum deducunt; venæ ſectio ſolvit. Frequentes in parvis intervallis egeſtiones ſubflavæ, viſcoſæ, ſtercoracea pauca habentes, cum hypochondrii, & lateris dolore, morbum regium prænunciant. Num autem his ſuppreſſis hi exſolvuntur, ſimulque ſanguinem profundunt? lumborum tenſio his, & dolores ſanguinis eruptionem ſignificant. Hypochondrii tenſio cum capitis gravitate, & ſurditate, & ad ſplendorem viſum turbantia, ſanguinis denuntiant profuſionem. Undecimo die ſanguinis ſtillicidia difficilia; tum alias, tum ſi ſuperſtillaverint. Qui in horroribus ſimul judicatorie ſudarunt, poſtridie vero, ubi inhorruerint, præter rationem vigilant, hos ſanguinem effuſuros eſſe arbitror. Quibus ab initio largæ ſanguinis eruptiones, rigor fluxionem ſiſtit. (Si copioſa ſupervenerit ſanguinis profuſio, in contrarium revellitur). Ex hæmorrhagia rigores longi. Quibus capitis & cervicis dolores, atque totius corporis cum tremore imbecillitas, quædam eos ſanguinis eruptiones liberant; ſed & tempore ita liberantur. Urinæ, quibus abſceſſus poſt aures

fiunt, ſi celeriter, & exigue concoquantur, vitioſæ; & ita refrigeſcere, malum. Aliquantulum ſoporati, icterici, non admodum ſentientes; quibus ſingultus, alvus his erumpit, fortaſſis & ſuppreſſio; hi exſolvuntur; an & his parotides fiunt? Suppreſſæ cum rigore urinæ, malæ, tum alias, tum ſi ſopor præceſſerit; num juxta aures abſceſſus in his fore ſpes eſt? Ex torminoſo ſedimentum limoſum, ſublividumque, malum; an ex hypochondriis dolet? puto dextrum, & exſolvitur; num parotides talibus parum dolorificæ? alvus copioſe fluens his (in omnibus) pernicioſum; in anxiis quibuſdam pervigiliis parotides maxime. Ex volvulis graveolentibus, cum febre acuta, hypochondrioque ſublimi inveteratius permanente, parotides exſurgentes enecant. Ex ſurditate moderate parotides fiunt, tum alias, tum ſi qua jactatio ſupervenerit, & ſoporoſis inter hos adhuc magis. In leviter ſideratis parotides malæ ſunt.

CAPUT XI.

Ex hæmorrhagia convulſio: alvi quæ icterum ſubindicent? futuræ narium hæmorrhagiæ, præſagia & de eadem judicia. De Ictericorum præſagiis & parotidibus. Abſceſſus juxta aures quibus accidant, & de iiſdem judicia.

QUæ convulſivo modo cum alto ſtupore exarcerbantur, parotides movent. Convulſio, tremor, jactatio cum alto ſtupore parvos circa aures abſceſſus proritant. Num qui parotides habent, a capite dolent? num & ſupernis partibus

exſudant? num inſuper rigent quoque aliquo modo? deinde & alvus erumpit, & ſoporoſum quid habent? num & aquoſæ urinæ alba innatantia habentes, & quæ varie exalbidæ ſunt, ac fætidæ, parotides faciunt? num quibus tales urinæ, frequentes ſtillationes e naribus? num & lingua his lævis eſt? Quibus magnum ac crebrum ſpiritum ducentibus, & morbus regius, & febres acutæ cum duris hypocondriis refrigeratæ fuerint, his abſceſſus magni ſecundum aures ſuſcitantur? Sopore detentis, cum jactatione, hypochondriorum dolore, exigua vomitione, in his parotides exſurgunt; antea autem & faciei ſigna. Alvo nigra, & ſtercoroſa dejiciente, ſopor ſuperveniens parotides excitat. Tuſſiculæ, quæ ſunt cum ſputatione, abſceſſum circa aures emolliunt. In capitis dolore coma, & ſurditas abſceſſum aliquem ad aures effundunt. Hypochondrii contentio, cum ſopore anxio, & capitis dolore parotides adtollit. Dolorem concitantes aurium abſceſſus citra criſim ſenſim diſſipati, damno ſunt.

HIPPOCRATIS
COACÆ PRÆNOTIONES.

PRÆFATIO.

PLurimi DURETUS *facit, ut fere commentatores ſolent.* GALENUS *pro ſpurio habet opere, & non magni æſtimat* FOESIUS. *Neque diſſimulari poteſt, multa continere obſcura, ſæpe quæ-*

ſtiones ad quas nemo reſpondeat, alias aphoriſmos nimis particulares & fallaces. Multa habet proxime prioris libri ſimilia. Primus quidem liber ea tradit, quæ ad febres pertinent: ſecundus ad variarum corporis humani partium, capitis, colli, pectoris, abdominis &c. In eodem alio ordine præſagia recenſentur ſecundum eas corporis partes, a quibus ſigna ſumuntur. Tertius liber primam partem præſagiorum fere ex prognoſtico ſumit: altera ad capitis & reliqui corporis vulnera pertinet, tertia ad morbos mulierum. Inde iterum præſagia a variis egeſtionibus & excrementis ſumta.

ARGUMENTUM LIBRI.

Febrium, & aliorum morborum, citra febrem, & cum febre, corporis univerſitatem, aut partes obſidentium, ſymptomata apparentia, & ſupervenientia theorematibus explicantur, quibus quæcunque ſalutaria, aut pernicioſa ægrotantibus oboritura ſint, eorum prænotiones traduntur. Max.

SECTIO I.

CAPUT I.

De Frigoribus, & Febribus.

QUi ex rigore perfrigerantur, caput ac cervicem dolentes, voce capti, leviter exſudantes, ut ſe recollegerint, moriuntur. Jactationes cum frigore peſſimæ. Perfrigeratio, ita ut cutis obrigeat, pernicioſa. Ex frigore metus, & mœ-

ror præter rationem, in convulſionem deſinit. Ex frigore urinarum ſuppreſſiones, peſſimum. A rigore ignoratio, malum; malum autem & oblivio. Soporoſi rigores aliquantulum perniciosi: ac flammeus in facie color, cum ſudore, in his malignus eſt; ad hæc poſteriorum partium frigus convulſionem arceſſit; atquè omnino poſteriorum partium frigiditas convulſiva eſt. Crebri ex dorſo horrores, & cito locum permutantes, ægre feruntur; urinæ enim ſuppreſſionem, & laborioſum affectum ſignificant; his leviter exſudare, peſſimum. Rigor aſſiduus, corpore jam imbecillo, lethalis. Qui crebro tenuiter exſudant, ac ſubinde rigent, perniciosum: ac ſub finem ſuppurationem habere deprehenduntur, alvosque perturbatas. Rigores ex dorſo moleſtiores; qui vero decimo ſeptimo riguit, & vigeſimo quarto inſuper riguerit, permoleſtum eſt. Horrore affecti, caput dolentes, leviter exſudantes, maligne habent. Horrore adfecti, multum exſudantes, moleſte laborant. Multi cum torpore rigores, maligni. Quibus ſexto die rigores fiunt, ii difficile judicantur. Quibus ſanis horrores crebri ſunt, ii futuram ex ſanguinis fluore ſuppurationem oſtendunt. Horror, & ſpirandi difficultas in doloribus, tabis ſigna ſunt. Ex pulmonis ſuppuratione, & circa ventrem interdum ac claviculam dolores, & anxie ſtertere, ſputi copiam in pulmone ſignificat. Horrore adfecti cum jactatione, ac laſſitudine, lumbos dolentes, profuſiore ſunt alvo. Quibus ſuperveniunt rigores, & qui ad noctem aliquanto magis exacerbantur, cum vigiliis exæſtuant, in ſomnis interdum urinam ſub ſe elaxant, ac delirantes in convulſionem abeunt. Frequentes rigores in acutis, pravi ſunt. Ex rigore, cum capitis dolore, virium exſolutiones, pernicio-

niciosæ; cruentæ in his urinæ pravæ. Rigor, cum posteriorum partium distentione, enecat. Qui inhorruerunt, etiamsi sudaverint critice, postridie vero horruerunt præter rationem, non pervigilarunt, nec concoxerunt, venturam hæmorrhagiam arbitror. Urinæ cum rigore suppressæ, pravæ, & convulsionem inducunt, tum alias, cum si prius soporato; sed spes in his, fore parotidas. Rigores velut in febre tertiana, si in media inordinata febre exacerbentur, valde maligni sunt; contra vero, qui exacerbantur, convulsione accedente, una cum rigore, & febre, perniciosi. Vocis interceptiones ex rigore, tremore solvuntur, & insuper rigentes, tremores succedentes judicant. Qui ex rigore cum capitis dolore exsolvuntur, periculose laborant; cruenta urina his mala est. Quibus rigor, iis urinæ suppressio est. Convulsio in febre, manuum, ac pedum dolores, malignum; sed & malignum ex femore doloris impetus; imo neque genuum dolor, bonum; quin & surarum dolores, maligni sunt, ac mentem emovent, tum alias, tum si urina suspensum quid habuerit. Ex hypochondriorum dolore febres, malignæ; multus sopor in his pessimus. Qui febre non intermittente crebro exsudant, cum hypochondrii tensione, plerumque maligne habent; & qui dolores in summum humerum ac claviculam incumbunt, in iis pravi sunt. Tertianæ febres naturam referentes cum anxietudine, malignæ. Vocis interceptiones in febre, malæ sunt. Lassati, caligantes, pervigilantes, in soporem propensi, exsudantes, recalescentes, male habent. Lassati cum horrore, si exsudarint critice, recalefacti in acuto morbo, malum; tum alias, cum si circa hæc e naribus sanguinem stillarint. Auriginosi admodum sedati

moriuntur; album his alvi recrementum prodit. Febres tertianæ naturam referentes, erraticæ, in pares dies translapsæ, difficiles sunt. Criticis diebus jactationes sudoris expertes, perfrigerationibus comitatæ; & qui omnes citra sudorem haud critice perfrigerantur, male habent. Et qui insuper riguerunt, post hæc sincera vomuerunt, anxii, tremuli, in febre, malum; & a rigore vocis interceptio. Qui ex rigoribus, parvis sudoribus perfrigescunt, malum. Exsudantes, pervigiles, recalescentes, male habent. Qui leniter exsudant in febre, maligne habent. Quibus biliosa dejectione prodeunte circa pectus morsus, ac amaritudo, malum. In febribus inflata alvo, flatum non erumpere, malum. Lassati, singultuosi, & stupore detenti, male habent. Qui ex dorso crebris ac tenuibus horroribus exsudant, moleste laborant; urinæ (enim) interceptionem cum dolore significat; in his exsudare malum. Præter consuetudinem aliquid facere, ut aliquid in animum inducere, prius minime consuetum, aut contrarium, pravum, ac delirio proximum. In pravis signis, quæ mitescunt, quæque in bonis non remittunt, contumacia. Qui leviter exsudant, & maxime capite, in morbis acutis submoleste ferentes, malum; tum alias, tum si urinæ nigræ sint; atque turbidus in his spiritus, malum. Extrema si in utrumque celeriter permutantur, (malum); sed & sitis hujusmodi, malum. Ex homine moderato proterva responsio, malum. Malum vero, & vox acuta; hypochondria his intro trahuntur. Qui ex perfrigeratione sudabunda cito recalescunt, male habent. Qui in acutis leviter exsudant, submoleste ferentes, malum. Qui præter rationem, nulla existente vasorum vacuatione, prostratis sunt viribus, malum. In febre proritatio, velut

a vomitu, in screationem desinens, malum. Torpor in contraria cito translabens, malum. Sanguinis stillæ pusillæ (in acutis) malæ. In acuto vero morbo sitis præter rationem exstincta, malum. Qui ad manum resiliunt, male habent. Quibus in febre ardente, tumores cum somnolentia & torpore fiunt, his dolor in latus superveniens, cum levi partis alicujus sideratione, necat. Suffocatio in acutis, ægris attenuatis, perniciosa. In morti jam proximis, parvi tremores, & vomitus æruginosus, (lethales). Qui in potibus substrepunt, & submurmurant in siccis; & qui difficulter deglutiunt, spiritu tussiente, perniciose habent in acutæ febris perfrigeratione. Rubores in manibus, ac pedibus, perniciosi. Efflantes, & viribus fracti, in somnis leviter suspicientes, morbo regio admodum fœdati moriuntur; album alvi recrementum in his præcedit. In febribus mentis emotiones taciturnæ, in eo, qui voce privatus non est, perniciosæ sunt. Livores oborientes in febre, brevi mortem adfore significant. Quibus in febre dolore lateris oboriente, alvo multa aquosa, ac biliosa dejiciente, hi adlevantur. Quibus vero inappetentia accidit, ac sudores cum bono faciei colore, & alvo fluente, atque etiam aliqua cardialgia; hi, ubi diutius ægrotarunt, peripneumonicorum modo moriuntur. Febrienti si atra bilis in principio sursum, aut deorsum exeat, lethale est. Qui cum perfrigerationibus, non sine febre, superne exsudant, moleste ferentes, & phrenitici, in acuto morbo perniciose habent. Dolores sensim ingravescentes ad claviculam, ac sursum transeuntes, perniciosi. In diuturnis perniciosis morbis, ani dolor lethalis est. Si debiliter jam affecti non videant, aut non audiant, aut labium, aut oculus, aut nasus

ipſis diſtorqueatur, lethale eſt. In febribus inguinis dolor morbum longum ſignificat. In febribus judicationis ceſſationes diuturnitatis quidem cauſſæ ſunt, non autem perniciofæ. Febres ex gravibus affectibus, diuturnæ. Mentis emotiones tremulæ, palpantes, phreniticæ ſunt; & dolores circa ſuram, in his mentem emovent. Quicunque in febre continua, voce deſtituti jacentes, oculis conniventes nictant, hi, ſi poſtquam ſanguis ipſis ex naribus fluxit, &, ubi vomuerunt, loquantur, & ad ſeipſos redeant, ſervantur; ſi vero hæc non fiant, cum ſpirandi difficultate brevi moriuntur. Acceſſione correpti, ſi poſtridie gravius habeant, malum eſt. Si tertio die cohibita, quarto exacerbetur, malum eſt. Num & tales exacerbationes phreniticæ ſunt? Quibuscunque deſinunt febres, non in diebus judicatoriis, his recidivæ fiunt. Qui in principio leviter habent, ſi cum capitis pulſu, & urina tenui, ad judicationem exacerbantur; his nihil miri eſt, ſi & mentis emotio, inſuperque vigiliæ accedant. In morbis acutis, motus, jactatio, ſomnus turbulentus, quibusdam convulſionem ſignificat. Turbulentæ cum ferocia excitationes mentem emoventes, malæ ſunt, itemque convulſoriæ tum alias, tum cum ſudoribus; convulſoriæ etiam videntur colli, ac dorſi perfrigerationes, imo etiam totius corporis; in his mictiones ſunt membraneæ. Deliria cum ſopore, convulſoria. Mentis emotiones modice feroces, ferinæ ſunt; ſed & convulſiones prænunciant. In morbis longis, ventris præter rationem tumores, convulſorii. Affectiones ſtatim turbulentæ, vigilias inducentes, ſanguinem de naribus ſtillantes, ſexta die allevantes per noctem; verum poſtridie rurſus affligentes, exſudantes, ſoporoſæ, mentem emoventes,

large ſanguinem fundunt, & morbos ſolvunt; aquoſa urina talia ſignificat. Qui cum relatis, ab atra bile mente moti, tremuli fiunt, maligne habent. Delirium cum difficultate ſpirandi, & ſudore, lethale; lethaleque eſt cum ſpirandi difficultate, ac ſingultu. Inſomnia in phrenitide evidentia, bona ſunt. In phrenitide dejectiones alvi albæ, & torpor, malum; rigor his peſſimus eſt. In phreniticis, in principiis affectiones manſuetæ, ac frequenter tranſmutationem habentes, malæ ſunt. Quibus ab atra bile mente motis tremores fiunt, exitio ſunt. Qui ab atra bile mente moti, tremuli fiunt, ac ſalivam fundunt, num ſane phrenitici ſunt? Mente moti, acute inſuper febrientes, phrenitici fiunt. Phrenitici parum bibunt, ex levibus ſtrepitibus facile irritantur, tremuli, aut convulſi fiunt. In intenſa phrenitide tremores lethales. Deliria circa res neceſſarias, peſſima; quæ ex his exacerbantur, lethalia ſunt. Mentis percuſſiones, voces clangentes, linguæ convulſæ, ac ipſi quoque tremuli facti, mentem alienam denunciant; his cutis rigida pernicioſa eſt. Ante jam debilitatorum deliria, peſſima. Affectiones in phreniticis frequenter tranſmutationem habentes, convulſoriæ, pravæ. Crebræ in phreniticis cum perfrigeratione ſputationes, vomitum nigrum indicant. Qui varie ægrotant, & frequenter ſoporoſi mente moventur, his nigrum vomitum exſpectandum eſſe dicito. Quæ convulſorio modo exacerbantur, altum ſtuporem inducunt. Tumores juxta aurem, in morbis longis, parvi ſunt; ſanguinis fluxiones, ac vertigines inſuper apparentes, pernicioſæ. Febres vertiginoſæ, & ſine volutatione, & cum volutatione, pernicioſæ. Anhelatoribus ſi febris poſtea acuta incidit, cum hypochondriorum contenſione perfrigeratis,

magnum circa aurem tumorem exſpectare oportet. Quibus in febre dolores circa lumbos, & infernas partes oborti, ſeptum transverſum contingunt, infernas partes relinquentes, pernicioſi ſunt; tum alias, tum ſi aliud quoddam ſignum pravum accedat; ſi vero alia ſigna non fuerint prava, ſuppuratum fore exſpectandum eſt. Pueris febris acuta, & alvus ſuppreſſa, cum vigiliis, & calcitrare, & colorem mutare, & ruborem habere, convulſorium eſt. Affectiones ſtatim turbulentæ, vigilias inducentes, nigra & compacta dejicientes, interdum ſanguinem fundunt. Affectiones cum vigiliis, & anxietate repentina, ſanguinem fundunt; tum alias, cum ſi quid etiam antea profluxerit; num & qui modice perfrigerati, poſtea horruerunt? At qui circa acceſſiones tuſſiunt, & parum exſudant, maligne habent. Ad latus dolore, ac ſuffocatione accedente, hi ſuppurantur. Quibus in febribus continuis puſtulæ per totum corpus erumpunt, lethale, ſi non purulentus abſceſſus fiat; maxime autem circa aurem his fieri ſolet. In morbo acuto externas quidem partes perfrigerari, internas autem ardere, & ſitire, malum eſt. Febres continuæ, quæ tertio quoque die intenduntur, periculoſæ; quibus vero febris aliquando intermittit, periculo vacat. In febribus longis, aut tubercula, aut dolores in articulis fiunt; & ſi facti fuerint, non ſunt inutiles. Capitis dolor in morbo acuto, hypochondrium revulſum, non profluente ex naribus ſanguine, ad phrenitidem devenit. Febres lipyriæ, niſi per choleram effuſa bile, non ſolvuntur. Morbus regius ante ſeptimum diem accedens, malum; ſeptimo vero ac nono, & undecimo ac decimo quarto, judicatorius eſt, ſi non hypochondria induret; ſin minus, ambigua res eſt. Fre-

quentes per eadem recidivæ, circa judicationem ſanguinolentæ, nigrorum vomitum faciunt; inducunt etiam tremorem. Dolores, qui in tertianis febribus exacerbantur, tertianarum naturam inducunt, & grumoſum ſanguinem egerunt. In febribus ſecundum venam, quæ eſt in collo, pulſus, ac dolor, in dyſenteriam deſinit. Color, qui ſæpe in calore transmutatur, utilis eſt. In bilioſis ſpiritus magnus, & febris acuta cum hypochondrii intentione, juxta aurem abſceſſum facit. Qui ex morbis longis ſe refocillantes bene cibum accipiunt, & nihil proficiunt, hi maligne in morbum recidunt. Quibus in febribus venæ in temporibus pulſant, & facies ſana eſt, & hypochondrium non molle, diuturnum morbum ſignificat: & non deſinentem, citra multi ſanguinis ex naribus fluxum, aut ſingultum, aut convulſionem, aut coxendicum dolorem. In febre ardente, ſi alvus valde ſoluta ſit, lethale eſt. Ex alvi dolore laborioſo, febris ardens, pernicioſa. In febribus ardentibus, ſi aurium ſonitus accedant, cum viſus hebetudine, & gravitate ſecundum nares, melancholico modo mente moventur, ſanguine ipſis non erumpente. Tremores in febribus ardentibus, delirium ſolvit. In febre ardente fluxio ſanguinis ex naribus, 4to die, mala eſt; ſi non aliud quid boni inciderit; verum 5to, minus periculoſa eſt. Qui in febribus ardentibus leviter refrigeſcunt, & aquoſa bilioſis mixta frequenter egerunt, oculis (perverſis) malum eſt, tum alias, tum ſi alto ſtupore corripiantur. Febris ardens rigore ſuperveniente ſolvitur. Febres ardentes recurrere ſolent, & ubi per dies quatuor ſignificationem de ſe præbuerunt, poſtea ſudorem cient; ſin minus, ſeptimo die & undecimo. Febres ardentes quatuordecim dies dijudicant, aut

allevantes, aut perimentes. Ex febre ardente, nisi qui circa aurem fit abſceſſus ſuppuret, non admodum liberantur. Lethargici, tremuli ex manibus, ſomnolenti, decolores, tumidi, pulſibus tardi ſunt, & partes ſub oculis elevatas habent, & ſudores inſuper accedunt, & alvos bilioſas, intemperatas & ſubtumidas habent: ſi vero reſiccatas habuerint, urinæ & dejectiones alvi latenter ipſis prodeunt; urina velut jumentorum eſt; potum non expetunt, neque aliud quicquam. Poſtquam vero reſipuerint, de colli dolore conqueruntur, & ſonitus per aures tranſire. Qui vero ex lethargicis ſervantur, plerumque (pectore) ſuppurati fiunt. Quibuscunque in febribus tremores citra judicationem ceſſant, his temporis progreſſu, abſceſſus cum dolore ſuppuratus in articulos fit, & veſica dolet. Febrientibus, quibus quidem rubores ſunt in facie, & dolor capitis vehemens, & venarum pulſus, his ſanguinis fluxio plerumque contingit. Quibus autem anxietates ſunt, & oris ventriculi morſus, & crebræ ſalivæ, his vomitus fit. Quibus vero ructus adſunt, & flatus, ſtrepitus ac elevationes ventris, his fit alvi perturbatio. Qui diutius ſecure ex febre continua laborant, citra dolorem aut inflammationem, aut aliam cauſam, his abſceſſus exſpectandus eſt cum dolore ac tumore, & magis in inferis partibus. Exſpectare autem oportet abſceſſus his magis, qui trigeſimum annum egreſſi ſunt; conſiderandi autem in his abſceſſus ſunt, ubi viginti dies febris transmiſerit; ſenioribus autem minus fiunt, & ubi multo tempore febres durant. At intermittentes & erratice invadentes, autumno maxime in quartanam leniter tranſeunt, & hoc magis his, qui triginta annos exceſſerint. Abſceſſus autem hyeme magis fiunt, & tardius deſinunt, & minus recurrunt. Quibus vero ſæpe reci-

diva contigit, his si semestre tempus transmiserint, tabes coxendicum fere accidit. Quæcunque signa febri se opponunt, neque abscessus significationem habent, maligna sunt. Febres, quæ neque in diebus judicatoriis, neque post solutorium signum decesserunt, revertuntur. Acuti morbi in diebus quatuordecim judicantur. Tertiana exacta in quinque aut septem circuitibus, aut ad summum in novem judicatur. Quibus febrire incipientibus, sanguis de naribus sternutatione contingente destillat, & urina sedimentum album quarto die habet, his in septimo die solutionem significat. Morbi acuti judicantur, sanguine de naribus fluente, in die judicatorio; & sudore multo oborto, & urina purulenta ac vitrea prodeunte & bonum sedimentum hacente, & confertim exeunte; abscessu item memorabili oboriente, & alvo mucosa & cruenta derepente egerente, & vomitibus non pravis contingentibus circa judicationem. Somni profundi, non turbulenti, firmam judicationem significant: turbulenti vero cum dolore corporis, inconstantes sunt. Septimo die, aut nono, aut decimoquarto, fluxus sanguinis e naribus contingentes, plerumque febres solvunt; similiter & alvi fluxio biliosa, & qualis in dysenteria fieri solet; & genuum ac coxendicum dolor, & urina concocta ad judicationem; in muliere vero etiam menstruæ purgationis fluxus. Quibus in febribus sanguis abunde undecunque profluxit, his in refectionibus (a morbo) alvi humectantur. Qui in febribus tenuiter sudant, capite dolentes, alvo suppressâ, convulsi fiunt. Mentis emotiones modice feroces, in ferinas evadunt, & convulsionem significant. Convulsio in febre oboriens, & eodem die desinens, bona est. Convulsio in febre oboriens, sedat febrem eodem die, aut postero, aut tertio; si vero horam, in qua

incepit, excefferit, neque quieverit, malum eft. Febres intermittentes, verum inæqualiter calefcentes, alvo inflata, pauca egerente; in his poft judicationem lumborum dolore fequuto, alvi prorumpunt. At amburentes ad manum, torpidæ, fiticulofæ, anxiofæ, in his, alvo fuppreffa gravati, exfolvuntur. Quandoque vero & rubicundæ in pedibus ambuftiones eadem fignificant. Hibernæ febres quartanæ, fere in acutos morbos tranfeunt.

CAPUT II.

De capitis dolore.

Capitis dolor vehemens cum febre acuta, & alio gravi figno, lethalis eft; ceterum fine figno malo, tranfgrediens vigefimum diem, fanguinis aut puris fluxum e naribus, aut abfceffus ad inferas partes fignificat; fluxiones quidem junioribus triginta quinque annis: fenioribus vero, abfceffus (exfpectandi): fi vero circa frontem ac tempora fuerit dolor ille vehemens, fluxiones. Quibus capitis funt dolores, & fonitus aurium, citra febrem, & tenebricofa vertigo, & vocis tarditas, & manuum torpor; eos aut apoplecticos, aut comitiales, aut obliviofos fore exfpecta. Qui caput dolent, ftupore correpti, delirantes, alvo fuppreffa, oculo ferociente, facie rubente; hi pofteriore parte convelluntur. Capitis fuccuffiones, oculi rubicundi, deliria manifefta perniciofa funt; neque commoriuntur hæc, fed circa aurem tumorem faciunt. Capitis dolor, cum fedis & pudendorum dolore, & torporem, & impotentiam inducit, & vocem refolvit, hæc gravia non funt, verum fomnolenti ac fingultien-

tes fiunt nono menſe, ex quibus ſoluta voce, in idem reſtituuntur. Qui in capitis dolore aſcaridas habent, his ſurditas & ſopor conſequens, abſceſſus circa aurem exſuſcitat. Qui caput dolent, ſtupore detenti, cum dolore, & prærubro oculo, ſanguis profundetur. Capitis pulſationes, & aurium ſonitus, ſanguinem effundunt, aut mulieri menſes deducunt; tum alias, tum ſi juxta ſpinam ardor conſequatur; fortaſſis autem & dyſenterica ſunt hæc. Capite gravati, juxta ſinciput dolentes, vigiliis infeſtati, ſanguinem effundunt; tum alias, cum ſiquid protendatur ad collum. Vomitus in capitis doloribus æruginoſus, cum ſurditate, vigilantibus, cito inſaniam excitant. Quibus capitis ac colli dolores ſunt, ſed & totius corporis tremula quædam impotentia, ſanguinis eruptio ſolvit; quin & tempore ſic ſolvuntur; (ac tum veſica dolet). (Veſicæ interceptio) in acutis capitis doloribus, cum torpore & gravitatis ſenſu, convulſiones fieri ſolent. Capitis dolorem ſolvit pus per nares, aut ſputa craſſa, & non olentia; ſolvit quoque ulcerum eruptio; quandoque & ſomnus, & alvi fluxus. Capitis dolor moderatus non ſudantibus, aut cum ſudore non ſolvente febrem, abſceſſus in gingivis, aut circa aurem ſignificat, alvo non exturbata. Capitis dolor ſoporoſus cum gravitate, convulſorium quid facit. Caput dolentes, ſiticuloſi, aliquatenus vigilantes, obſcure loquentes, impotentes, ex alvo liquida delaſſati, num mente moventur? Caput dolentes, ſurdaſtri, manibus tremuli, collum dolentes, mingentes nigra condenſata, vomentes nigra; perniciose habent. Caput dolentes, leviter exſudantes, alvum ſuppreſſam habentes, convulſione tentantur.

CAPUT III.

De alto & veternoso Sopore.

SOpor profundus, ubique malum. Soporosi in principiis evadentes, cum capitis, lumborum, colli, hypochondrii dolore, vigilantes; num phrenitici sunt? Nasus in his distillans, perniciem denuntiat, tum alias, tum quarto die, aut morbi initio; mala est etiam alvi proluvies valde rubra. Soporosi ab initio leviter exsudantes, urinis permolestis, ardentes, verum citra judicationem perfrigescentes, & brevi rursus ardentes, torpidi, soporosi, convulsi, perniciose habent. Somni, quales sopore oppressis, & perfrigerationes, perniciosi sunt. Soporosis, delassatis, surdis factis, alvo erumpente, si rubicunda dejecta fuerint circa judicationem, prosunt. Soporosi, anxii, hypochondrium dolentes, parum vomentes, abscessus juxta aurem habent; antea vero circa faciem tumores cum sopore. Morbi derepente mentem percellentes cum anxietate, sanguinem profundunt. Ubi sopores, anxietates, hypochondriorum dolores, crebræ & parvæ sputationes, ibi tumores circa aurem. Soporosi, num aliquid convulsivi habent? Adfectiones soporem, fatuitatem inducentes, & altum stuporem, hypochondria variantia, & ventrem tumidum habentes, cibum fastidientes, alvo suppressa, exsudantes, num his turbidus spiritus, & genituræ simile quid prodiens, singultum significat? Num & alvus biliosa insuper egerit? Spumosum in his mictum prodest; ventres quoque his insuper turbantur. Cerebro corrupto alii in tribus diebus, alii in septem moriuntur; has ve-

ro ſi effugerint, ſervantur: quibus autem ex his reſectis, os disjunctum, repertum fuerit, hi pereunt. Caput dolentibus ex poſteriore parte oſſa rupta habentibus, fluxio e nare larga, craſſa, mala eſt. Hi ubi oculum antea doluerint, rigent. Num & juxta tempora oſſium diruptiones convulſoriæ ſunt?

CAPUT IV.

De Aurium adfectionibus.

AUris dolor intenſus, cum febre acuta, & alio aliquo ſigno aliquantum maligno, juvenes quidem ſeptimo die occidit, & citius delirio correptos, ſi non multum pus effluxerit ex aure, aut ſanguis e naribus, neque aliud quoddam bonum ſignum appareat; ſeniores autem tardius & minus tollit. Nam & aures ſuppurare præveniunt, & minus delirant. Verum multi ex his recidunt, atque ſic pereunt. Surditas in acutis ac turbulentis morbis conſequens, malum; malum etiam in longis (morbis;) in his autem dolores etiam ad coxas deducit. In febribus ſurditas alvum ſiſtit. Aures frigidæ, & pellucidæ, & contractæ, pernicioſæ. Tinnitus in acutis, & ſonitus in auribus, mortiferum. Sonitus aurium, cum viſus hebetudine, & narium gravedine, mentem emovet, & ſanguinem profundit. Quibus ſurditas cum capitis gravitate, & hypochondrii intenſione, & ad ſplendorem turbatio, ſanguis profluit. In febre acuta aures obſurdeſcere, furioſum eſt. Valde ſurdi, dum aliquid prehendunt tremuli, linguam reſoluti, torpidi, malum. Procedente morbo ſur-

ditas, & urina ſubrubra, cum multo ſedimento, ſed cum ſublimamentis in medio innatantibus, mentis emotionem prænuntiant: morbo regio corripi, in his malum eſt. Mala eſt & ex morbo regio fatuitas; hos voce privatos, ſentientes tamen, ſuffocari contingit. Fortaſſis autem in his alvus male afficitur.

CAPUT V.

De Parotidibus.

QUæ circa aurem cum dolore excitantur (tubercula) perniciofa ſunt. Rubores circa aurem ex prægreſſo dolore, in febribus orientes, ſignum quidem ſunt eryſipelatis in facie futuri; ſed & convulſiones ex talibus fiunt, cum interceptione ac exſolutione. Tumores circa aurem ex plurimis graveolentibus cum febre acuta, & hypochondrio intento, diutius intumeſcentes, occidunt. Tumores circa aurem leviter ſideratis, mali. Tumores circa aurem in (acutis) morbis non ſuppurantes, lethales; alvi vero his deorſum feruntur. Num quibus abſceſſus ſunt juxta aures, caput dolet? Num & ſuperis partibus exſudant? Num & inſuper rigent? Num & alvi erumpunt, & quid ſoporoſum habent? Num & aquoſa eſt urina, alba innatantia habens, & varia, exalbida; graveolentia? Abſceſſus juxta aurem emolliunt, tuſſiculæ, cum ſputationibus ortæ. Urinæ in abſceſſibus retro aures cito & pauliſper matureſcentes, malæ ſunt; & ſic perfrigerari, malum eſt. Abſceſſus circa aurem in morbis (acutis) ſuppurati, non valde albo

& nihil olente pure, occidunt; maximeque mulieres. Abſceſſus juxta aurem, ex acutis morbis maxime in febribus ardentibus fiunt, ac tum ſi judicationem fecerint, & matureſcant, aut ex naribus ſanguis fluxerit, aut urinæ ſedimentum craſſum habuerint, ægri pereunt. Plerique vero talium tumorum antea ſubſidunt. Verum conſiderare oportet inſuper etiam ipſas febres, ſive augeſcant, ſive remittant, atque ſic pronunciare. In ſurditate ac torpore, de naribus aliquid ſubſtillare, difficultatis aliquid habet; vomitus his conveniet & alvi turbatio. Ex ſurditate abſceſſus juxta aures fieri par eſt, tum alias, cum ſi quid anxietatis accedat; ſed & ſoporoſis ex his etiam magis abſceſſus ad aurem fiunt. Surditatem ex febribus ſanguinis e naribus fluxio ſolvit: itemque alvi turbatio.

CAPUT VI.

De Faciei, nec non Oculorum adfectionibus.

FAcies, quæ ex tumida ſubſidet, & vox lenior, ac debilior evadens, & ſpiritus rarior ac levior, remiſſionem in ſequentem diem ſignificat. Facies cadaveroſa, lethalis: verum minus, ſi propter vigilias, aut famem, aut alvi exturbationem fiat; ſi quid vero propter hæc corruptum eſt, reſtituitur per noctem ac diem. Talis autem fuerit: oculi cavi, naſus acutus, tempora collapſa, aures frigidæ ac contractæ, cutis dura, color pallidus aut niger; liveſcens vero præter hæc palpebra, aut labium, aut naſus, brevi lethale eſt. Faciei bonus color, & tetricus vultus, in morbo acuto, malum eſt; frontis in

his contractio, phrenitidis signum est. Circa faciem color bonus, & sudores non febrientibus, stercora vetusta subesse significat, aut victus rationem inordinatam. Rubores circa nasum, alvi profusioris signa sunt. Dolores circa hypochondria, aut pulmonem, si suppurentur, malum est. Oculorum puritas, & albas ipsorum partes, ex nigris aut lividis puras fieri, judicatorium est. Si igitur cito purgentur, celerem judicationem significat; si tarde, tardiorem. Caligo oculorum, aut si alba ipsorum pars rubescat, aut livescat, aut venulis nigris impleatur, bonum non est. Malum est etiam lucis splendorem fugere, aut lachrymari, aut distorqueri, & alterum (oculum, altero) minorem fieri; malum est & oculos huc illuc volvere, aut parvas sordes ipsis adhærescere, aut concretionem tenuem albicantem habere; aut albam partem majorem fieri; nigram vero minorem, aut nigram sub palpebra superiore occultari. Mala est etiam oculorum cavitas & expressio valde foras, & splendoris extritio, ita ut pupilla extendi non possit. Et extremitatum palpebrarum curvitas, & oculorum concretio, & assidue nictare, & colores permutare, & palpebras inter dormiendum non committere, perniciosum est. Malus est & oculus distortus. Oculorum rubor in febre oboriens, alvi diuturnam malignam adfectionem significat. Circa oculos pustularum eruptiones in virium refectionibus, alvum prorumpere faciunt. In oculorum distortione, febrienti, lassato, rigor perniciosus; & soporosi in his male habent. Viro lippienti, febre superveniente, solutio; sin minus periculum est, ne cæcus fiat, aut pereat, aut utrunque. Quibus lippientibus capitis dolor accedit; & ad multum tempus concomitatur, periculum

riculum eſt, ne cæci fiant. Lippienti alvi profluvium ſua ſponte prodiens, utile eſt. Oculorum hebetudo, & concretio, & caligatio, malum. Oculorum obſcuratio cum animi defectione, ſtatim adfuturam convulſionem indicat. Oculorum rectitudo in morbo acuto, & motus velox, & ſomnus turbulentus, & vigiliæ, & quandoque ſanguinis e naribus ſtillationes, convulſionis prænuncia. Qui ad contactum minime ſunt æſtuoſi (in febribus), phrenitici evadunt; idque magis, ſi ſanguinem (non) profundant.

CAPUT VII.

De Lingua, & reliquis Oris partibus.

LIngua, quæ in principio quidem inhorruit, in colore vero permanet; progreſſu autem temporis exaſperatur, & liveſcit, & finditur, lethalis eſt; ſi vero valde nigreſcat, in decimoquarto die judicationem fore ſignificat. Periculoſiſſima autem eſt nigra, & cum virore pallida. Linguam circa bifidam ſui partem, velut ſaliva alba obduci, febris remiſſionis ſignum eſt; ſi quidem id, quod ſuperinductum eſt, craſſum fuerit, eadem die; ſi vero tenuius, poſtridie; ſi vero adhuc tenuius, tertia die. Eadem ſignificant etiam hujuſmodi, ſi circa ſummam linguam fiant; verum minus. Lingua tremula cum rubore juxta naſum, & alvo liquida, ſi reliqua ſine ſignis ſint circa pulmonem, malum eſt; & celeres purgationes, & pernicioſas ſignificat. Lingua citra rationem tenera evadens, & faſtidioſa, cum frigido ſudore, inſuper alvo liquida; nigro-

rum vomituum ſignum eſt: laſſitudo in his mala eſt. Linguæ tremulæ quibusdam etiam alvum liquidam quandoque faciunt; denigratæ vero in his celerem mortem ſignificant. Num lingua tremula mentem non firmam ſignificat? Linguæ aſperæ, & reſiccatæ; phreniticæ ſunt. Dentes collidere, aut ſtridere, quibus non familiare id eſt a pueris, furioſum, ac lethale eſt; jam vero delirans ſi hoc faciat, penitus lethale eſt. Pernicioſum autem eſt exareſcere dentes. Dentis corruptio abſceſſum circa gingivam factum ſolvit. Ad dentis corruptionem vehemens febris accedens, & delirium; lethale eſt; ſi vero ſerventur, ulcera ſuppurabunt, & oſſa abſcedent. Quibus circa palatum humoris collectio fit, plerunque ſuppuratur. Dolores vehementes circa maxillas, periculum eſt, ne ad oſſis eductionem deveniant. Labium contractum, alvi bilioſæ eruptionem, ſignificat. Sanguis de gingivis, alvo inſuper liquida, pernicioſus. Sputi exſcreationes in febre lividæ, nigræ, bilioſæ, omnes omnino malæ ſunt; ſecedentes vero pro ratione, utiles. Quibus ſalſuginoſa ſputa, ac tuſſis ſupprimuntur, his corpus velut puſtulis oblitum rubeſcit; verum ante obitum exaſperatur. Screatio frequens, ſi ſane & aliud quoddam ſignum acceſſerit; phrenitidem indicat.

CAPUT VIII.

De Voce.

VOcis interceptiones cum exſolutione, peſſimæ. Pauliſper feroces mentis emotiones,

malæ & ferinæ ſunt. Quibus vox cum febre deficit, & abſque ulla judicatione, tremuli moriuntur. Vocis interceptiones in febre convulſorio modo contingentes, & in mentis emotionem cum ſilentio deſinunt, perniciofum. Vocis ex dolore interceptiones, ærumnoſam mortem inducunt. Vocis interceptiones cum exſolutione ſtupefactorio modo, pernicioſæ ſunt. Voces confractæ poſt medicamenti ſumptionem, num pravæ ſunt? Plerique horum leviter exſudant, & ventres humectantur. In vocis interceptione reſpiratio, velut his, qui ſtrangulantur, conſpicue elata, malum. Num & mentem emovet? Ex capitis dolore vocis interceptiones, ſi ſint febricitantes cum ſudore, & alvus laxatur injuſſa, utſe collegerint, diu tamen laborant; his inſuper rigere, malum non eſt. Mentis emotiones cum vocis interceptione, pernicioſæ. Vocis interceptiones inſuper rigentibus, lethales; fereque ii caput dolent. Vocis interceptiones cum exſolutione, in febre acuta ſine ſudore, ſunt quidem lethales; minus vero cum ſudore, verum diuturnitatem temporis ſignificant; fortaſſis autem & qui ex recidiva tale quid patiuntur, tutiſſimi ſunt. Pernicioſiſſime autem ex talibus habent, quibus ſanguis ex naribus fluit, & quibus alvi effunduntur. Vox acuta ejulabunda, ac oculorum hebetudo, convulſionem minantur; dolores his ad infernas partes, toleratu faciles ſunt. Cum voce tremula, ſolutio alvi præter rationem; in his moram trahentibus diuturnis, pernicies eſt. Frequentes ſubſoporatæ vocis interceptiones conſiſtentes, tabem prænunciant.

SECTIO II.

CAPUT IX.

De Respiratione, & de Cervice.

SPiratio frequens quidem & parva, inflammationem, & dolorem principalium partium significat; magna autem, & per multum tempus, delirium, aut convulsionem. Et frigidus quidem lethalis est; lethalis autem est, & æstuosus, & fuliginosus spiritus; verum minus quam frigidus. Et qui magnus foras exspiratur, parvus vero intro; & parvus foras, magnus vero intro, pessimus sane est, & morti propinquus. Itemque protensus, & urgens, & obscurus, & dupla intro revocatio; qualis inspirationem conduplicantibus. Bona autem spiratio in omnibus morbis, qui cum febre acuta sunt, & in quadraginta diebus judicantur, magnum momentum ad salutem habet. Collum durum, & dolens, & maxillarum colligatio, & venarum jugularium palpitatio fortis, & tendinum distensio, perniciosum. Dolores in faucibus gracilibus strangulatorii, a capitis dolore originem trahentes, convulsorii sunt. Frigiditates colli, ac dorsi apparentes, sed & totius corporis, convulsoriæ: in his mictiones fiunt crassiorem farinam referentes. Quibus circa fauces irritamenta sunt, his fere tumores circa aurem erumpunt. Fauces dolentes, (stangulabundæ) graciles, cum ægre tolerabili molestia; perniciosæ cito sunt. Quibus spiritus retrahitur, & vox strangulabunda est, & vertebra intro desidet; his in fine, velut contrahente

quodam, ſpiritus fit. Fauces modice exaſperatæ, & alvus vanis conatibus nitens, frontis dolores, ægri palpando contrectantes, cum dolore; quæ ex his augeſcunt, moleſtiam exhibent. Dolores vehementes circa fauces; tumores circa aurem, & convulſiones efficiunt: colli item, ac dorſi dolores. Cum febre acuta convulſiones, perniciofæ. Colli & cubitorum dolores, convulſorii. A facie autem hi ad fauces procedunt. Pallidi, graciles, ſalivam ſputantes, in his in ſomnis ſudores, boni ſunt. Num & ſudore levari, plurimis non malum eſt? dolores ad infernas partes his toleratu faciles ſunt. In dorſi ac pectoris dolore, mictio cruenta ſuppreſſa cum cruciatu, perniciofa eſt. Colli dolor, malum quidem in omni febre; peſſimum autem his, quibus metus eſt, ne etiam inſaniant. In ſtomachi dolore febriculoſo, alvus turbata, (&) torpida; nigrarum dejectionum ſigna ſunt. Qui cum gracilibus faucibus in acutis dolores, & ſtrangulatus adſunt, nec oſcitanti os facile cogitur, quamvis gracili; delirium imminet: ex his phrenitici perniciofe habent. Fauces exulceratæ in febre, cum alio ſigno difficili, periculoſæ ſunt. In febribus derepente ſuffocari, & deglutire non poſſe, citra tumorem; malum eſt. Collum convertere non poſſe, neque deglutire, ut plurimum lethale eſt.

CAPUT X.

De Hypochondriis.

HYpochondrium molle eſſe convenit, & doloris expers, & æquale; at inflammatum, aut

inæqualiter ſe habens, aut dolens; ſignum eſt ægritudinis non levis. Tumor vero in hypochondriis durus & doloroſus, peſſimus quidem eſt, ſi juxta omnes partes fuerit; ex his autem, qui ab una parte ſunt, minus periculoſus eſt, qui a ſiniſtris eſt. Significant autem in principio quidem tales mortem citam; ſi vero viginti dies tranſmittant, febre manente, ſuppurationem. Contingit autem his in primo circuitu etiam ſanguinis eruptio e naribus, & valde prodeſt. Plerumque enim his caput dolet, & viſus obſcuratur; & magis in his ſanguinis eruptionem adfore exſpecta. In ætatibus autem annorum potiſſimum triginta quinque; verum provectioribus minus. At vero molles, & doloris expertes tumores; diuturniores quidem judicationes faciunt, at minus periculoſi ſunt. Sed & hi ſexaginta dies tranſgredientes, febre manente, ſuppurantur. Conſimilia vero ſignificant, & tumores circa ventrem, his, qui ſunt in hypochondriis, niſi quod minus ſuppurantur hi, quam illi; minime vero, qui ſub umbilico conſiſtunt; & fiunt etiam hi quidem in tunica, illi vero ſurſum diffuſi. Lethales autem ſunt ex ipſis, quicunque intro rupti fuerint; ex reliquis autem ſuppurationibus, quæ quidem foras rumpuntur, optimum eſt, ut in breviſſimam & acutiſſimam molem colligantur; quæ vero intro, ut neque mole, neque dolore, neque colore, foris ſe manifeſtas faciant: quod vero contra fit, peſſimum eſt: quædam vero ex his, propter puris craſſitudinem, nullam de ſe ſignificationem præbent. Porro recentes in præcordiis tumores, ſi non cum inflammatione fuerint, & dolores ab ipſis, ſolvit murmur in hypochondrio obortum, & maxime quidem ſi pertranſierit per urinas, & alvi dejectiones; ſin

minus, ſi etiam ipſum pertranſierit: prodeſt autem & devolutum ad inferiora loca. Pulſus in hypochondrio cum tumultu, mentem emovet: & magis ſi oculi frequenter moveantur. Oris ventriculi dolor, & pulſus hypochondriorum, ſebre refrigerata, malum; tum alias, tum ſi inſuper exſudarint. Dolores ad hypochondrium irruentes, tum alias mali ſunt, cum ſi alvos profuſiores faciant. Pejores autem ſunt, ſi brevi fiant; & tumores circa aurem ex his emergentes, maligni ſunt, & aliæ ſuppurationes. Oris ventriculi dolores cum tormine, ventris animalcula erumpere faciunt. Oris ventriculi dolor ſeniorem frequenter invadens, mortem repentinam ſignificat. Quibus hypochondria tumeſcunt, alvo ſubſiſtente, malum: maxime autem in morbis tabidis longis, & quibus alvi diffluunt. (Quibus) in hypochondrio inflammatio ſuppuratoria eſt, ante mortem nigra per alvum dejiciuntur. Hypochondriorum diſtentio cum ſopore anxioſo, in caput dolente, abſceſſus circa aurem adtollit. Poſt hypochondriorum tumorem, bilioſis ſpiratio magna, & ſebris acuta, abſceſſus circa aurem adtollit. In dolore hypochondriorum ſubmurmuranti, lumborum dolor ſuperaccedens in febribus, ventres ut plurimum humectat; ſi non flatus eruperit, aut urinæ copia feratur. Ex hypochondrio (ſublimi) diutius adflicto, & alvo graveolente, abſceſſus circa aurem occidit. Quibus ab hypochondriorum doloribus, alvus paulatim ſubviſcoſa egerens, pauca ſtercoracea effundit; num etiam ſanguinem profundit? Quibus derepente dum ſine febre ſunt, hypochondrii & oris ventriculi dolor, & circa crura, ac inferas partes, & alvus in tumorem elevata eſt; ſolvit venæ ſectio, & alvi fluxio: his febrire noxium eſt. Lon-

gæ enim & vehementes febres accidunt, & tusſes, & ſpiritus, & ſingultus fiunt. His autem ad ſolutionem tendentibus, dolor vehemens coxarum, aut crurum, aut puris ſputum, aut oculorum privatio ſuccedit. Quibus dolores hypochondriorum, oris ventriculi, hepatis, partium circa umbilicum; hi ſanguine per alvum dejecto, ſervantur: non autem dejecto, moriuntur. Quibus hypochondria (non) mollia, facies ſana, non liberantur citra multi ſanguinis ex naribus fluxum, aut convulſionem, aut coxendicum dolorem. Dolores ad hypochondria in febre, voce intercepta, ſine ſudore ſoluti, malum eſt; his ad coxendices dolores fiunt. Circa ventrem in febre palpitationes, mentis emotionem inducunt: ſanguinis autem fluxio horrorem efficit. Dolores in febre ad hypochondria adſilientes, ſine ſudore ſoluti, maligni ſunt; his ad coxendices dolores fiunt; (&) ipſis una cum febre ardente, alvum deorſum erumpere, pernicioſum eſt. Dolores circa umbilicum cum palpitatione, mentis quidem alienatæ ſignificationem quandam præbent: his autem adveniente criſi, pituita multa cum dolore prodit. Poſt alvum ſuppreſſam, hypochondria ſublata, malum; maxime tabeſcentibus jam diu, & quibus alvi humectantur. Anxietatem in hypochondrio ſentientibus, tumores circa aurem aborti ipſos occidunt. Durities circa ventrem cum dolore, in febrientibus cum horrore, cibum averſantibus, ſi alvo inſuper parum humectata, purgationem non faciant, ad ſuppurationem res perveniet. Dolor ſuper umbilico, & lumborum dolor, ſi medicamentis non ſolvantur, in hydropem ſiccum deſinunt.

CAPUT XI.

De Dorsi, & Lumborum adfectionibus.

DOlores ex lumbis diuturniores, qui febre tertiani generis modo exacerbantur; grumosum sanguinem dejicere faciunt. Dolores in lumbis sanguinis fluxionem inducunt. Ex lumborum dolore sanguinis fluxiones largæ fiunt. Quibus ex lumborum dolore recursus ad caput, & manus torpidæ, & cardialgia, & aurium sonitus, his sanguis large profluet: sed & alvi his deorsum erumpunt, & mens perturbatur ut plurimum. Ex dorsi dolore morborum principia difficilia sunt. In lumborum dolore intenso, & ampliore alvi subductione, a veratro vomere spumosa multa, juvat. Spinæ perversionem cum spirandi difficultate, sanguinis fluxus solvit. In lumbis dolentibus cardialgiæ insuper accedentes, signa sanguinis fluxionis sunt, vel etiam prægressæ. Adfectiones ex lumbis ad collum & caput transeuntes, siderationis modo resolventes, convulsoriæ, mentem turbant. Num tales etiam solvuntur convulsionibus? inde multitudine symptomatum, sibi invicem subeuntium, ægrotant. Ex lumborum doloris recursu, oculorum distorsio, malum. Dolor in pectore firmatus cum torpore, malum: in febre hi repente pereunt. Ex lumborum doloris recursionibus ad os ventriculi, febriculosis, horrorem inducentibus, revomentes tenuia, aquosa, mente moti, voce destituti, nigrorum vomitu facto, moriuntur. Diuturni circa lumbos, & tenue intestinum dolores, & ad hypochondria labores, si ægri cibos aversentur una cum febre, hos dolor intentus ad caput pro-

greſſus repente occidit convulſorio modo. Quibus lumborum dolor eſt, hi male habent. Num his tremores fiunt, & maculæ rubentes in rigore? Num lumbos dolentibus, anxiis, non vomentibus, pauliſper ferociter deſipientibus, ſpes eſt, nigra proditura eſſe? Lumborum dolor in cardialgico, cum exſcreatione violenta, habet quid convulſorium. Rigor una cum judicatione aliquatenus metuendus eſt. Lumborum dolor ſine cauſa manifeſta ſæpe invadens, maligni morbi ſignum eſt. Lumborum dolor cum ſopore inquieto, malum. Lumborum diſtentio ex muliebrium menſium abundantia, ad ſuppurationem tendit; & varie prodeuntes, viſcoſi, graveolentes, ſtrangulatorii (menſes) cum prædictis, ſuppurationem denuntiant. Arbitror autem tales etiam aliquantum delirare. Quibus lumborum dolor, & lateris, ſine cauſa manifeſta, hi regium morbum incurrunt.

CAPUT XII.

De Sanguinis eruptione.

PErfrigerationes ex ſanguinis eruptionibus in diebus judicatoriis vehementes, peſſimæ ſunt. Sanguinem ex adverſa parte erumpere, malum eſt; veluti in ſplene magno a dextris, & circa hypochondria eodem modo ſe res habet. Vulnera ſanguinem fundentia, inſuper rigentia, maligna; (ſic affecti) loquentes latenter moriuntur. Quibus quinto die ſanguis large profluxit, ſexto novo rigore correpti ſunt, ſeptimo perfrigerati, celeriter recaluerunt; iis alvi male afficiuntur. Poſt ſanguinis eruptionem nigrorum per alvum dejectio, mala. Mala autem ſunt, & rubicunda valde, &

æruginosa; quarto die tales fiunt sanguinis eruptiones. Soporosi ex talibus convulsi moriuntur, nigris prius excretis, & ventre tumefacto. Post sanguinis eruptiones, & nigrorum dejectiones, in acuto surditas, malum. Sanguinis dejectio his perniciosa; surditas autem solvit. Quibus sanguinis eruptiones plures, his temporis progressu alvi male adficiuntur; si non urina concocta prodierit. Num & aquosa urina tale quid significat? Quibus ex sanguinis eruptione larga, frequenti, multa fit nigrorum dejectio, ea autem suppressa, sanguinis fluxus, hi alvum dolent: una vero cum quibusdam flatibus, facile tolerant. Num tales multis frigidis sudoribus exsudant; conturbata in his urina, mala non est, neque id, quod genituræ simile in ipsa residet: verum plerumque hi aquosa mingunt. Quibus de naribus in surditate ac torpore pauca destillant, habent quid difficultatis: vomitus his conducit, & alvi perturbatio. Magnæ in principiis hæmorrhagiæ, circa refectionem alvos humectant. Fluxiones ex naribus largæ per vim suppressæ, quandoque convulsionem provocant; venæ (vero) sectio solvit. Undecimo die contingentes sanguinis destillationes, difficiles sunt; tum alias, tum si bis superstillaverint, & rursus stillaverint. In sanguinis fluxione multa, aut singultus, aut convulsio, malum. In his, qui decolores usque ad septem annos vires colligunt, & (quibus) inter ambulandum spiratio coacervata, & terræ appetitio, (id) sanguinis corruptionem, ac exsolutionem significat. In morbis inveteratis parvæ apparentes sanguinis fluxiones perniciosæ sunt. Vertigines ab initio sanguinis e naribus fluxus solvit. Ex naribus erumpente sanguine, cum exiguis sudoribus persrigeratione torpida; mala est. Qui alvo suppressa sangui-

nem effundunt, & una cum ſanguinis effuſione inſuper rigent; num his alvum velut ex lienteria lubricam hæc faciunt, duramque, & tenues lumbricos, aut utrumque? Quibus ſanguinis fluxiones ſtatis temporibus contingunt, ſiticuloſæ, ſi ſanguinem non fuderint, epileptici moriuntur. Ex hæmorrhoide parum apparente, vertigines obortæ, parvam ac modicam ſiderationem ſignificant; ſolvit venæ ſectio: & quicquid hoc modo apparuerit, mali aliquid ſignificat.

CAPUT XIII.

De Palpitatione, Tremore, & Convulſione.

PAlpitantes toto corpore, num etiam voce capti moriuntur? Tremores convulſorii oborientes in ſudoribus, reverti ſolent. Judicatio his fit, ubi ſuperriguerint: ſuperrigent autem hi ardore circa ventrem provocato. Somnus multus in his convulſionem affert, & frontis adeſt gravitas, & mictio difficilis. Convulſiones ſine febre in ſtrangulatis ab utero, faciles ſunt. Cum convulſionibus & ſudore ſputa defluentia in febriente, levia ſunt: his inſuper alvi aliquantum humectantur: fortaſſis autem & ad articulos aliquid abſcedet. Quibus convulſis oculi intente relucent, neque apud ſeipſos ſunt, & diutius ægrotant. Quæ convulſorio modo exacerbantur cum alto ſtupore; abſceſſus juxta aurem excitant. Tremulis, anxioſis, parvi juxta aurem tumores convulſionem ſignificant, alvo male affecta. Convulſiones, & nervorum diſtenſiones febris accedens ſolvit. Convulſio ex vulnere, lethalis eſt. Convulſio in febre contingens, perniciosa eſt: minime

vero pueris. Adultiores ſeptem annis in febre non corripiuntur convulſione; ſin minus, perniciofum eſt. Convulſionem ſolvit febris ſuperveniens acuta, quæ prius non fuit; ſi vero fuit prius, jam exacerbata. Prodeſt & tranſitus urinæ vitreæ copioſus, & alvi fluxus, & ſomni. At repentinas convulſiones ſolvit febris, (&) alvi fluxus. In convulſionibus vocis interceptio diu durans, malum: parva autem, aut linguæ ſiderationem, aut brachii, aut dextrarum partium ſignificat; ſolvitur autem urinis multis confertim, & derepente prodeuntibus. Sudores autem paulatim oborientes, proſunt; confertim vero prodeuntes, ſanguinisque largæ detractiones lædunt. In nervorum rigoribus, & poſteriorum partium diſtenſionibus maxillas ſolvi; lethale eſt. Lethale eſt etiam ſudare in poſteriorum partium diſtenſionibus, & corpus diſſolvi, & in eadem adfectione revomere per nares, aut clamare, aut nugari, ſi ab initio vox intercepta fuit; in poſteram enim diem mortem ſignificat. Febriles in dorſum diſtenſiones, urinæ genitale ſemen referentes ſolvunt.

CAPUT XIV.

De Faucium Inflammatione.

ANginæ, quæ neque in collo, neque in faucibus, quidquam conſpicuum faciunt; verum ſuffocationem vehementem ac ſpirandi difficultatem inducunt, eadem die & tertia occidunt. Quæ vero tumores, & ruborem in collo inferunt; in ceteris quidem conſimiles ſunt: verum diuturniores. Quibuſcunque vero & fauces, &

cervix, & pectus, ſimul rubuerint; diuturniores ſunt, & ex ipſis maxime ſervantur, ſi non intro recurrerint rubores. Si vero evaneſcant, neque tuberculo foras converſo, neque pure leviter ac ſine dolore exſcreato, neque in diebus judicatoriis; pernicioſæ ſunt. Num etiam ſuppurati fiunt? ſecuriſſimum autem eſt ruborem, & abſceſſus quam maxime foras converti. Eryſipelas vero foras quidem converti, commodum eſt; intro autem converti, lethale: convertitur autem intro, quum diſparente rubore pectus gravatur, & difficilius ſpirat æger. Quibus vero anginæ ad pulmonem vertuntur; partim in ſeptem diebus pereunt, partim evadentes ſuppurati fiunt, ſi non pituitoſa ſurſum educantur. Quibus a forti ſtrangulatu, ſtercus derepente per alvum ſecedit, lethale eſt. In anginis ſputa gracilibus faucibus ſubarida, malum. In anginoſis linguæ tumores, citra ſigna evaneſcentes, pernicioſi; & dolores diſparentes citra manifeſtam cauſam, pernicioſi ſunt. In anginis, qui non brevi concocta exſpuunt, pernicioſe habent. In angina dolores ad caput ſine ſignis tranſeuntes cum febre, pernicioſi. In angina dolores ad crura ſine ſignis delati cum febre, pernicioſi. Ex anginis citra judicationem hypochondrii dolor, cum impotentia ac torpore oboriens, occidit occulte, etiamſi valde belle ſe habere putent. In angina abſque ſignis graciléſcentibus faucibus, dolor vehemens ad pectus, & ad alvum progreſſus, pus dejicere facit; alias aliter tale quid ſolvitur. In anginis omnia pernicioſa ſunt, quæ non manifeſtum dolorem faciunt; ſed & ad crura dolores diuturni procedunt, & difficulter ſuppurantur. Ex angina ſputa viſcoſa, craſſa, valde alba, quæ violenter educuntur, mala ſunt; & omnis ejuſmodi maturatio, mala.

Purgatio multa deorſum, tales levis ſiderationis modo perimit. Ex angina ſubarida, frequentia ſputa cum tuſſi, lateris dolorem inducentia, perniciosa; atque ea, quæ inter potandum per tuſſim rejiciuntur: & deglutitio violenta, mala.

CAPUT XV.

De Pleuritide, & Pulmonum inflammatione.

PLeuritici, quibus in principio ſputationes penitus purulentæ ſunt, tertio die moriuntur, aut quinto; ſi vero has effugerint, non multo melius habentes, ſeptimo, aut nono, aut undecimo ſuppurari incipiunt. Quibus pleuriticis in dorſo rubor excitatur, & humeri caleſcunt, & alvus bilioſis ac graveolentibus exturbatur, hi primo & vigeſimo die periclitantur; ubi vero hos effugerint, ſervantur. Pleuritides ſiccæ, ac ſine ſputo, difficillimæ ſunt. Metuendæ quoque hæ, in quibus dolores ſuperne ſunt. Pleuritides ſine divulſionibus, graviores ſunt his, quæ cum divulſionibus fiunt. Quibus pleuriticis in principio lingua bilioſa fit, hi ſeptima die judicantur; quibus autem tertia aut quarta die, circa nonam. Bulla ſublivida oriente in lingua, in principio, qualis eſt ferri tincti in oleum, difficilior ſolutio contingit; & judicatio quidem ad decimum quartum diem pervenit, ſanguinem autem plerumque ſpuunt. Sputum in pleuriticis tertia die maturari ac exſpui incipiens, celeriores ſolutiones facit; verum poſterius, tardiores. In pleuritide affectis, dolores (&) alvum molliri utile eſt, ſputa colorari, ſtrepitus in pectore non fieri, urinam bene procedere: his autem contraria, difficilia

ſunt; itemque ſputum dulce fieri. Bilioſæ ſimul & ſanguineæ pleuritides, plerumque nono aut undecimo die judicantur, & maxime ſanantur. Quibus autem pleuriticis in principio quidem dolores molles ſunt, quinto vero aut ſexto die exacerbantur, hi magis ad duodecimum perveniunt, & non valde ſervantur; periclitantur autem maxime ſeptimo die ac duodecimo. Ubi vero bis ſeptem dies effugerint, ſervantur. Quibus pleuriticis ſtrepitus ſputi multus in pectore eſt, & facies triſtis, & oculus aurigine ſuffuſus, ac caliginoſus, hi pereunt. Qui ex pleuritide ſuppurati fiunt, in quadraginta a ruptione diebus exſpuunt. Sputum in omnibus pleuriticis ac peripneumonicis facile ac cito exſpui convenit, & flavum ſputo (exacte) permixtum eſſe. Quod vero longe poſt dolorem educitur flavum, aut non (exacte) mixtum, & multam tuſſim inducens, pejus eſt. Pravum autem penitus eſt flavum purum, & lentum, & album, & rotundum, & cum virore pallidum valde, & ſpumoſum, & lividum, & æruginoſum; pejus autem aliquanto eſt id, quod ita purum eſt, ut nigrum appareat. At ſanguine non multo permixtum flavum, in principio quidem ſalutare eſt, ſeptimo vero die, aut poſterius, minus tutum; cruentum vero valde, aut lividum, ſtatim in principio, periculoſum eſt. Prava ſunt etiam ſputa ſpumoſa, & flava, & nigra, & æruginoſa, ac viſcoſa, & quæcunque cito colorantur; at mucoſa ac fuliginoſa, & cito colorantur, & ſecuriora ſunt. Quæ vero intra quintum diem ad coctionem colorantur, meliora ſunt. Omne porro ſputum non ſolvens dolorem, malum eſt; ſolvens autem, bonum. Quicunque vero cum bilioſo purulentum educunt, aut ſeorſim, aut permixtum, plerumque decimo

quarto

quarto die moriuntur, si non mali aut boni quippiam ex præscriptis superveniat; sin minus, ex proportione, maxime autem his, quibus ejusmodi pus septimo die incipit (expurgari). Bonum vero est & in his, & in omnibus circa pulmonem morbis, facile ferre morbum, a dolore liberatum esse, sputum facile educere, bene spirare, & sine siti esse; & totum corpus æqualiter calescere, ac molle esse, & ad hæc somnos, sudores, urinas, alvi dejectiones, bonas esse. Mala autem sunt his contraria; siquidem igitur omnia bona ad hoc sputum accesserint, servari (homo) poterit. Si vero partim adfuerint, partim non (haud) ultra decimum quartum vita producta peribit; quod si contraria signa accedant, citius etiam. Quicunque vero dolores in his locis non sedantur, neque exspuitione, neque venarum sectione, ac victus ratione, ii suppurantur. Quibuscunque autem ex peripneumonia abscessus circa aurem, aut ad inferas partes fiunt, & suppurantur, ac fistula facta aperiuntur, hi evadunt. Fiunt vero iis, quibus & febris, & dolor adfuerit, & sputum pro ratione (non) prodierit; neque biliosæ alvi dejectiones, sed solutu faciles, ac meracæ fiunt, neque urina crassa valde, & multum sedimentum habens, & alia salutaria habuerit signa. Fiunt autem ad infernas quidem partes his, quibus circa hypochondria inflammatio fit; ad supernas vero, quibus hypochondria mollia, & doloris expertia fuerint, & ubi per tempus aliquod difficulter spiraverint, ac citra manifestam causam cessaverint. At abscessus ad crura in periculosis inflammationibus pulmonis, omnes quidem utiles sunt; optimi autem, si sputum purulentum pro flavo fuerit. Non procedente vero sputo secundum rationem, neque urina bonum sedimentum

habente, periculum est claudum fore hominem, aut multum molestiarum rem exhibituram. Si vero intro recurrerint abscessus, febre comitante, & sputo non procedente, periculum est, ne moriatur, ac deliret. Quicunque vero peripneumonici non purgati sunt judicatoriis diebus, sed mente moti quatuordecim dies effugerunt; eos periculum est suppuratos fieri. Peripneumoniæ ex pleuritide transmutatæ, subtiliores sunt his, quæ ab initio fiunt. Corpora exercitata ac densa, citius a pleuriticis ac peripneumonicis morbis pereunt, quam inexercitata. Gravedines, & sternutationes in morbis circa pulmonem, & antecessisse, & succedere, malum est. Reliquis autem sternutatio non incommoda est. Peripneumonicis, quibus lingua tota alba ac aspera fit, ambæ pulmonis partes inflammatæ sunt; quibus vero dimidium, una, juxta quam apparet. Et quibus ad (unam) claviculam dolor fit, his superna pulmonis ala una ægrotat; quibus autem ad ambas claviculas dolor fit, ambæ supernæ pulmonis alæ ægrotant, quibus juxta mediam costam, media; quibus ad septum transversum, inferna; at totam unam partem dolentibus, omnia juxta hanc partem dolent. Si quidem igitur aortæ dictæ, utrinque suspensæ pulmonis partes, valde inflammatæ sunt, ut ad latus adsideant, hac corporis parte resolvuntur, & livores foris circa costam fiunt. Hos autem veteres ictos, sive sidere percussos vocabant. Si vero non valde inflammatæ sunt, ut non adsideant, dolor quidem fit per totum, non tamen resolvuntur, neque livores habent. Quibus vero totus pulmo inflammatus fuerit una cum corde, ut ad latus adlabatur, hi toti resolvuntur, & jacet æger frigidus, sensus expers, moriturque secundo, aut tertio die. Si vero etiam intacto corde

contigerit, & minus, diutius vivunt; nonnulli vero etiam servantur. Qui suppurati fiunt maxime ex pleuritide ac peripneumonia, eos calores comitantur, interdiu tenues, noctu vehementiores, & nihil memoratu dignum spuunt, & circa collum ac claviculam sudant, & oculi cavi fiunt; malæ vero rubent; his digiti quidem manuum summi calescunt, ac scabri redduntur, ungues autem adunci fiunt; ac ipsi perfrigerantur, & circa pedes tumores habent, & per corpus pustulas, & abstinent a cibis. Diuturnæ igitur vomicæ signa hæc habent; quæ vero brevi rumpuntur; ex notis ad eas consequentibus cognoscere oportet, & ex doloribus in principio, simul autem; & si aliquanto difficilius spiraverit æger; rumpuntur autem plurimæ vomicæ; partim vigesimo die, partim quadragesimo, partim sexagesimo. Quibus igitur dolor in principio incumbit intentus, & spirandi difficultas, & tussis cum sputatione, ad vigesimum diem, aut citius, eruptionem exspecta; quibus autem leviora hæc sunt, (serius) pro ratione. Supputare autem oportet tempus, a quo primum doluit; aut gravatus fuit; aut febriit, aut si quando rigor corripuit. Necesse est autem præcedere & dolorem, & spirandi difficultatem, & sputationem ante ruptionem. Quibus igitur & febris statim post ruptionem abscedit, & cibum appetunt, & pus facile educitur album, inodorum, leve, ejusdem coloris, & sine pituita, & alvus parva, & compacta dejicit, plerumque brevi servantur; quos vero & febres sequuntur, & sitis, & cibi fastidium, & pus lividum, aut cum virore pallidum, aut pituitosum, aut spumosum, & alvus insuper liquida fit, moriuntur. At quibus aliqua ex prædictis accesserint, aliqua secus, horum aliqui pereunt, aliqui multo tem-

pore servantur. Qui suppurati futuri sunt, primum salsuginosum spuunt, deinde dulcius. Quibus in pulmone tubercula fiunt, pus educunt ad dies quadraginta post ruptionem; has vero transgredientes plerumque tabidi fiunt. In lateris dolore stillatio sanguinis de naribus, mala est. Quos suppuratos mitius habentes, sputorum graveolentiæ sequuntur, eos recidiva perimit. Qui ex pleuriticis exspuunt purulenta, subbiliosa, rotunda, aut purulenta subcruenta progressu temporis, perniciose habent; perniciose quoque, qui nigra fuliginosa spuunt, aut quibus velut a vino nigro sputa fiunt. Quicunque spumosum sanguinem spuunt, dextrum hypochondrium dolentes, de hepate spuunt, & multi pereunt. Quibus, dum concutiuntur, pus cœnosum, & graveolens prodit, plerumque pereunt. Quibus a pure specillum coloratur, velut ab igne, plerumque pereunt. Cum lateris dolore, non tamen pleuritico, levis adest, aut modica perturbatio, hi phrenitici evadunt. In morbis pulmonis valde rubicundæ sanguinis stillæ, malæ sunt. Cum raucedine, sputa glutinosa, & salsuginosa mala; si vero etiam quid adtollatur in pectore, in his malum est. Dolores ad collum, his adtenuatis, perniciosi. Raucedo cum tussi & alvo liquida, pus educit. Quibus in peripneumonia urinæ in principio crassæ, deinde ante quartum diem tenues fiunt, lethale est. Qui in peripneumoniis siccis pauca concocta educunt, iis timendum est. Rubores in pectoribus parum diffusi, talibus perniciosi sunt. Lateris dolor in sputo bilioso, præter rationem evanescens, mentem emovet. Febres intermittentes ob suppurationem, pleræque sudorificæ sunt. Suppuratis surditas oborta cruentam dejectionem denunciat; his sub mortem nigra egeruntur. Lateris dolor cum fe-

bre diuturna, puris eductionem fore significat. Horrore adfecti frequenter ad suppurationem deveniunt; sed & febris talem ad suppurationem perducit. Quos ex lateris dolore cibi fastidia sequuntur, cardialgici aliquantulum sunt, ac sudore vexantur; ubi facies florescit, & alvus liquidior est, ibi suppurationes circa pulmonem sunt. Erectæ cervicis spirationes facit hydrops siccus. Convulsiones omnes quidem molestæ sunt, & dolores in principio intensos inducunt, & postea quoque alios fore denunciant; verum difficillimæ sunt circa thoracem, & maxime periculosæ, quibus est vomitus sanguinis, febris multa, & dolor circa mammam, thoracem, & dorsum; quibus hæc omnia quidem adsunt, continuo moriuntur, quibus autem non omnia, neque valde, tardius; inflammati autem manent diebus quatuordecim ad summum. Sanguinem spuentibus confert, ut sint sine febre, & tussiant, ac doleant leviter, & ut sputum crassescat ad dies bis septem; febrire vero, & tussire, ac dolere vehementer, & sanguinem recentem semper spuere, incommodum est. Quibus latus sublatum in tumorem, ac calidius est, & inclinatis in alterum, gravitas aliqua impendere videtur, his pus ex una parte collectum est. Suppuratis in pulmone per alvum pus secedere, lethale est. Quicunque vulnerati in thorace, externa vulneris parte sanati sunt, interna non periclitantur, ne suppurati fiant; quibus autem debilis effecta est intus cicatrix, facile rescinditur. Ex peripneumonicis suppurationibus seniores magis pereunt, ex reliquis juniores. Quibus suppuratis humeris concussis, multus editur strepitus, minus puris habent hi, quam quibus paulo difficilior est spiratio, & meliorem colorem habent. Quibus autem strepitus quidem nullus fit,

verum difficultas ſpirandi vehemens, & ungues lividi, ii pleni ſunt pure, & perniciosſe habent.

CAPUT XVI.

De Phthiſi, & Hepatitide.

QUi ſpumoſum ſanguinem vomunt, dolore infra ſeptum transverſum non exſiſtente, ex pulmone vomunt; & quibus quidem magna in eo vena rumpitur, multum vomunt, & in periculo verſantur; quibus vero minor, minus educunt, & ſecuriores ſunt. Quibus tabidis ſputum igni injectum gravem nidorem olet, & capilli ex capite defluunt, pereunt. Quibus tabidis in marinam aquam exſpuentibus, pus ad fundum ſidit, brevi pereunt; ſit autem marina aqua in æneo vaſe. Quibus tabidis capilli ex capite defluunt, alvi profluvio moriuntur; & quibus tabidis alvi profluvia accedunt, moriuntur. In tabeſcentibus ſputa ſuppreſſa, mentem ad nugax delirium emovent; his ſpes eſt hæmorrhoidem apparere poſſe. Tabes periculoſiſſimæ ſunt, a ruptione venarum craſſarum, & a deſtillatione capitis. Ætates tabis periculo maxime ſunt obnoxiæ ab anno decimo octavo uſque ad trigeſimum quintum. Prutiginoſa corpora poſt alvum ſuppreſſam in tabidis mala ſunt. In habitu tabido cum febre, fluxiones, quæ ad gingivas & dentes comparent, malæ ſunt. In omnibus in tumorem elevata hypochondria, mala ſunt, in tabidis autem ex longo intervallo peſſima. Ex his, qui diutina tabe pernicioſe conſumpti ſunt, aliqui ante finem rigore prehenduntur. Puſtularum eruptiones velut cute lancinata, habitus tabem ſignificant. Difficulter ſpirantes a ſiccitate,

multa cruda educentes in tabe, perniciose habent. Quibus hepaticis multum est sputum cruentum, sive subputridum, sive biliosum meracum, statim exitiale est. Hepatico colliquatio cum raucedine, malum; tum alias, cum si aliquantum tussiat. Quibus hepar dolet cum cardialgia, sopore, rigore, ii alvo turbata, extenuati, cibum aversantes, multum exsudantes, purulenta per alvum dejiciunt. Hepar derepente circumcirca dolentibus, febris accedens solvit. Qui spumosum sanguinem spuunt, hypochondrium dextrum dolentes, ex hepate spuunt, & moriuntur. Quibus ex hepatis ustione (pus) amurcæ simile prodit, lethale est.

SECTIO III.

CAPUT XVII.

De Aqua inter cutem.

HYdropes ex morbis acutis molesti fiunt, ac perniciosi. Incipiunt autem plerique ab ilibus, aliqui etiam ab hepate. His igitur, quibus ab ilibus initium sumunt, pedes tument, & alvi profluvia diuturna sequuntur, alvum non mollientia, neque dolores ex lumbis & ilibus solventia. Quibus vero ab hepate, tussis & cupiditas tussiendi oboritur, & pedes tument, & alvus dura egerit, eaque coacta, & tumores circa ipsam fiunt, partim in dextra, partim in sinistra (consistunt) ac rursus sedantur. In hydropicis siccis, urinæ stillicidia, mala; malæ etiam urinæ exigua sedimenta habentes. Hydropicis comitiales morbi

accedentes, perniciosi sunt, iis invicem succedentibus signis, & alvos humectant. In biliosis alvus turbata, dejiciens parva genituræ similia, mucosa, & dolorem circa pubem inducentia, & urinæ non facile solubiles prodeuntes, ex talibus in hydropem desinunt. Hydropico febrienti, urina exigua & turbata, perniciosa est. In hydrope incipiente, alvi profluvium aquosum oboriens absque cruditate, morbum solvit. In hydrope sicco sui significationem præmittente, tormina circa intestinum tenue incipentia, mala sunt. Ex hydropicis comitiales, perniciosi. Hydrops, qui remediis cedens, recurrit, desperatus est. Hydropicis aqua, quæ in venis est ad alvum erumpente, solvitur morbus.

CAPUT XVIII.

De Dysenteria, & Lienteria.

DYsenteria intempestive suppressa abscessus in costis, aut visceribus, aut in articulis facit; num igitur biliosus abscessus in articulis, sanguineus in costis, aut visceribus fit? Dysentericis vomitus biliosus in principio, malus est. Quibus ex dysenteria sæva, humor ad purulentiam devenit; his id, quod superstat, valde album ac multum erit. Dysentericæ, subrubræ, limosæ, largæ dejectiones alvi, in flammeis valde rubicundis coloribus solutæ, insaniæ timorem inducunt. Dysenteria non longa lienosis commoda est, longa vero mala; desinente enim, si hydropes, aut lienteriæ fiunt, lethale est. In lientericis cum lumbricis, dolores tormine soluti, partes circa articulos tumefaciunt; ex talibus squamulæ rubi-

cundæ pustulosæ, hi, ubi exudarunt, velut flagris cæsi rubefiunt. Qui in diuturnis lienteriis, una cum lumbricis, tormina patiuntur, & doloribus afficiuntur, his solutis intumescunt. Insuper rigere his malum est. Lienteriæ cum spirandi difficultate, & lateris punctura, in tabem desinunt. Volvulosis vomitus, & surditas, malum.

CAPUT XIX.

De Vesicæ Morbis.

VEsicæ autem duræ & graviter dolentes, omnino quidem malæ sunt, pessimæ vero cum febre continua; nam dolores ab ipsis orti, ad occidendum sufficiunt, & alvi his nil fere dejiciunt. Solvit autem hos urina purulenta prodiens, album ac leve sedimentum habens. His vero non solutis, neque vesica mollescente, in primis circuitibus, ægrum moriturum esse timor est; fit autem hoc maxime his a septimo anno usque ad decimum quintum. Calculosi ea figura positi, ut lapis ad urinarium meatum non illabatur, facile mingunt. Quibus tuberculum est circa vesicam, mejendi difficultatem inducens, quocunque ponantur situ, vexantur; hujus autem solutio fit, pure erumpente. Quibus incogitantibus urina prodit ac pudendum contrahitur, desperati sunt. In urinæ stillicidio volvulus accedens, septima die perimit, nisi affatim febre accedente urina prodeat.

CAPUT XX.

De Apoplexia, Paralysi, & Paraplegia. De Melancholia, & Mania.

TOrpores, & sensus stupiditates si forte inciderint, futuræ siderationis signa sunt. Qui ex vulnere impotentes fiunt corpore, febre quidem accedente citra rigorem, sanantur; non autem accedente, apoplectici fiunt dextra aut sinistra parte. Apoplecticis si hæmorrhoides accedant, utile est; si vero frigiditates & torpores, malum. In apoplecticis ex spiritus molestia, sudor accedens, lethale; rursus autem in his ipsis si febris accedat, solutio fit. Apoplexiæ, quæ repente contingunt, si insuper febris mediocris accedat, quæ diutius trahat, perniciem minantur. Quibus ex aliqua ægritudine, ad hydropem res devenit, his alvi siccæ caprinis stercoribus similia dejiciunt cum eliquatione mucosa, & urina non bona; & distensiones circa hypochondria, & dolores circa ilia, & juxta spinæ musculos incidunt; febres quoque, & sitis, & tusses siccæ sequuntur, & ad motiones spirandi difficultas, & crurum gravitas, & a cibis abstinent, & paucis ingestis explentur. Hydropes (leucophlegmatias appellatos) alvi profluvium sedat. At tristitiæ cum silentio, & hominum aversationes, fere eos conficiunt. Quibus a metu febris vacuo, ad furorem egressio est, id febres cum sudoribus, & somni arctiores, nec turbulenti exsolvunt. Ex insania ad raucedinem, cum tussi, fit transitus. In furiosis convulsio accedens, oculorum aciem retundit. Mentis emotiones taciturnæ, non quiescentes, oculis circum-

ſpicientes, ſpiritum efflantes, pernicioſæ ſunt. Faciunt autem & diuturnas partium reſolutiones; ſed & ita affecti vehementer inſaniunt. Qui vero in ventris turbatione ita exacerbantur, his nigra circa judicationem prodeunt.

CAPUT XXI.

De Lumborum Frigore; de Phymatibus & Phlebotomia.

QUibus ſanis hyeme circa lumbos frigus, & gravitas ex levi cauſa, & alvus ſuppreſſa, ſuperiore ventriculo probe officium ſuum præſtante, his coxendicum morbus aut renum dolor, aut urinæ ſtillicidium fortaſſis continget. Quibus infernæ partes affliguntur, pruritibus antea vehementibus obortis, his arenoſa urina redditur, & ſupprimitur; qui vero ex his pernicioſe habent, his mens obtorpeſcit. Qui circa articulos prærubras puſtulas habent ſuperficiarias, inſuperque rigorem, hi circa ventrem & inguina rubeſiunt, ceu dolentibus inflictis plagis, & moriuntur. Morbo regio affectis, nec admodum ſentientibus, quibus ſingultus adeſt, his alvi erumpunt, fortaſſis autem & ſuppreſſio fit; hi viridi pallore inficiuntur. Lateris dolores in febribus æqualiter conſiſtentes ſine ſignis, venæ ſectio lædit, ſive cibum averſetur æger, ſive hypochondrium ſublatum habuerit; & in perfrigeratione non ſine febre torpidos ſanguinis detractio lædit; & putantes ſe melius habere, hi moriuntur.

CAPUT XXII.

De Prognostico omnibus totius corporis morbis communi.

CAput & pedes, & manus perfrigerari, alvo & lateribus calidis, malum est. Optimum autem est, totum corpus similiter calidum ac molle esse. Converti autem convenit facile ægrotum, & in adtollendo se levem esse. At gravitas totius corporis, & manuum ac pedum, mala est. Si vero etiam cum gravitate lividi fiant digiti ac ungues, mors propinqua est. Si penitus nigrescant, minus perniciosi sunt lividis. Verum etiam alia considerare oportet; si enim facile fert morbum, & aliud quoddam ex bonis signis subindicat, morbus in abscessum vertitur, & partes corporis nigrefactæ decidunt. Testes & pudendum retractum, malum significant. Flatum sine strepitu (ac) crepitu prodire, optimum est. Melius autem est & cum strepitu exire, quam isthic revolvi, etiamsi tali modo progressus dolorem, & desipientiam significet; nisi sponte (homo) flatum ita emittat. Ulcus lividum & siccum, aut pallidum, lethale est. Decubitus optimus est, velut quis sanus solitus fuit; at supinum jacere, cruribus extensis, bonum non est. Si vero etiam delabatur deorsum ad pedes, deterius est. Lethale autem est hiare, & dormire semper, & crura supine jacentis valde contracta esse ac divaricata. In ventrem autem decumbere, si quis non consuevit, delirium significat, & dolores circa ventrem. At pedes nudos habere & manus, si quis non vehementer calidus sit, & crura disjecta, ma-

lum eſt : anxietatem enim ſignificat. Ceterum erectum ſedere velle, malum eſt in acutis; peſſimum autem in peripneumonicis ac pleuriticis. Dormire vero oportet noctu, interdiu vigilare; contrarium autem, malum eſt. Minime vero lædi æger poterit, ſi dormiat mane ad tertiam diei partem; verum poſtea ſomni mali ſunt. Peſſimum autem eſt non dormire, neque interdiu, neque noctu; aut enim præ dolore & incommodo vigilarit, aut ab hoc ſigno delirabit.

CAPUT XXIII.

De validis Læſionibus, & Vulneribus, Fiſtulis, & Morbis ætatum.

QUibus tempora ſecantur, convulſio ex contrariis ſectioni partibus oboritur. Quibus cerebrum concuſſum fuerit, & doluerit percuſſis, aut alias lapſis, hi ſtatim voce privantur, & neque vident, neque audiunt, & plerumque moriuntur. Quibus cerebrum vulneratur, febris plerumque ac bilis vomitus accedit, & corporis ſideratio; atque tales pernicioſe habent. Ex ruptis capitis oſſibus, difficillima cognitu ſunt ea, quæ circa ſuturas rumpuntur; rumpuntur autem maxime a gravibus ac rotundis telis, & ex his, quæ ex contrario feruntur, & non ex plano loco. At vero, de quibus ambiguum eſt, ruptane ſint an non, judicare oportet, exhibito ad manducandum in utramque maxillam aſphodeli caule, aut ferula, ita ut animadvertere jubeas, an os aliquod ipſi ſtrepere videatur; nam fracta ſtrepere videntur; progreſſu vero temporis fracta partim ſepti-

mo, partim decimo quarto; partim etiam aliter significationem præbent. Nam & caro ab osse abscedit, & os livescit; & dolores sanie effluente; cientur; hæc autem ægre jam auxilium admittunt. Quibus omentum excidit; necesse est putrefieri. Si quod intestinum ex tenuibus dissectum fuerit, non coalescit. Nervus dissectus, aut genæ tenuis pars, aut præputium, non coalescit. Quodcunque os in corpore resectum fuerit, aut cartilago, non augescit. Ad vulnus convulsio accedens, mala est. Vulneri bilis vomitus superveniens, malum; & maxime in capitis vulneribus. Nervi crassi si vulnerantur, plerumque claudos reddunt; maximeque si oblique vulnerantur, & si musculorum capita, maxime in femoribus. Moritur maxime ex vulneribus, si cui cerebrum sauciatum fuerit, aut spinalis medulla, aut hepar, aut septum transversum, aut cor, aut vesica, aut vena aliqua crassa. Moritur autem etiam, si in arteriam & pulmonem vehementes plagæ inflictæ sint, ita ut pulmone percusso, minor spiritus per os procedat, quam is est, qui ex vulnere elabitur. Moriuntur autem & ii, quibus interiores nervi vulnerati sunt; sive ex tenuibus aliquis, sive ex crassis vulneratus fuerit; si per transversum fiat plaga, & magna; si vero parva & recta, quidam evadunt. Minime vero moriuntur vulnerati in partibus corporis, ubi hæc non sunt, aut ab his quam longissime absunt. At vero visus obscuratur in vulneribus incussis in supercilium, & paulo altius. Prout autem vulnus recentius est, maxime vident: cicatrice vero diutius tardante ac senescente, magis obscurari contingit. Fistulæ difficillimæ sunt, quæ in cartilaginosis & excarnibus locis nascuntur, & cavæ sunt, & longius excurrunt, ac sanie manant semper, & caruncula in

osculo ipsis inest. Curatu autem faciliores sunt; quæ in mollibus, & carnosis locis & non nervosis oriuntur. Hi morbi ante pubertatem non incidunt; peripneumonia, pleuritis, podagra, nephritis, varix circa tibiam, fluxus sanguineus, cancer non congenitus, vitiligo albicans non cognata, defluxus in medullam spinalem, hæmorrhois, volvulus (chordapsus appellatus) non congenitus. Horum morborum nullum ante pubertatem fore exspectandum est. Verum ab anno decimo quarto usque ad quadragesimum secundum, natura corporis morborum omnis generis ferax fit. Rursus ab hac ætate, usque ad annos sexaginta tres, non fiunt strumæ, neque lapis in vesica, nisi prius exstiterit; neque destillatio dorsalis, neque nephritis, nisi ex alia ætate comitentur; neque hæmorrhoides, neque fluxus sanguineus, nisi prius adfuerit. Hi usque ad senectutem absunt morbi.

CAPUT XXIV.

De Morbis Mulierum.

IN muliebribus purgamentis, quæ aquosa ante partus prodeunt, mala sunt. Serpentia oris ulcera gravidis non sunt bona. Num & alvi humectantur? Dolores ex ilibus ad intestinum tenue transeuntes, in morbis diuturnis, ex abortu, neque valde purgata muliere, perniciosi sunt. Quæ ex partu ac abortu multa repente concitata, supprimuntur, difficilia sunt. Rigor his infestus est, & alvi turbatio; tum alias, cum si hypochondrium doleant. Uterum gestantibus dolores capitis cum sopore & gravitate, ac convulsione obor-

ti, plerumque mali sunt. Quibus dolores intensi ex mensibus, circa supernam partem, & intestinum tenue, eæ alvo sunt liquida cum levi anxietate; his circa judicationem propensiones in somnum fiunt, & impotentes, ex capitis dolore exsudant, ac perfrigerantur. Tales recidivæ pletisque contingentes post remissionem, cito interimunt. Spiritus, qui cum suspiriis foras feruntur, & colliquatio præter rationem in uterum gestantibus, abortum faciunt. Dolor ventris post partum, in his purulenta expurgat. Torpidæ; præcipueque ad motiones impotentes, & fractæ, circa judicationem exagitatæ, anxiæ, multum exsudant; alvi his humectatæ malum. Menses vero non supprimi commodum est; ex talibus comitiales morbi fiunt, ut arbitror, quibusdam vero ventris subductiones diuturnæ, quibusdam hæmorrhoides. Prægnantibus hypochondrii dolor, malum, & alvi his euntes, malum; insuperque rigere, his malum. Dolor ventris in talibus, minus malum, si limosa purgentur; quæ ex talibus facile pariunt, post partum vehementer molestantur. Prægnantibus tabescentibus, quibus rubor in facie fit, stillationes de naribus obortæ hunc avertunt. Quibus ex partu prodeunt alba, his vero suppressis cum febre surditas, & dolor acutus ad latus fit, mente moventur, & perniciose habent. In gestantibus uterum salsuginosa; significant post partum molestias ex albis mordacibus. Tales purgationes duritiem adferunt; singultus in his, malum, & uterorum procidentia, quæ & una interficit. Ad pedes & ad lumbos distensiones ex mensibus, suppurationem inducunt, itemque varia viscosa, graveolentia, quæ cum dolore prodeunt; strangulationes quoque ex præscriptis suppurationem faciunt. Uterinæ ventris durities cum

cum dolore, acute perniciosum. In uterum jam gestantibus serpentia oris ulcera fluxiones cum dolore excitantes, malum; hæmorrhois his pessimum. Quibus alvo tumefacta, ad pudendum rubor devenit, mensibus albis humidis derepente progressis; in longis febribus moriuntur. Convulsionis, si menses in principio apparuerint, febre non accedente, solutio fit. Urinæ tenues cum aliquantula nubecula in medio consistente, rigorem significant. Si a quarto die sanguinis fluxus fiat, diuturnitatem significat, & alvus erumpit, & crura tumescunt. Uterum gerentibus capitis dolores cum sopore & gravitate contingentes, mali sunt; forte autem hæ una etiam (convulsionibus) quibusdam sunt obnoxiæ. Quæ ante partum, in modum choleræ morbi, doluerunt, facile quidem pariunt; verum si febricitent, malignæ habent; tum alias, cum si circa fauces quid vexet, aut aliquod signum in febre malignum appareat. Aquosa ante partus erumpentia, mala. Uterum gestantibus salsuginosæ ad fauces fluxiones, malum. Ante partum rigorem habere, & partus citra dolorem, periculosi. Gravidis fluxiones cum serpentibus oris ulceribus, malum; convulsæ, exsolutæ; & postea perfrigeratæ, excalescunt celeriter. Sed & difficiles fiunt prægnantibus tumores circa tenue intestinum, quales circa scrotum contingunt (tumores) erectæ cervicis spirationem inducentes. Num tales tumores gemellorum partum significant? Num & convulsionem tales tumores faciunt? Quæ suspiriosum efferunt spiritum in febribus, abortum adferunt. Horrorem habentibus, lassitudine adfectis, capite gravatis, menses erumpunt. Ad manuum contactum torpidæ, peraridæ; sitis expertes, menses multos emittentes, suppuratæ fiunt. Si alba derepente ex ab-

ortu decurrant, ſi aliquid rigoris accedat, & in femur impetus fiat, tremor moleſtus eſt. Serpentia oris ulcera uterum geſtantibus alvos humectant. Prægnantes, quæ ante partum ægrotant, ſubinde rigore corripiuntur. Cum torpore exſolutiones, difficiles quidem ex partubus contingunt, & mentem emovent, non tamen pernicioſæ, ſed & menſium copiam præſignificant. Quæ in partu os ventriculi prædoluere, paulo poſt fetum ejiciunt. Horrores, laſſitudines, capitis gravitates, colli dolores, menſes erumpere faciunt; circa judicationem tale contingens cum tuſſicula rigorem inſuper inducit. Quæ puellæ erectæ cervicis ſpiratione vexantur, his uterum geſtantibus, mammæ ſuppurantur; & menſes apparere in principio, malum eſt. Inſaniæ febres acutas turbulentas non bilioſo cardialgico ſolvunt. In ſterilibus ſanguinis vomitus ad conceptionem prodeſt. Caligines oculorum menſibus multis comparentibus ſolvuntur. Quibus mulieribus ex febribus dolor mammarum fit, ſputatio cruenta non fæculenta oborta ſolvit dolores. Convulſiones in correptis uteri ſuffocatione ſine febre, faciles ſunt; velut etiam Dorcadi. Quibus ex rigore febris cum laſſitudine adeſt, menſes decurrunt; collum in his dolens ſanguinis eruptionem indicat.

CAPUT XXV.

De Vomitibus.

VOmitus minime moleſtus eſt pituita ac bile permixtus; verum ne valde multum vomatur. At vomitus meraciores, deteriores ſunt. Por-

raceus vero vomitus, & niger, & lividus malus est; si vero etiam omnes colores idem vomuerit, perniciosum est. Celerrimam autem mortem significat lividus, & male olens. Est etiam lethalis ruber vomitus, & maxime si magna vi & dolore vomatur. Qui anxie se jactantes, citra vomitum exacerbantur, male habent; itemque, qui vellicantur citra vomitum. Parvi vomitus, biliosi, mali sunt; tum alias, cum si vigilaverint. In nigris vomitibus surditas non nocet. Pauci, celeres, biliosi, meraci vomitus, mali sunt; (tum alias, tum) in alvi subductione uberiore, & intenso lumborum dolore. A vomitibus, fastidia, vocis clangores, oculi concretionem lanuginosam habentes furorem nunciant; vehementer insanientes, voce capti, moriuntur. In vomitu, si quis siticulosus sit, & sitis expers fiat, malum est. Abscessus juxta aurem maxime fiunt anxiosis vigilantibus. Anxiis, si alvi turbatæ suppressio, brevi velut culicum puncturæ efflorescunt, & ad oculos lachrymosus abscessus devenit. In meracis vomitibus singultus, malus; mala etiam convulsio. Similiter etiam in nimiis purgationibus ex medicamentis. Qui vomituri sunt, iis antea os crebra salivatione impletur. Ex veratro convulsio, perniciosa. In omni purgatione redundante, frigus cum sudore, perniciosum; & in his, qui subinde revomunt siticulosi male habent. Anxiosi vero lumbos dolentes, alvo humectantur. Prærubrorum (aut) nigrorum purgationes a veratro, malæ sunt; & cum talibus virium exsolutio mala. A veratro vomere rubicunda, spumosa, pauca, prodest; facit tamen duritias, & puris intus collectiones magnas eximit. Sunt autem hi, qui talia vomunt, alias & pectore dolentes, & in rigoribus exsudantes, & testes intumescunt; quod si contigerit, insuper

rigent, & gracilefcunt. Frequentes per eadem recidivæ vomitoriæ circa crifim nigrorum vomitum faciunt: quin etiam tremores adferunt.

CAPUT XXVI.

De Sudoribus, & Urinis.

SUdor optimus quidem eft, qui febrem in die judicatorio folvit: utilis autem eft & qui levat; frigidus vero, & circa caput folum ac collum contingens, malus eft; nam & temporis diuturnitatem, & periculum fignificat. At frigidus fudor in febre quidem acuta, lethalis eft; in mitiore vero, diuturnitatem fignificat. Sudor una cum febre in acuto morbo, malus eft. Urina in febre album & læve depofitum habens fedimentum, celerem liberationem fignificat; celerem etiam ea, quæ ex confufa quid pingue oftentans aquefcit. At fubrubra, & fedimentum fubrubrum habens & læve, fi quidem ante feptimum diem prodeat, feptimo die liberat; poft feptimum vero tardius, aut omnino poft tempus aliquod diuturnius. Et quæ in quarto die nubeculam fubrubram habet, feptimo liberat, fi reliqua juxta rationem habeant. Ceterum tenuis & biliofa, & vix glutinofum fedimentum habens, & quæ ad melius, ac deterius mutatur, diuturni morbi eft; hæc autem diutius confequens, aut temporis diuturnitate circa judicationem trahente, periculo non vacat. Aquofa vero & alba perpetuo, in diuturnis morbis difficilem facit judicationem, & fecura non eft. Nubeculæ in urinis albæ quidem & fundum verfus, utiles; rubicundæ vero & nigræ, ac lividæ, pravæ. Periculofa urina eft bi-

liosa, non subrubra, in acutis; & quæ crassiorem farinam cum albo sedimento refert, & quæ varia est colore ac sedimento, & maxime in fluxionibus de capite. Periculosa est & quæ ex nigra in tenuem biliosam transmutatur, & quæ ex sedimento divellitur: & quæ ex compactis quibusdam innatantibus, sedimentum habet sublividum, limosum. Num ex talibus hypochondrium dolet? dextrum arbitror; (num) etiam cum virore pallidi fiunt? & abscessus circa aurem dolentes? his brevi prorupta alvus, perniciosa est. Urinæ derepente præter rationem parum concoctæ, malæ sunt, & in summa, quæ citra rationem matura est, in morbo acuto, mala est. Mala est etiam valde rubicunda ex his, efflorescentiam auriginosam continens. Quæ vero alba funditur, & pellucida, mala est; maxime in phreniticis apparens. Mala est quoque, quæ post potum cito mingitur; & præsertim in pleuriticis, ac peripneumonicis. Mala est & quæ ante rigorem oleosa mingitur; malæ sunt & in acutis, quæ ex viridi pallescunt, nec in colore persistunt. Perniciosa vero est urina nigrum sedimentum habens, & nigra. In pueris vero, tenuis magis, quam crassa; verum in tenuibus urinis contra est, quam in crassis. Et grandinosa genituræ similis diffusa, eademque cum dolore; perniciosa etiam est omnis, quæ inscio ægro mingitur. At peripneumonicis perniciosa est, quæ in principio quidem cocta est, post quartum vero diem adtenuatur. Pleuriticis urina cruenta, caliginosa cum sedimento vario, nec discreta, lethalis est plerumque in quatuordecim diebus. Lethalis est item confestim in pleuriticis porracea, nigram subsidentiam habens, aut furfuraceam. Verum ardenti febre cum alto stupore detentis pessima est urina valde alba. Urina

vero cruda multo tempore manens, aliis ſignis ſalutaribus præſentibus, abſceſſum & dolorem ſignificat, & magis in partibus ſub ſepto transverſo. Si vero dolores in lumbis oberrarint, ad coxam (tranſitus fit) & in febre, & ſine febre. At quæ emittitur urina pinguedinem habens in ſedimento, febrem ſignificat, cruenta vero in principio micta, diuturnam: turbata cum ſudore, recidivam. Alba velut jumentorum, cephalagiam; membranoſa vero, convulſionem. Quæ ſputo ſimilia ſedimenta, aut limoſa habet, rigorem indicat; quæ aranei telis ſimilia, colliquationem. At in febribus erraticis nigræ nubeculæ quartanam indicant; decolores autem, nigra innatantia in medio habentes cum vigiliis, & turbatione, phrenitidem; cineritiæ cum ſpirandi difficultate, hydropem. Urina aquoſa aut turbata friabili aſperitate, alvum liquidam fore ſignificat. Verum tenuis valde urina, ſi denſa fiat, num ſudorem futurum indicat? jam vero factum, ſpumoſa in ſeipſam conſidens. In tertianis cum horrore velut nubeculæ nigræ, horroris inconſtantis indicia ſunt. Et membranoſæ urinæ, & cum horrore ſubſidentes, convulſionis prænunciæ. Urina bonum habens ſedimentum, derepente non habens, dolorem, & mutationem ſignificat; at ſedimentum habens, & quæ perturbata reſidet, rigorem circa judicationem; fortaſſis autem & in tertianam, aut quartanam tranſitum. In pleuriticis urina ſubrubra, habens leve ſedimentum, ſecuram judicationem ſignificat; cum levi virore ac pallore florida, album ſedimentum habens, celerem quoque. At rubicunda valde & florulenta, ſedimentum cum virore pallidum, læve, ſincerum habens, diuturnum, valde turbulentum morbum, qui in alium transmutatur, non tamen perniciofum. Alba

vero, aquosa, sedimentum crassas farinæ partes referens, fulvum habens, dolorem, & periculum significat; & quæ cum virore pallida est, fulvum, crassas farinæ partes referens sedimentum habens, tempus & periculum significat. Urinæ, quæ in his, qui juxta aures abscessus habent, cito & modice concoquuntur, malæ sunt; & perfrigerari hoc modo, pravum. Vesica intercepta cum alias, tum cum capitis dolore, habet quid convulsivum. Quæ in his cum torpore exsolvuntur, difficilia sunt (non tamen) perniciosa; num & aliquantum mente moventur? Renum dolor repentinus, cum urinæ suppressione, calculorum, aut urinarum crassarum mictionem significat. Tremores senioribus in febre fiunt, atque sic apparentes, fortasse calculos per urinam ejiciunt. Urinæ suppressio, & gravitas in imo ventre, plerumque stillicidium urinæ significat futurum; sin minus, alium morbum, ex quo ægrotare solet. In iliosis urinæ interceptio, brevi occidit. Urina in febre densitatem habens divulsam, recidivam aut sudorem significat. In febribus longis, tenuibus, erraticis, urinarum tenuium mictiones, lienosos indicant. In febre alias aliarum urinarum mictiones morbum producunt. Urinæ, quæ minguntur a non sentientibus, (alias) perniciosæ sunt. Num his minguntur veluti si sedimentum conturbasses? Quibus urinæ (crassæ) paucæ, grumosæ, non carentibus febre, copia ex his progressa tenuis prodest. Prodit autem talibus ab initio, aut cito sedimentum habet (crassum). Quibus urinæ cito sedimentum habent, hi celeriter judicantur. Epilepticis urinæ tenues & crudæ præter morem, sine repletione, morbi invasionem significant; tum alias, tum si quis dolor, aut convulsio in summum humerum, aut collum, aut dorsum inci-

derit, aut torpor corporis fiat, aut turbulentum insomnium viderit. Parva comparere, veluti sanguinis stillas, & urinam, & vomitum, & alvi dejectiones, penitus quidem malum est; pessimum vero, si propius inter se prodeant.

CAPUT XXVII.

De Dejectionibus.

ALvi dejectio optima est mollis, cohærens ac compacta, subfulva, non valde graveolens, prodiens hora consueta; copia pro ratione ciborum ingestorum. Spissum autem fiat ad judicationem; commodum est & teretes lumbricos exire simul, ubi ad judicationem tendit (morbus). In acutis spumosa, circumbiliosa alvi dejectio, mala est; mala item valde alba; adhuc pejor est, quæ farinæ ac sterquilinii speciem refert. Sopor in his malus est, & cruenta dejectio, & vasorum vacuatio præter rationem. Ubi alvus intercepta, parva, nigra, velut caprarum stercora, coacta vi reddit; sanguinis e naribus eruptio his accedens mala. Viscosa, meraca, aut alba alvi dejectio, (mala est). Mala est & abunde multum fermentata, subpituitosa. Pravum etiam cum ex his, quæ densata feruntur, quod subsidet, aliquantum lividum est, limosum cum biliosis. Sanguinem sincerum dejicere, malum est; idque tum alias, tum si quis dolor adfuerit. Spumosa, & bile obducta alvi dejectio, mala est; sed & morbus regius inde contrahitur. In biliosis alvi dejectionibus, spumosa efflorescentia, mala est; maxime ei, cui lumbi doluerint, & mente motus fuerit. Num

autem his dolores adſunt? Tenuis, ſpumoſa alvi dejectio, aquoſum cum virore pallidum habens ſedimentum, prava. Prava etiam purulenta, & nigra cruenta, idque tum in febre, cum alias; & varia, abunde colorata dejectio, mala eſt; tantoque deterior, quantum colore magis horrenda eſt, præterquam in medicamenti potione; in hac enim periculo vacat, ſi non copia excedat; & friabilis, mollis dejectio, in febre (mala eſt). Mala quoque ſicca, friabilis, decolor, tum alias, tum ſi alvum humectet; nigris vero antea egreſſis lethalis eſt. Liquida egeſtio, & brevibus intervallis cumulata, mala eſt; partim enim vigilias, partim exſolutionem fortaſſe pariet. Liquida aliquantum friabilis alvi dejectio perfrigeſcens non ſine febre, mala eſt. Rigores in his veſicam & ventrem corripiunt. Valde vero aquoſa dejectio non deſinens in acutis, mala; & magis, ſi etiam ſitim non habuerit. Valde rubra dejectio in alvi proluvie, mala eſt. Prava quoque valde cum virore pallida, aut alba, aut ſpumoſa, aut aquoſa; & exigua, & viſcoſa, & lævis, & cum virore ſubpallida, mala eſt. Et ſoporoſis torpefactis liquida dejectio, peſſima eſt. Lethale vero eſt etiam multum ſanguinem grumoſum ex alvo effluere; itemque candidum, & liquidum excrementum cum alvi tumore. Dejectio alvi nigra velut ſanguis, & cum febre, & ſine febre mala eſt. Pravæ quoque omnes variegatæ, & abunde coloratæ, malæ. Dejectiones deſinentes in ſpumoſas, ſinceras, aliquatenus quidem exacerbant; convulſos autem quam maxime. Atque ex his abſceſſus juxta aurem emergunt; at quæ valde liquidæ fiunt, & rurſus compactæ, ſinceræ, ſtercoraceæ dejectiones, longitudinem morbi ſignificant. Valde vero rubicunda (dejectio) in febre delirium: alba autem ſtercoracea in morbo regio

difficilis eſt; ac liquida, quæ, ubi reſederit, ruborem capit. In ſanguinis eruptionibus viſcoſa dejectio nigris maculis diſtincta, maligna eſt; maxime autem valde in ſubalbidis. Valde alba dejectio in febre, non eſt fauſti judicii. Alvus turbata parvis frequentibus ad dejiciendum progreſſibus, maxillas intendit; ſolvit etiam rubores in facie obortos. Stercoracea cum tenſione dejectio, alvi afflictionem ſignificat; pituitoſa vero acute cum oris ventriculi dolore, dyſenteriam; fortaſſis autem & lumborum dolorem. Talibus alvi circumtenſio, ad neceſſitatem liquida demittens, citius intumeſcens, habet quid convulſivi; inſuper rigere his pernicioſum eſt. Quibus nigra per alvum prodeunt, frigidum ſudorem emittunt. Quibus alvus ab initio turbatur, urinæ vero paucæ ſunt, progreſſu (vero) temporis alvus quidem ſiccatur, urina vero tenuis redundat; his abſceſſus ad articulos fiunt. Progreſſus ad dejiciendum brevibus intervallis orientes, rigorem inducunt; & quibus mala fit dejectio, maximam moleſtiam exhibet quarto die incipiens. Frequentes ad dejiciendum progreſſus in brevibus intervallis, pauca ſtercoracea ſubviſcoſa habentes, cum hypochondrii & lateris dolore, morbum regium denotant. An his illi ſuppreſſis viridi colore inficiuntur? arbitror autem & hos ſanguinem effundere. At dolores in lumbis, in his ſanguinem fundentibus, purus ſanguis fluit; cum ſopore, & capitis dolore, caleſcere inſuper, pernicioſum eſt. Viſcoſæ, bilioſæ, magis abſceſſus juxta aurem faciunt. Quicunque tumores alvo humectata elevantur cum doloribus, malum; alvo vero ſuppreſſa, & nulla alia re novata, cito rumpuntur, & malignius eſt; vomitiones in his, pravæ, & malignæ. Quibus faciei incendium, & intenſius rubor

ſoluta alvo, graveolens, larga, ſubrubra fit; hinc inſaniant, timor eſt. Cutis ſtquallida alvum male adfectam ſignificat; in his prærubræ, velut purulentæ carunculæ, dejectiones maxime prodeunt. Ad alvum bilioſam, mollem, ſtercoracea dejicientem ſopores ſupervenientes, tumorem juxta aurem faciunt. Bilioſas dejectiones ſurditas ſedat, & ſurditatem ſedat bilioſa alvi dejectio. Puſtulæ ſerpentes ſupra inguina, ad ilia, ac pubem oborientes, alvum male adfectam ſignificant. Exſolutio, quæ dolorem ſolvit, alvum maxime humectat. Juxta ſedem cum dolore ſuppurationes alvum turbant. Lethales dejectiones ſunt, pinguis, nigra, livida cum graveolentia, & bilioſa, habens in ſe ſimile quiddam ciceris, aut fabis freſis; aut veluti floridos ſanguinis grumos, & quæ odore ſimilis eſt dejectioni infantium, & varia eademque diuturna. Talis autem fuerit cruenta, ramentoſa, bilioſa, nigra, porracea, & ſimul, & permutatis vicibus; lethalis quoque omnis eſt, quæ ſenſum ægri fugiens exit. Qui potum ægre deglutiunt ſpiritu tuſſiculoſo, eructatio ſubtracta, intro revoluta, dolorem ventris ſignificat. Malæ ſunt etiam dejectiones valde rubræ, æruginoſæ, quarto die apparentes; & tales ſanguinis fluxiones ſoporoſæ ſunt, ex his convulſione moriuntur, nigris antea egreſſis. Qui nigra dejiciunt, ii frigidum exſudant. Exſolutiones alvi repentinæ præter rationem, in diuturnitate temporis conſumptis, una cum vocis tremula interceptione, perniciofe habent. Tenues nigrorum dejectiones horrificæ, meliores talibus ſunt; tales proſunt maxime in ætate ante vigorem. Pruriginoſæ adfectiones omnibus nigrorum dejectionem ſignificant, & vomitum grumoſum. Et tremulæ adfectiones cum morſu, ac capitis dolore, nigras de-

jectiones significant. Ante tales vomitus prodit; & ubi vomuerunt, multæ tales insuper pertrahuntur. Quibus in alvi turbatione exacerbatur morbus circa judicationem, nigra inferne prodeunt. Ex alvo diutine adfecta vomentibus, biliosis, cibum fastidientibus, sudor multus cum impotentia, repente occidit. In medicamentorum (purgantium) usu, & circumfluo humorum adfluxu, tenuis, abunde sanguis eliquatus, malum est. Durities circa ventrem cum dolore in febribus, cum horrore, cibos aversantibus, alvo parum ad purgationem humectata, non suppurantur. Una cum febre alvus turbata, salsuginoso modo, soporosos torpidos non valde comitatur. Ex alvo liquida lassatos, caput dolentes, siticulosos, vigilantes, valde rubro colore solutos, timor est ad insaniam deventuros esse, si difficulter spiraverint. Ad hoc ubi quis cum virore pallescit, bene spirare noxium non est, alvo insuper probe dejiciente. Adultæ dejectiones cum contentione procedentes, alvum male adfectam significant. Biliosis alvus turbata, exigua frequenter dejiciens, distendentia cum paucis mucosis, dolorem circa tenue intestinum hæc faciunt, & urinam non facile prodeuntem; ex his caussis ad hydropem tendunt. Linguæ tremulæ quibusdam alvi eruptionis futuræ signum sunt. Quibus ardor fit, & ad egressas dejectiones alvi insuper exsudant, his febris exacerbatur. In humecta alvo perfrigeratio cum sudore, mala. In alvo liquida, sanguis de gingivis defluens, lethalis est. Alvi dejectio pura superveniens, solvit febrem acutam cum sudore.

HIPPOCRATIS
LIBER
DE JUDICATIONIBUS.

PRÆFATIO.

PRæsagia continet utique utilia, hic non enumeranda. Multa sunt ex aphorismis, *alia ex* libro de locis: *ex* prognostico; *alia plurima ex* Prænotionibus; *tota dictio brevis & aphoristica, ut putes esse discipuli alicujus* HIPPOCRATIS, *qui multa undique magistri effata collegerit.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Judicationes complectitur morborum ad salutem, & perniciem prodeuntium, quæ ex dejectionibus, urinis, sudoribus, abscessibus, symptomatis, diebus judiciariis & consimilibus depromuntur; & quæ in febribus, aliisque morbis tum bona, tum mala sunt.

CAPUT I.

Qui sudores, quæ dejectiones, urinæ, & magna signa etiam ad melius, securamque crisin portendant.

JUDICATIONUM, quæ brevi meliorem statum portendunt, plerumque eadem, quæ sa-

nitatis, ſigna ſunt. Sudores enim optimi ſunt & citiſſime febrem ſedant, qui judicatoriis diebus contingunt; & febrem prorſus ſubmovent; boni quoque ſunt, qui per totum corpus orientes, faciliorem morbi tolerantiam reddunt. Qui vero horum nihil moliuntur, nihil oborti conducunt. Morbo autem ad judicationem tendente, dejectionem craſſiorem reddi oportet; ſubfulva vero, nec admodum graveolens eſto: lumbricos etiam ſub judicationem exire commodum eſt. Urina autem optima eſt, quæ per totum tempus quoad judicatus fuerit morbus, albiſſimum, læve, & æquale habet ſedimentum; ſecurum enim ac brevem fore morbum indicat. Si ſuborto ſudore morbus ceſſet, & urina fulva ſedimentum habens album conſpiciatur, iis eodem die febris reverſio fit, atque hæc quinto die citra periculum judicatur. Qui breviſſimo tempore ſani evaſuri ſunt, iis in totum maxima ſigna contingunt. Nam magis citra dolorem & extra periculum degunt, & noctu dormiunt, cæteraque ſecuritatis ſigna præ ſe ferunt.

CAPUT II.

In febre non lethali doloris capitis, quæ cauſa, & quando ſolutio. Febrium acutarum, & ardentium judicium quibus diebus, & per quæ fiat, & quid in his icterus portendat.

QUibus in febre minime lethali, capitis dolor, aliaque ſigna circumſiſtunt, in his bilis ſuperat. Quibus inceperit dolor primis diebus, quique quarto & quinto die magis vexantur; hi ſub ſeptimum diem febre liberantur.

Febres vero judicantur in iisdem numero diebus, ex quibus homines intereunt, & quibus ſuperſtites evadunt. Mitiſſimæ namque febres & cum ſecuriſſimis ſignis, quarto die aut prius deſinunt. Maxime vero lethales, & quæ cum periculoſiſſimis ſignis contingunt, quarto die aut prius interficiunt. Primus igitur (earum) impetus ſic finitur; alter ad ſeptimum deducit: tertius ad undecimum; quartus ad decimum quartum; quintus ad decimum ſeptimum, ſextus ad vigeſimum. Hæc igitur in acutiſſimis morbis per quatuor ad viginti acceſſiones fiunt. Non poteſt autem horum quidquam integris exacte diebus numerari. Neque enim anni, neque menſes integris diebus conſtare ſolent. In febribus ardentibus bona ſigna, ſi qualia in ſanis ſcripta ſunt, oboriantur, minora quidem, quæ fuerint, in tertium diem remiſſionem indicant; craſſiora vero in craſtinum omnino, ſed craſſa eodem die. In febribus ardentibus, ſi poſt ſeptimum diem morbus regius incidat, (ſublati) ſudoris indicium eſt. Non enim exſudare morbus, neque alibi unquam abſceſſum facere conſuevit, ſed ſaneſcit. Quum calor diſceſſerit & humorem ad ſe adtraxerit, febri judicationem fieri neceſſe eſt, & urinas, aut etiam alvi egeſtiones procedere, aut ſanguinis ex naribus fluxionem, vel copioſam mictionem, aut alvi fluxum vehementem, aut ſudorem, aut vomitum; mulieri vero etiam menſium viam patefieri. Hæc igitur præcipue judicationem faciunt, aut quodcumque his proxime accedit. Molitur autem & alias judicationes, minus quidem quam has. At ſi morbus regius in febre ardente ſeptimo die aut poſtea contingat, & difficilis multi ſputi ejectio, tum in ardentibus, tum in

aliis febribus, si nullis ex his signis contingentibus febris dimittat; has judicationes pro illis fieri necesse est, aut magnorum tuberculorum abscessum, aut dolores vehementes ex abscessu; aut humorum ex calore colliquationes.

CAPUT III.

Ardentis febris ad salutem, mortem, diuturnitatem judicia; in lipyriam & epialum mutatio; huic succedens icterus, bonum, malum, anceps: tertianarum & acutarum febrium judicia.

EOrum, quæ febrem ardentem significant judicationes & remissiones, longior morbus; si vero vehementia fuerint, mors plerumque sequitur. Reliquæ febres ardentes securæ, septimo aut decimo-quarto desinunt. Solet autem ad lipyriam devenire, & maxime quadraginta dies occupat; & in epialum transit; & lipyria eodem die prehendit, & dimittit; capitis etiam dolor oritur. Si vero eum lipyria febris per quadraginta dies non dimiserit, sed producta fuerit, dolorque caput detinuerit, ac deliraverit, eum purgato. At febre ardente desinente si morbus regius succedat, non solet amplius sudare; neque alibi usquam abscessum facere, sed sanus evadit. Tertiana ut plurimum septem circuitibus judicatur. Quibuscunque in molestis febribus septimo, nono, aut decimo quarto die morbi regii oriuntur, bonum est; nisi dextrum hypochondrium obduruerit, sin minus, anceps. Acuti morbi diebus quatuordecim plerumque judicantur. Sudores febricitanti si tertio, quinto, septimo, nono, undecimo; decimo quarto, vigesimo

gesimo primo & trigesimo die contingunt, hujusmodi sudores morbos judicant; qui vero non sic contingunt, labores portendunt. Urinarum concoctiones paulatim maturescentes, si diebus judicatoriis concoctæ fuerint, morbum solvunt. Exemplum autem ab ulceribus ad urinas sumendum est. Ulcera namque, si repurgantur pure albo, celerem curationem denunciant; sed si in saniosos humores convertantur, maligna evadunt. Eodem vero modo & urinæ significant: si ex dolore tenues fiant, ex occasione ratiocinari oportet, si morbus accessit, eamque inspicere, quum cessavit. Quod si hæc deficiat, aliaque signa qualia oportet accedant, nullam esse morbi solutionem existimandum. Si doleat caput, & ex eo febris succedat, neque hæc sedetur, dolore non cessante, febris non judicatur. Judicationis longæ etiamnum ad melius, plurima ejusmodi sunt, etiam in his quæ ad sanitatem tendunt. In præcordiis tumores molles, doloris expertes, & tactui cedentes, diuturniores quidem, sed minus formidandas, quam his contraria tubercula, judicationes faciunt. Eodem modo se res habeat & de reliquis ventris tuberculis.

CAPUT IV.

Podagricorum morborum ex urinis, sudoribus, & dejectionibus judicia ad salutem, mortem & diuturnitatem.

EX urinis autem, si quod mictum est, id quidem non purum sit, sedimentum vero album & læve habeat, diuturnior judicatio; aut minus etiam quam optima urina secura est. At

ſi quandoque urina ſubrubra fuerit, ac ſedimentum ſub rubrum ac læve, diuturniorem quidem, quam prior, hæc morbum ſignificat; ſed admodum ſalutarem. Quicunque podagrici morbi fiunt, hi citra inflammationem, quadraginta diebus ſedantur: in his plerique longæ judicationis morbi in melius cedunt. Qui ad mortem ruunt, intra diem ac noctem judicantur; quæ imbecillitatis ſigna ſunt, velut epoti medicamenti, exturbationis alvi & ſurſum & deorſum, anxietatis, & aliorum hujuſmodi: ſi igitur horum ſigna die ac nocte ſolvantur, ſatis eſt; alioqui lethalia eſſe reputanda ſunt. Sudores peſſimi ſunt frigidi, quique circa cervicem oboriuntur; hi enim mortem & morborum longitudinem prænunciant. Alvi dejectiones variæ, nigris aliiſque exitialibus dejectionibus diuturniores quidem, nihilo tamen minus perniciosæ; cujuſmodi ſunt ramentis ſimiles, biliosæ, cruentæ, porraceæ, nigræ, eæque interdum ſimul quidem omnes, interdum etiam ſingulæ per ſe dejiciuntur. Urina ſi quandoque pura micta fuerit, quandoque vero ſedimentum album & læve habens, diuturniores minuſque ſecuræ hæ ſunt, quam optima urina; ſi per multum tempus urina fulva & tenuis fuerit, periculum eſt, ne, quoad concocta fuerit, æger ſufficere non poſſit: atque ſi alias ſuperſtitis futuri ſigna fuerint, his abſceſſum fore in locis ſepto tranſverſo inferioribus exſpecta. In febribus ſi urina mutationes habeat, temporis diuturnitatem indicat, ægrumque tum ad deteriora, tum in alteram partem neceſſario commutari: ſi urinæ incipientes minime ſimiles ſint, ſed ex tenuibus craſſæ evadant, & omnino tenues, eæ difficilem ac incertam judicationem faciunt.

CAPUT V.

Judicia morborum deprompta ex ſudoribus frigidis & copioſis; corporis calore ac frigore, dejectionibus, venis pulſantibus, facie, hypochondriis, manuum palpitationibus, dyſpnæa, vigiliis, tetano, ictero, ſingultu, & judiciariis diebus.

FRigidi ſudores cum acuta quidem febre, lethales, cum mitiore vero, morbi longitudinem ſignificant. Et ubi corporis calor, aut frigus ineſt, hic morbus eſt, eique celeres in toto corpore mutationes contingunt. Ac ſi corpus perfrigeſcat, aut rurſus incaleſcat, colorque ſubinde mutetur, iſta morbi longitudinem portendunt. Si febricitanti ſudor accedat, neque febris deſinat, malum; producitur enim morbus, & humiditatem ſignificat. Febricitanti ſudores frigidi contingentes, febrem longam denunciant. Sudor copioſus, ſano immodice oboriens, morbum portendit: æſtate quidem minorem; hyeme vero majorem. Dejectiones, ſi conſiſtere permiſeris, veluti ramenta ſubſident, ſi pauca, parvus eſt morbus, ſi multa, magnus: his alvum ſubluere confert. Quibus in inferiore dejectione bilis atræ quid ſubeſt, ſi copioſius, major eſt morbus, ſi parcius, minor. Si venæ pulſent, & facies bene habita fuerit, hypochondria minime mollia, ſed ſublata, diuturnus morbus (ſignificatur), neque ſine convulſione, aut copioſa ex naribus ſanguinis profuſione, aut vehementi dolore ſolvitur. In manibus etiam palpitationes, diuturnæ febris ſignum, aut brevis in deterius judicationis, & in his plurima, quæ

O 2

ad mortem (tendant.) His qui breviſſimo tempore perituri ſunt, maxima ſigna per initia contingunt; nam & difficilem habent ſpirationem, neque noctu dormiunt, & periculoſa ſigna præmonſtrant. In febre continua, ſi quis quarto & ſeptimo die laborat, neque undecimo judicatus fuerit, plerumque perit. Quicunque diſtenſione corripiuntur, intra quatuor dies pereunt; ſi vero hos effugerint, convaleſcunt. In febribus ardentibus, ſi accedat morbus regius, & ſingultus quinto die, lethale eſt. Recidivæ hos corripiunt, quibus febre ſolutis vehementes vigiliæ, aut turbulenti ſomni accedunt, aut corporis robur (ſolvitur), aut ſingulorum membrorum dolores (adſunt), & quibus febres, non accedentibus ſolutionis ſignis, neque diebus judicatoriis ſedantur; & ſi deficiente febre, & accedente ſudore, urinam fulvam, album ſedimentum continentem reddiderint, his eodem die febris reverſionem exſpecta. Ejuſmodi vero recidivæ quinto die citra periculum judicantur. At ſi ex judicatione facta, urina rubra ſedimentum rubrum continens reddita fuerit, his quoque febris reverſio eodem die contingit, ex eaque pauci ſervantur. Quum redit febris ardens, plerumque etiam exſudat, & ſi revertens tot diebus, quot prius, detineat. Tertio etiam febris revertitur, niſi reverſa die impari dimiſerit: plerumque ſi non coctæ fuerint urinæ, neque alia ſigna ſecundum rationem proceſſerint, morbus judicatorio die revertitur; interdum vero his ejuſmodi relictis etiam die judicatorio revertitur.

CAPUT VI.

Judicia recidivarum, abſceſſus; quartanarum, melancholiæ phreniticæ, maniæ; ſuppuratorum; dolorum partium inferiorum; magni morbi, febrium ardentium.

QUibus circa judicationem exorti ad aures abſceſſus non ſuppurantur, his ſolutis morbi reverſio pro recidivarum ratione ſimili circuitu contingit: in his ad articulos abſceſſum fieri ſpes eſt; ſi urina craſſa (fuerit,) qualis alba in laborioſis quartanis, ab abſceſſu liberat; horum vero quibuſdam etiam ſanguinis e naribus eruptiones contingunt, quæ quartanas non ſolvunt, neque morbos, quos pus prodiens ſanat. Melancholicis, & phrenitide detentis ſuccedentes hæmorrhoides, bonum. Quicunque inſaniunt, aut ſua ſponte a morbis liberati, iis dolor ad pedes aut pectus ſubiens, aut vehemens tuſſis oborta, inſaniam ſolvit. Si ſoluta inſania nihil ex his accidat, cæcitas contingit. Qui lingua offenſant ac balbutiunt, labra non tenentes, ſi hæc ceſſaverint, purulenti evadunt. Vehementem in locis inferioribus dolorem ſurditas ſolvit, aut copioſus ex naribus ſanguis profluens. Inſania magni morbi ex conſuetudine oborientis ſolutio. Quibus in febribus ardentibus coxendicum dolor (eſt,) oculorum perverſio, aut cæcitas, aut teſtium tumores, aut mammarum elevatio, hæc febrem ardentem ſolvunt, aut etiam ſanguinis ex naribus profluvium. In febre ardente ſi rigor corripiat, ſudorem evocare ſolet. A febre ardente detento, rigore ſuccedente, ſo-

lutio contingit. Quibus in febribus ardentibus tremores oboriuntur, (eos) delirium ſolvit. Quibus in febribus aures obſurduerunt, hos non ſoluta febre inſanire neceſſe eſt; ſolvit autem ſanguis ex naribus effluens, aut alvus bilioſa effundens, aut dyſenteria, aut coxendicum, aut genuum dolor ſuccedens. Quibus febribus rigor ſuccedit, febris ſolvitur.

CAPUT VII.

Judicia repentinorum dolorum, hydropis, leucophlegmatiæ, diarrhœæ, volvuli, cephalalgiæ, ophthalmiæ, convulſionis, tetani.

QUibus dolores derepente oriuntur, hypochondria ſurſum attolluntur, ſi dolores acerbi ad notham coſtam oriantur, hi venæ ſectione, & deorſum purgatione liberantur; non enim locis invalidis vehemens febris invadit. Hydrope detentis, ſi aquoſitas ſecundum venas in ventrem, aut veſicam fluat, ſolutio fit. Si pituita alba vexato diarrhœa ſuccedat ſolutio. Qui diarrhœa multo tempore cum tuſſi detinentur, non liberantur, niſi dolores vehementes in pedes inciderint: ſi velit naturæ converſio fieri, quum non amplius alvus profluxerit, aut inanem omnem egeſtionem habuerit; flatus enim foras prodeuntes ſuperveniunt. Manifeſtum igitur nullum humorem habent. Quare ei, qui ita habet, ſecure exhibere ſcies, ea, quæ conveniunt. Si volvulus ſuperveniat, vinum frigidum copioſum, meracum, paulatim propinato, quoad ſomnus, aut crurum dolor oboriatur; ſed & febris, aut dyſenteria ſolvit. Capitis dolore obſeſſo, ſi

pus per aures aut nares effluxerit, morbum solvit. Quibuscunque sanitate fruentibus derepente capitis dolores obveniunt, confestimque voce privantur, ac stertunt, intra dies septem pereunt, nisi febris prehenderit. Ex universo capite dolenti, quicunque ex superioribus locis doluerit, cucurbitulam admoveto. At coxendices, & genua dolor, & asthma, quicquid horum contigerit, solvit. Lippienti a diarrhœa corripi, bonum. Convulsione, aut distensione laboranti, febris accedens morbum solvit. Si febre detentum convulsio prehenderit, febris eodem die, aut postero, aut tertio desinit. Quando manibus, & pedibus distentus in maniam incidit, si manuum venæ pulsant, faciesque robusta, nec non hypochondria non mollia, sed elevata sint, diuturnus morbus est, absque convulsione.

HIPPOCRATIS
LIBER DE
DIEBUS JUDICATORIIS.

PRÆFATIO.

Non est inter libros antiquitus HIPPOCRATI *adscriptos, etsi, judice* MERCURIALI, *Doctrinam magni viri continet. Verum mihi pleraque videntur exscripta & contracta ex libro de adfectionibus internis, quo Gnidiorum sententiæ continentur. Ita febris ardens III. est morbus crassus II.*

inter adfect. *Tetani tres n. 5. sunt tres tetani n. 59. 60. 61.* int. adf. *Coxendicum morbus n. 6. est 56.* adf. int. *Icterus n. 7. est icterus* int. adf. *n. 38. Peripneumoniæ tamen accurata descriptio & determinatio dierum criticorum n. 9. ex eodem* int. adf. *libro non desumitur. Auctor morbos a bile derivat, alios ab ea, & a pituita & a sanguine.*

ARGUMENTUM LÌBRI.

Artis Medicæ esse judicia; quæ Medico, ut de morbis judicia ferat, noscenda sint; de variis signis & adfectibus ex quibus desumuntur judicia.

CAPUT I.

Quæ Medico noscenda ac advertenda ut non fallatur in arte.

MAGNAM artis partem esse duco, posse de his, quæ recte scripta sunt, explorationem inire. Qui enim hæc noverit, iisque utitur, is mihi in arte non multum falli videtur. Equidem tempestatum anni & morborum constitutionem exacte addiscere oportet, & quinam morbus bonus, quis periculosus, aut in temporis conditione, aut in morbo; quinam morbus longus sit, & lethalis; longus quinam salutaris; acutus quinam lethalis; acutus quinam salutaris. Ex his tum judicatoriorum dierum series contemplanda est, tum etiam prædicendi facultas suppetit. Prætereàque ex his, quibus, & quando, & quamnam

victus rationem præſcribere oporteat, cognoſcere licet. Maximum igitur in ægris, qui victuri ſunt, ſignum eſt, ſi febris ardens, cæterique morbi eodem modo, præter naturam non fuerint. Nihil enim in his, quæ ſunt ſecundum naturam, aut formidandum, aut lethale contingit. Secundum ſi non ipſa anni tempeſtas ſimul cum morbo conſpiret; etenim plerumque hominis natura univerſi vim non ſuperat. Deinde ſi faciei partes extenuentur, & venæ in manibus, & oculorum angulis, ac ſuperciliis quietem habeant, quum antea minime quieſcerent. huic ſi vox imbecillior & exilior, ſpiritus rarior, ac tenuior fuerit, in ſequentem diem morbi remiſſio contingit. Hæc igitur ad judicationes conſideranda ſunt, & ſi linguæ bifurculum velut ſaliva alba obducitur, ſive in ſumma lingua hoc idem contigerit, minus tamen. Si quidem igitur parva hæc exſtiterint, ad tertium diem morbi remiſſio (exſpectanda eſt), ſi vero aliquanto craſſius, in craſtinum; ſi autem adhuc craſſius, eodem ipſo die. Quin etiam oculorum alba per initia quidem morbi nigreſcere neceſſe eſt, ſi morbus invaluerit. Hæc igitur ſi pura fuerint, perfectam ſanitatem; remiſſe quidem, tardius; vehementer vero, citius contingere denotant.

CAPUT II.

Acutorum morborum hepar obſidentium, quales peregrinatio & per deſerta loca profectio, deſcriptio, cauſæ, ſigna, ſymptomata.

At vero acuti morbi ex bile oriuntur, quum ad jecur confluxerit, & ad caput pervene-

rit. Hæc igitur patitur jecur, intumescit, & præ tumore ad septum transversum expanditur; statimque ad caput, maxime vero ad tempora dolor irruit; neque auribus acute audit; sæpe vero oculis non videt, horrorque & febris invadit. Hæc igitur per morbi initia ei contingunt, & quandoque vehementer, quandoque minus intermittunt; quoque magis morbi tempus processerit, eo corporis dolor major est, & oculorum pupillæ dissipantur, ac cæcutiunt; & si digitum ad oculos admoveris, non percipiet, eo quod non videat. Istud autem, quod non videat, hinc cognoveris: non enim dum digitus admovetur, nictat; & floccos ex vestibus stragulis detrahit, si quos viderit, pediculos esse ratus. Quumque jecur ad septum transversum magis explicatum fuerit, delirat; sibique ob oculos reptilia, & varias cujusvis generis feras obversari existimat, & milites armatos pugnantes, isque in ipsos pugnare sibi videtur; & tanquam videat, ejusmodi loquitur, irruit, minaturque, si quis eum exire non permittat. Et si surrexerit, crura adtollere nequit, sed cadit: pedesque perpetuo sunt frigidi; quumque dormierit, a somno exsilit, horrendaque insomnia videt. Quod autem per somnos exsiliat, & terreatur, cognoscimus, quum ad mentem redierit. Insomnia enim ejusmodi exponit, & quæ corpore gessit, quæque lingua loquutus est. Istaque ejusmodi patitur; interdum vero per totum diem ac noctem voce privatur, multum ac confertum spiritum ducens: quum autem delirium cessavit, statim ad mentem redit, & si quis eum interroget, recte respondet, & omnia, quæ dicuntur, intelligit; deinde rursus paulo post iisdem prostratus doloribus decumbit. Hic morbus potissimum in peregrinatione contingit; & si

quando per deserta loca quis iter fecerit. Sed & aliter invadit.

CAPUT III.

Tetani triplicis descriptio, judicatio.

NErvorum distensiones duæ vel tres (*tetani*). Si ex vulnere distensio contingit, his æger afficitur; maxillæ velut ligna rigescunt, os aperire non potest, oculi frequenter illacrymantur, & contrahuntur, dorsum rigidum est, neque crura, neque manus, neque spinam inflectere potest; quum vero lethalis fuerit, potus & edulia, quæ prius devoravit, per nares interdum exeunt. Opisthotonus reliqua eadem ut plurimum inducit. Oritur autem quum ad posteriores cervicis tendones ægrotarit; ægrotat autem aut ex angina, aut uva, aut locis ad tonsillas suppuratis. Quibusdam etiam ex capite, quum febres supervenerint, convulsio contingit. Jam vero etiam ex vulneribus vi quadam retrahitur, & præ dolore dorsum rigescit, & pectus ingemiscit. Is vehementer convellitur, ut vix ab iis, qui adsunt, contineatur, quin e lecto excidat. Alia distensio minus est prioribus lethalis; ex iisdem autem oritur, eodemque modo totum corpus convellitur. At febris ardens non similiter, ut prædicta, oritur. Semel enim natura sua prehendit, ut accendi necesse sit. Sitis igitur multa, & vehemens febris hominem detinet; lingua autem exasperata finditur, & sicca fit, colorque ipsius primum quidem pallidus est, uti consuevit, procedente vero tempore nigrescit. Ac si quidem per initia nigre-

ſcat, celeriores judicationes contingunt; ſi poſtea, tardiores.

CAPUT IV.

Iſchiadis, & Icteri dignotio, judicatio.

COxendicum morbi, plerisque ex his potiſſimum cauſis oriuntur; ſi quis diutius in ſole verſetur, & coxendices incaluerint, humorque, qui articulis ineſt, ab ardore reſiccatus fuerit. Quod autem reſiccetur & concreſcat, id magnum eſt indicium. Æger enim articulos præ dolore articulorum inflectere, ac movere non poteſt, & eo, quod ſpinæ vertebræ conſtrictæ ſunt. Dolent autem magis lumbi, & vertebræ, quæ ex obliquo coxendicum ſitæ ſunt, & genua. Dolor autem acutus, & æſtuoſus plurimo tempore in inguinibus, ſed etiam in coxendicibus inſiſtit; & ſi quis eum erigat, non transmovetur; ingemiſcit autem, quam maxime poteſt, præ dolore. Interdum vero etiam convulſio, & rigor, & febris ſupervenit. Oritur autem a bile, & pituita, oritur quoque etiam a ſanguine, & dolores ab omnibus morbis ſunt ſimiles; & rigor, & febris levis interdum prehendit.

Morbus regius acutus eſt, & qui celeriter enecat, color totus mali punici corticem refert; vehementer autem ex viridi palleſcit, quemadmodum lacerti viridiores; ac ſimilis ei cutis eſt, & in urina ſubſidet, velut ervum fulvum; & febris, & horror levis detinet. Interdum vero etiam veſtem ſtragulam habere non ſuſtinet, ſed matutino tempore jejunus intus mordetur, & raditur, deinde ut plurimum viſcera muſſitant, & ſi quis

eum erigat, aut alloquatur, non ſuſtinet. Hic fere intra dies quatuordecim moritur; hos ſi effugerit, convaleſcit.

CAPUT V.

Peripneumoniæ, & febrium diagnoſis, & judicatorii dies.

PEripneumonia hæc efficit, febris vehemens detinet; denſa, & calida eſt reſpiratio, & anxietudo, & impotentia vexat, & jactatio, & dolores ad ſcapulas, & claviculam, & mammam, in pectore pondus, & deliria. Interdum vero quoad tuſſire cœperit, ſine dolore eſt: ſed illa diuturnior & moleſtior eſt. Sputum autem album & ſpumoſum primum ſpuit, lingua vero flava eſt, ſed procedente vero tempore nigreſcit. Si igitur per initia nigreſcat, celeriores ſunt liberationes; ſi vero poſtea, tardiores. Tandem etiam lingua finditur, & ſi digitum admoveris, adhæreſcit. Morbi autem liberationem, peræque ac in pleuritide, lingua denotat. Hæc contingunt diebus, ut minimum, quatuordecim; ut plurimum vero, uno & viginti; quo tempore vehementer tuſſit, unaque cum tuſſi ſanguinem rejicit; primum quidem copioſum ſputum, & ſpumoſum; at ſeptimo, ac octavo die, quum febris viget, & humida pulmonis inflammatio fuerit, craſſius; alioqui minime; nono vero, & decimo die, aliquantulum ex viridi palleſcens, & ſubcruentum; duodecimo autem ad decimum quartum uſque, copioſum & purulentum. Quibus a natura humidæ inſunt corporis adfectiones, iis vehementior morbus eſt. At quibus natura & morbi conditio ſicca

eſt, hi minus (conflictantur.) Atque de judicatoriis diebus jam quidem etiam antea a me dictum eſt. Judicantur autem febres quarto die, ſeptimo, undecimo, decimoquarto, decimoſeptimo uno & vigeſimo. Ex his vero acutis, trigeſimo; deinde quadrageſimo, poſtea ſexageſimo. Quum vero hos numeros exceſſerint, diuturna jam evadit febrium conſtitutio.

HIPPOCRATIS

LIBER II.

DE MORBIS POPULARIBUS.

PRÆFATIO.

GALENUS *ad libros refert, quos ex pugillaribus* HIPPOCRATIS *a* THESSALO *deſcriptos eſſe vult. Prima ſectio eſt de criſibus, purior & meliori fere ordine digeſta, quam ullus liber* HIPPOCRATICORUM. *Sed reliqua ſunt fere promiſcua. In Sectione II. ægrotorum hiſtoriæ fere imperfectæ, tum morborum, ut anginæ. Sectio III. Epidemia eſt Perinthia, iterumque miſtæ ſunt morborum hiſtoriis prædictiones. In Sectione IV. venarum hiſtoria redit, qualis cum* libro de oſſibus *dicta eſt. Subjectæ etiam ſunt morborum hiſtoriæ, inter quas morbus videtur eſſe paralyticus, a vitiato frumento natus, &*

a nuperis medicis sæpe adnotatus. Sectio V. iterum prædictiones continet, tum VI. & admistam farraginem.

SECTIO I.

CARBUNCULI in Cranone æstivi: pluebat in ardoribus aqua larga. Contingebat hoc per totum, & maxime ab austro, & subnascebantur quidem in cute sanies, dum autem intro concipiebantur, calescebant, & pruritum inducebant. Deinde pustulæ velut ab igne inustæ excitabantur, & sub cutem uri sibi videbantur in ardoribus siccitatis. Febres plerumque citra sudorem. In his vero, si minutæ imbris guttæ deciderint, magis sudatoriæ fiunt ab initio. At hæc difficiliora judicatu manent, quam aliter. Attamen minus, si non propter hæc fuerint, sed propter morbi modum. Febres ardentes in æstivis magis fiunt, & in aliis temporibus. Resiccantur autem magis æstate. Autumno maxime ferinum, & oris ventriculi dolor, quamquam & ipse minus maleficus fuerit, ipso morbo tali existente.

Ascarides vesperi similiter huic; & illæ tunc infestant in die plerumque, non solum ideo quod magis affligunt, sed etiam ipsæ per se ipsas.

In autumno acutissimi morbi, & maxime lethales, & omnino similitudinem habent, eo quod vesperi exacerbantur, tamquam annus ipse habeat circuitum morborum. Qualis est dies morbi, quale est vespertinum tempus ad exacerbationem; tale est morbi, & uniuscujusque constitutionis inter se, ubi non quid in superiori specie fuerit innovatum, sin minus, alia sane

constitutione hæc imperium obtinuerint. Quare etiam annus ad se ipsum hoc modo se habet. In quietis, ac constantibus temporibus, & annis tempestive tempestiva præbentibus, boni status, & judicatu facillimi morbi fiunt. In constantibus vero inconstantes, & qui difficulter judicantur: quum sane in Perintho defecerit, aut abundaverit quid, ut aut venti sint, aut non venti, aut aquæ, aut siccitates, aut ardores, aut frigora. Ver autem omnino saluberrimum, ac minime lethale.

Circa principia morborum considerandum, an statim floreat. Clarum autem hoc fit ex incremento. Incrementa vero ex circuitibus, & judicationes quoque hinc manifestæ fiunt, itemque ex acerbationibus in circuitibus, si citius accedant, aut non, & si diutius durent, aut non, & si magis affligant, aut non. Ex omnibus autem continuis, aut intermittentibus, & diuturnis, & vulneribus, & sputis, & doloribus. Itemque tuberculorum inflammationes, & quæcumque alia posterius apparent, fortassis autem & ex aliis communibus rebus, quæ quidem citius fiunt, breviora sunt. Quæ vero tardius, longiora, quum etiam in circuitibus citiorem recursum, ac reliquum augmentum morbus neget. Nam & eorum, qui statim pereunt, velociores sunt judicationes, quoniam & dolores & continui, ac fortes. Quæ vero ad melius judicant, non statim apparent. Judicatoria non judicantia, partim lethalia sunt, partim difficilis judicationis. Quæ præjudicata sunt, si crude judicata fuerint, recidivæ fiunt; sin minus, judicationis impeditiones, aut malæ judicationis impeditiones, aut malæ judicationes. Possunt etiam fieri perniciosa ea, quæ non parva sunt.

Quæ-

ſunt. Quæcumque judicatoria ſigna fiunt, eadem hæc, ſi non fiunt, difficilis ſunt judicationis. Quæ vero contraria ſignificant, malum, non ſolum ſi recurrant, ſed etiam primariæ naturæ contraria repentia. Quemadmodum etiam malorum ſignum ea, quæ ad contraria repunt. Conſiderare vero ſic oportet, in cibis, compreſſionibus venarum, tumoribus præcordiorum, ſurſum vergentibus, deorſum vergentibus. Sed & multa ſunt ejuſcemodi, velut abortientium mammæ graciles fiunt, neque enim contrarium eſt. Neque tuſſes diuturnæ, quoniam ubi teſtis intumuit, ceſſant, & teſtis tumor a tuſſi ceſſat, & allevatur, quæ res commonefacit nos communionis pectorum, mammarum, genituræ, vocis.

Abſceſſus aut per venas, aut per oſſa, aut nervos, aut cutem, aut alias emotiones. Boni autem ſunt, qui infra morbum fiunt, velut varices, lumborum gravitates ex ſupernis. Optimi vero notiſſimum ſunt inferni, & longiſſime infra ventrem, & remotiſſimi a morbo, & qui per effluxionem fiunt, velut ſanguis e naribus, pus ex aure, ſputum, urina, quæ per effluxionem fiunt. At abſceſſus, quibus hæc non fiunt, ſunt velut dentes, oculi, naſus, ſudor. Sed & quæ ſub cutem abſcedunt foras tubercula, velut putreſcentia, & quæ ſuppurantur, aut ulcus, aut ejuſmodi puſtulæ, aut ſquamæ, aut defluvium capillorum, vitiligines, lepræ, aut ejuſmodi, quæ abſceſſus ſunt acervatim fluentes, & non ſemirepentes, & quæcumque alia dicta ſunt, & ſi non pro rationis excretionis morbi dignitate fiant, velut Temeni nepti, ex morbo forti ad digitum decubuit, qui quum non ſufficeret ad ſuſcipiendum morbum, recurrit. Mortua eſt.

Abſceſſus aut per venas, aut per alvum, aut per nervos, aut per cutem, aut juxta oſſa, aut ſecundum ſpinalem medullam, aut ſecundum alias effluxiones, os, pudendum, aures, nares, ex utero menſes. Judicationes poſtridie fiunt, velut ad lumbos, aut ad femur, & ad teſtes. Quandoque ex tuſſi, & teſtis ipſe a ſe ipſo. Tuſſiculoſi abſceſſus, qui ſupra ventrem ſunt, non ſimiliter perfecte liberant.

Sanguinis eruptiones largæ ex naribus plerumque liberant, velut Heragoræ, quod medici non animadverterunt. Qui voces aſperas natura habent, his etiam linguæ ſubaſperæ ſunt, & quæcumque aſperitates a morbis ſimiliter. Quæ igitur duræ ſunt linguæ a natura, etiam ſine morbo hoc habent. Molles vero tardiores ſunt & ad peccatum, & ad bonum, quam prior natura.

Conſideranda ſunt etiam longa capita ex vivendi ratione, & cervices longæ ab inclinationibus, & venarum amplitudo, & craſſitudo, ab eadem, & anguſtiæ, ac latitudines, & brevitates, ac tenuitates ex contrariis. Quorum venæ amplæ, & ventres, & oſſa ampla, hi ſunt, qui tenues ſunt. Pingues vero his contraria habent, & in his, qui fame macerantur, mediocritates. Ab his conſideranda ea ſunt, quæ propterea incrementa unicuique detrahunt, & quæ diminutiones adaugent, & ea, quæ incrementa coadaugent, & quæ corroborant. Et quæ ſint communes venarum diſſectiones.

Pectinum ruptiones, quæ quidem circa pubem ſiunt, ut plurimum ſtatim ſunt innoxiæ. Quæ vero paululum ſupra umbilicum in dextera parte, hæ doloroſæ ſunt, & anxioſæ, & ſtercoris vomitum inducunt, velut etiam Pittaco accidit.

Fiunt autem hæc aut a plaga, aut vulsura, aut alterius insultu.

Quibus id, quod medium est intrer abdomen, & cutem, inflatur, & non sedatur, color est, velut qui multum pallidus est, & qui ex candicante pallet, quoniam omne hujusmodi ab hepate est, & ex hoc sunt hepatici in his morbi, & morbi regii ab hepate ad subalbidum colorem vergunt, & qui ex aqua inter cutem, & ex pituita alba laborant. Qui vero a splene sunt, tum hydropes, tum morbi regii, nigriores sunt.

Sed & ulcera, quæ ægre persanantur, exalbidorum sunt, qui fere lentis colorem referunt, & cutis distringitur, ac labia, velut Antilochus habuit, & Alevas, ab humoribus ex corpore salsuginoso, quod sub cute maxime, & a capite contingit, quum a pulmone fuerit calefactum.

Occasiones unde quis ægrotare cœpit, considerare oportet, sive capitis sit dolor, sive auris, sive lateris. Signum autem sunt in quibusdam dentes, & in quibusdam inguinum tumores. Ulcera fientia, ac judicantia febres, & tubercula. Quibus hæc non fiunt, judicatio sublata est. Quibus intus relinquuntur, certissimæ recidivæ, ac celerrimæ. Crudos, ac liquidos secessus, milium solidum in oleo coctum sistit. Exemplo est nautæ puer, & Myriochaune.

SECTIO II.

MUlier cor, hoc est os ventriculi dolebat, & nihil remittebat dolor. Huic polentæ pollen in mali punici succum inspersus, & se-

mel in die acceptus in cibo ſatis fuit, & non revomebat, velut Charioni contigit.

Mutationes proſunt, ſi non ad prava mutentur, velut his, qui a medicamentis vomunt febrium gratia. Fines in meraciora deſinentes, putrefactionem ſignificant, velut Dexippo. Serapis ex liquida alvo intumuit. Pruritus autem haud ſcio quot diebus, non ultra. Habebat autem & abſceſſum quemdam in lateris mollitudine, qui nigrefactus occidit. Et Stymargi uxor ex ventris per paucos dies turbatione, ubi multum in ſiſtendo laboraſſet, & poſt pueri ſexus feminei quadrimeſtris ex corruptione diſceſſum ſana facta eſſet, intumuit.

Moſcho e calculo laboranti fortiter, in ſuperna palpebra hordeolum obortum eſt magis ad aurem. Deinde intro exulceratum eſt. Quinta, & ſexta die ex internis pus erupit. Infernas affectiones ſolvit. Glandularum tumor, ac inflammatio circa aurem erat, itemque inferne in collo, e directo ſuperni tumoris. Ariſtæi uxoris frater fatigatus in via incaleſcebat. Deinde in tibia tumores fiebant terebinthi fructui ſimiles. Poſtea febris continua fiebat, & poſtridie ſudor factus eſt, & aliis paribus diebus ſemper idem fiebat. Adhuc autem febris tenebat. Erat autem ſublienoſus. Ex ſiniſtra nare ſanguis erumpebat frequenter, & paulatim. Judicatus eſt. Poſtridie juxta ſiniſtram autem tumor. Sequenti die etiam circa dextram, ſed hic minor, & inſuper tepeſcebat. Hi evanuerunt, & non ſuppurati ſunt. Qui ab Alcibiade venit, ei ex febribus modicis ante judicationem teſtis ſiniſter intumuit. Habebat autem ſplenem magnum, & ſane tunc judicata eſt febris vigeſima die. Deinde alias atque alias ſubincaleſcebat, & ſubflori-

dum ſpuebat. Cuidam manus dextra, & crus ſiniſtrum, quum ex tuſſi parum, & nihil memorabile ejeciſſet, ſiderationis modo reſoluta ſunt, alia vero nulla re alterata eſt, neque facie, neque mente. Nec vero adeo fortiter illis partibus. Cœpit ad melius procedere circa vigeſimam diem. Factum autem hoc eſt illi fere circa menſium eruptionem, & fortaſſis tunc primum apparebant. Erat enim virgo. Apœmantus, & pater fabri illius, qui caput fregit, & Nicoſtratus non extuſſiebant quicquam. Erant autem alibi circa renes dolores. Interrogationes factæ ſunt, dicebant ipſos ſemper repleri potu, aut cibo. Dolores fortiſſimos quo modo dinoverit quis conſpicatus, fuga, tolerantiæ, experientiæ, & timiditates indicant.

Aqua, quæ cito caleſcit, & cito frigeſcit, ſemper levior eſt. Cibi, & potus experientia opus habent, an ad æqualitatem maneant. Dicendum quod, ubi ſanguis effluxit, expalleſcunt, & quæcumque alia hujuſcemodi.

Abortus maſculus ſexaginta dierum, in partium ſuppreſſionibus ſalubris. Hercules intumeſcebat mali ipſius die octava. Magis ex dyſenteria laborat quiſquis ſane etiam e teneſmo vexatur. Quædam lactans puſtulas per corpus ubique habebat. Poſtquam autem lactare ceſſavit, ſedatæ ſunt per æſtatem. Coriarii illius, qui coriacea præparabat, uxori, quum peperiſſet, & perfecte exſoluta eſſet, viſum eſt de ſecunda membranoſum quiddam remanere, diſceſſit autem quarta die male. Nam urinæ ſtillicidio vexabatur. Statim concipiens peperit maſculum. Habebat autem jam multos annos, & poſtremum neque menſes prodibant. Quando autem peperiſſet, urinæ ſtillicidium paululum intermittebat.

Quædam priusquam conciperet, coxam dolebat. Postquam autem concepit, non amplius dolebat. Ubi vero peperit, vigesima die rursus doluit. Peperit igitur masculum. Prægnanti in tibia inferne dextera, tertio, aut quarto mense pustulæ, ad quas manna thuris utimur, itemque in manu dextera juxta magnum digitum, haud scio, an peperit, reliqui enim ipsam semestrem, habitabat autem, velut ego puto, in ædibus Archelai ad rupem. Antigenis uxor habitabat juxta Nicomachum, peperit puerum carnosum quidem, verum qui haberet maximas partes discretas, magnitudine vero esset quatuor digitorum, & sine ossibus, deinde crassius, ac rotundus. Hæc autem anhelosa erat ante partum. Deinde simul cum partu pus revomuit modicum, velut ex furunculo vocato tuberculo.

Quæ filias peperit gemellas, & difficulter peperit, & non valde purgata est, tota intumuit. Deinde venter ipsi magnus fiebat. Reliqua vero reprimebantur, & rubicunda prodibant usque ad sextum mensem. Deinde alba valde per omne jam tempus. Atque hæ fluxiones veneri officiebant, & mera rubicunda ipsi profluebant. In diuturnis intestinorum levitatibus ructus acidus fiens, antea nunquam factus, signum bonum, velut Demænetæ contigit. Fortassis autem licet etiam arte parare. Nam turbationes ejusmodi alterant. Fortassis autem & ructus acidi intestinorum levitatem solvunt.

Sanata est veratri potione Lycea; postremum splen magnus, & dolores, & febris, & ad humerum dolores. Et vena, quæ in splene est, in cubito secabatur, & saliebat quidem sæpe. Aliquando vero etiam non est secta, sed una cum sudore sanguis penetravit, aut sua sponte.

Ex quo autem prodibat, ſplen dextera parte intendebatur, ſpiritus intus duplicabatur, non tamen magnus. Mente movebatur, contegebatur, flatus inerat, non prodibat inferne quicquam, neque mingebat. Mortua eſt ante partum. Quæ circa fauces ad alterutram partem repentia proceſſerunt, exulcerata non ſunt, ad ſiniſtra tranſiverunt, ad ſplenem dolor venit citra judicationem. Hieroni judicatio facta eſt decima quinta die.

Coi ſorori hepar elevatum eſt ſplenico modo. Mortua eſt ſecunda die. Bion ſimul multum mingebat, quod non ſubſidebat, & ſanguis ex ſiniſtra nare manabat. Erat enim & ſplen surſum in gibbum elevatus, ac durus, ſuperſtes manſit, recidiva.

Erant autem anginoſorum affectiones hæ. Colli verticula intro vergebant, quibuſdam amplius, quibuſdam prope. Et collum forinſecus conſpicuam cavitatem intro habebat, & hac parte ad contactum dolebat. Erat autem & cuidam infra os dentis appellatum, quod non ſimiliter acutum eſt, quibuſdam vero etiam valde rotundum, majore circumferentia. Si non cum dente appellato, fauces non inflammatæ, verum jacentes. Partes ſub maxilla tumidæ, non inflammatis ſimiles. Neque glandulæ ulli intumuerunt. Sed magis ſecundum naturam, linguam non facile vertebant, ipſisque & major eſſe videbatur, & prominentior, & ſub lingua venæ conſpicuæ, deglutire non poterant, aut valde difficulter. Immo ad nares fugiebat, ſi valde cogerent, & per nares loquebantur. Spiritus autem his non valde ſublimis.

Quibuſdam vero venæ in temporibus, & in capitibus, ac cervice elevatæ. At recrudeſcenti-

bus, ex his, parum quiddam tempora calida, etiamsi alias non febricitarent. Non suffocabantur plurimi, nisi quum deglutire cupiebant aut salivam, aut aliud quiddam. Neque oculi intus desidebant.

Quibus igitur tumor erat rectus, nec in alteram partem vergebat, hi neque leviter sideratorum modo resolvebantur. An vero aliquem periisse viderim, in memoriam revocabo. Quos autem nunc novi, superstites manserunt. Erant autem partim celerrime allevantia. Plurima vero ad quadraginta dies deveniebant, & in hoc plerique etiam sine febre.

Multi vero etiam ad valde longum tempus, partem aliquam tumoris habebant. Et deglutitio, & vox indicabat, & columellæ liquescentes significationem quamdam pravam exhibebant, quamvis nullum gravius malum habere videbantur. Qui vero tumores ad alteram partem vergentes habebant, hi unde verticula inclinata fuerunt, isthic resolvebantur. Atque inde ad alteram partem distrahebantur. Erant autem hæc in facie maxime conspicua, & in ore, & intersepto juxta gurgulionem. Sed & maxime interne pro ratione immutabantur.

Cæterum resolutiones leviter sideratorum modo, non per totum corpus fiebant veluti ex aliis, sed usque ad manum, ab anginosa affectione. Atque hi & matura exspuebant, eaque pauca, ac difficulter. Quibus autem in rectum tumor tendebat, itidem exspuebant. Quibus vero etiam cum febre, hi multo magis; & difficulter spirabant, & aliena loquebantur, & venæ his magis elevatæ. Et pedes omnibus quidem frigidissimi erant, maxime autem his. Et hi ad erecte standum impotentiores erant. Et quidam non

ſtatim moriebantur. Quos autem ego novi, omnes mortui ſunt.

SECTIO III.

Conſtitutio Temporis.

IN Perinthum circa ſolſtitium fere æſtivum venimus, facta autem eſt hyems clementi cœlo, auſtrina. Ver & æſtas valde ſine aquis uſque ad plejadum occaſum. Nam ſi etiam quid aquæ cecidiſſet, id erat velut minutæ roris guttæ. Et Eteſiæ non valde ſpirarunt. Et qui ſpirarunt, divulſe id fecerunt. Æſtate febres ardentes populariter graſſatæ ſunt multæ. Erant autem ſine vomitu, & alvi turbatæ ex tenuibus, aquoſis, non bilioſis, ſpumoſis, multis, quæ aliquando depoſita etiam ſubſidentiam habebant, ex quibus ſane etiam id, quod ſub dio noctu exponebatur, ſimile erat. Æquales ſpecie alvi ſeceſſus ſemper, malum. In his multi ſoporoſi erant, & mente moti, hi vero ex ſomnis tales fiebant. Quum autem ſuſcitati eſſent, omnia intelligebant. Spiritus ſublimes, non tamen valde. Urinæ tenues quidem plurimis, & paucæ, alias autem non decolores. Sanguinis eruptiones e naribus non fiebant niſi paucis, neque parotides juxta aures, de quibus poſtea ſcribam, neque ſplenes adtollebantur, neque dextrum præcordium, neque doloroſum valde, neque fortiter intentum erat. Erat tamen quid, quod judicationem faciebat. Et maxime judicabantur omnia plerumque circa decimam quartam diem, pauca cum ſudore, pauca cum rigore, & valde paucis recidivæ fiebant. At vero ſub minutas velut roris

guttas, quæ in æſtate fiebant, apparebat ſudor. In febricitantibus etiam quidam ſudores ſtatim ab initio fiebant, non tamen maligno modo, & quibuſdam ſub hoc tempus etiam judicatio facta eſt cum ſudore.

Fiebant autem in febribus æſtivis, circa ſeptimam, octavam, & nonam diem, aſpretudines in cute miliaceæ, culicum morſibus maxime ſimiles, non valde pruriginoſæ. Hæ perſeverabant uſque ad judicationem. Nulli equidem maſculo tales erupiſſe vidi. Mulier autem nulla mortua eſt, cui hæ fiebant. Et gravi auditu præditæ, & ſoporoſæ erant. Prius autem non valde ſoporoſæ erant hæ, quibus illæ affuturæ eſſent. Non tamen in totum durabant. Verum ſoporoſæ, & ſomnolentæ erant per æſtatem, & uſque ad plejadum occaſum. Poſtea vero magis vigiliæ aderant. Sed neque in totum ab hac conſtitutione moriebantur. Alvum igitur per cibos ſiſtere non dabatur, immo præter rationem putaſſet quis mederi conducere, etiamſi minus multa quibuſdam prodirent per hoc, quod in frigore quis jaceret ſtrato ſuppoſito. Nam ulcerat quidem frigidum, calefacit autem ejuſmodi ſpecies ſenſim progrediendo adhuc magis, etiamſi nulla afflictio naturæ accedat, & in quibus, & qualia ſigna, & plura, aut pauciora fientia; oſcitatio, tuſſis, ſternutatio, diſtentio cum oſcitatione, eructatio, flatus, omnia talia corrumpunt. Quibus in febribus anxioſis, horridis, rubeſcunt facies, laſſitudines, oculorum dolores, capitis gravitates, reſolutiones leviter ſideratorum modo, & menſes ſi apparuerint, maxime quibus primum, ſed & virginibus, & mulieribus, quibus per tempus, ſed & quibus non, in quo ſolet tempore, aut velut oportet, apparent. Deinde

pallidæ fiunt. Magnum autem in omnibus, id quod & consequenter fit, & in quo tempore, & in quibus. Valde biliosis, in febribus maxime, omnino quibusdam ad crura purgatio.

Medicamentorum modos scimus, ex quibus qualia, & quæ fiunt. Non enim omnes similiter, sed alii aliter componuntur. Et alibi citius, aut serius in manuum tractationes assumuntur, velut est aut siccare, aut tundere, aut coquere, & ejusmodi. Omitto plurima, quæ unicuique, & in quibus morbis, & quo tempore morbi, ætatem, speciem, victum, qualis hora anni, & quæ, & qualiter procedat, & hujuscemodi.

Zoilo juxta murum ex tussi matura, febris acuta, & faciei rubor, & alvus intercepta, præterquam ad necessitatem coacte, lateris sinistri dolor, & auris e directo valde dolorosa, & caput non usque adeo. Spuens semper suppuratum ægrotabat. Sed alia judicata sunt, & juxta aurem pus multum erupit circa octavam, aut nonam diem. Principia vero noni diei ex dolore auris. Haud scio, quomodo sine rigore judicatio facta est. Sudavit caput valde. Et hic sudor firmus erat, quod quidem ardor etiam sinistri lateris esset. Superne una cum aure dolor sedatus, maxime circa scapulas. Sed & ante sputa multa, ab initio florida rejecta, & circa septimam, aut octavam diem. Deinde laboriosa. Alvus restitit usque ad nonam, & decimam diem. Dolor exstinctus est. Tumor remittebat, & sudores fiebant parvi, non autem judicabant. Manifesta autem erant hæc tum ex aliis, tum ex secessu. Nam incipiente auris dolore, etiam venter turbatus est. Erupit autem ex aure nona die, & judicatus est morbus decima quarta sine rigore eadem die. Sed & sputum largius ibat, & maturius, postquam auris erupit.

Sudores autem, & serpentia ulcuscula ad multum tempus in capite fiebant. Resiccata sunt tertia die.

Quæcumque sine signo judicationis judicatorio disparent, male judicata sunt, velut erysipelas ancillæ Polemarchi. In glandularum tumoribus febres, malum, exceptis diariis. Et in febribus glandularum tumores, deteriores, qui in acutis ab initio vigorem remiserunt. Spiritus, præcordiis elevatio mollis, & intentio neutra, in ipsis superne rotundum, in dextris velut circumferentia suppuratoria, aliud longius magis, aliud diffusum, aliud deorsum repens, & hinc atque hinc distentio usque ad umbilicum. In omni sursum versus e directo latione, si revocetur, & in rotunditatem concludatur, quatenus quidem spiritus fuerit, citra judicationem calorem adtenuatur. Si vero hunc effugerit, ad suppurationem procedit. Spiritus densi parvi, magni rari, parvi rari, extra magnus, intra parvus, alius quidem extendens, alius vero urgens, dupla intro revocatio, velut superinspirantibus, calidus, frigidus.

Medela assiduarum oscitationum spiratio longa. Non potantibus, & vix, spiratio brevis. E directo etiam laterum intentio dolorosa, & præcordiorum intensiones, & splenis elevationes, e naribus eruptiones.

Quæ relinquuntur post judicationem, recidivas facere solent. Primum itaque lienis elevationes, si non ad articulos finierint, sanguinis e naribus eruptio fit, aut præcordii dextri intentio, si non penetraverint urinæ. Hæc enim est interceptio utrorumque, & recidivæ horum merito fiunt. Abscessus igitur horum facere oportet, si non fiant, eos vero, qui jam fiunt, declinare. Eos autem excipere, si prodierint jam,

& qualia oportet, & qua parte oportet. Qui vero non valde, eos coadjuvare. Eos vero avertere, si omnino incommodi fuerint, maxime si hi adfuturi sunt; sin minus, si jam veniunt. Quarta die fientes sanguinis e naribus eruptiones ægre judicant. Febres, quæ una die intermittentes, altera supperrigent, una cum judicatione ad septimum circuitum durant. Scopo ex mucosis, biliosis, & faucium inflammatione, malo victu uso alvus suppressa est, & febris acuta facta, & lingua florida, & vigil sine somno. Pectinis intentio fortiter, æqualiter, paulatim ad infernam partem in dextris. Spiritus subdensus, præcordia dolebat, & respirans, & quum verteretur. Sine tussi vero excreabat subcrassa. Peplus ipsi data, a præcordio quidem depulit, transivit autem nihil. Postridie glandes duæ appositæ non apparuerunt. Urina crassa, & turbata. Subsidentia levis, & plana, & restitit alvus in turbulentia, venterque mollior erat. Et splen elevatus, & deorsum urgens factus est. Potu utebatur aceto mulso dulci; aut favorum cremore cocto. Decima sanguis ex sinistra nare aquosus paucus venit, non autem valde infirmus erat ob hoc ipsum, & urina subsidentiam habens. In subsidentia vero subalbum quiddam adhærens vasi, tenue, neque genituræ simile, neque dissimile. Defluxit hoc brevi. Postridie judicatus est, a febre liber, & subiit subviscosum undecima die. Hoc vero circa defluxum erat quid biliosum. Urinæ vero purgatio multa tum copia, tum subsidentia, & priusquam vinum bibere inciperet, fere pituitæ similis. Penetravit autem undecima die, ut quæ non esset multa. Viscosa vero erant stercora, & turbata.

Hujusmodi autem judicatorio modo fiebat. Nani & Antigenis in Perintho tale erat.

Quæ circa linguas elevantur collectiones, & humiles calculi, & quæ podagricis fiunt, circa debiles illorum articulos sunt. Nam ossium natura caussa est; ut hæc & indurentur, & distendantur. Collectio Hippostrati uxori ex quartana annua ad fastigium elevata est, quum subfrigida palam esse videretur, impetus in totum corpus factus est, & sudor. Judicata est hoc modo; & postea menses plures copia, & tempore. Tunc enim suppressi fuerant. Abscessus non consistere visus est. In pulsantibus sanguinem fundentibus figura ampla; & in totum si ex omnino declivi acclive fiat Quapropter etiam deligationes in venarum sectionibus impetum faciunt; fortes vero sanguinem impediunt. Sanguineum; & subbiliosum ructum acidum facit. Fortassis autem ad atræ bilis morbum his desinet.

Rigores incipiunt mulieribus quidem magis a lumbis, per dorsum ad caput. Sed & viris posteriore corporis parte magis; quam anteriore; velut cubitis, femoribus. Sed & cutis rara. Indicat autem pilus animantium.

Quibus nihil intra constitutum tempus accidit, singulis partus vitales fiunt. Apparentia; in quibus mensibus fiunt. Labores in circuitibus .Quicquid in septuaginta movetur, in triplicitatibus perficitur. Post menses dextera, & sinistra hiant.

Humiditas per prodeuntia requirit diætam siccissimam. Quod citius motum est; ac discretum, rursus augescit etiam tardius, & ad longius tempus. Labores circa quinquagesimum tertium diem, & circa centesimum sextum. Labores tertio, quinto, septimo, nono mense, &

ſecundo, ac quarto. Quæ noſſe oportet ad ſeptimum menſem, aut a menſium fluxu numerandi ſunt novem menſes; aut a conceptione, & ad ſeptuaginta, ac ducentos dies, græci menſes fiunt, & ſi quid amplius ultra hos eſt; & aut maſculis, aut etiam femellis hæc fiunt, aut contraria. A cibis, & potibus humeri, ac mammæ inflantur, & impotentiæ, & inflationes in capite incrementa faciunt, donec oſſa fuerint ſolida facta. Menſtruarum purgationum circuitus eſt. Quæ ante has fiunt gravitates, ſimiles ſunt laboribus octimeſtribus.

Primipararum lac, alimento quidem tranſmutationem accipiente, octimeſtri vero perficiente. Si in vulneribus fortibus tumor non appareat magnus, malum. Laxi bonum, ſurſum paſcentes, pejus. Menſtruæ purgationes ſimiles octimeſtribus, in tendentibus ad decimum menſem fientes, malum. Quibus tumores in ulceribus, non valde convelluntur, neque inſaniunt. His autem derepente diſſipatis, quibus quidem ad poſteriores partes, convulſiones cum doloribus, quibus autem ad anteriores, aut inſaniæ, aut dolores lateris acuti, & dyſenteria rubra. Tumores præter rationem allevantes, pravum, velut Andronici filio Eryſipelas recurrit, ſi non ad eumdem locum rediens, bonum quid ſignificet. Hoc ex nativitate circa aurem, ad pubem diſtributum eſt. Alteri tertia ex nativitate die factum, ſuppuratum eſt nona. Hic ſeptima die ſanus evaſit. Maligniora ſunt, quæ derepente diſparent.

SECTIO IV.

De Venis.

HEpatitis in lumbis usque ad magnum verticulum, inferne etiam vertebris se ingerit, hinc sublevata per hepar, & per septum transversum ad cor, & quæ quidem recta est, ad claviculas, hinc aliæ quidem ad collum, aliæ vero ad scapulas, aliæ deorsum deflectentes, ad vertebra, & costas declinant. Et ex sinistris quidem una prope claviculas. Ex dextris vero ad quemdam ipsarum locum. Alia vero utrinque deflexa. Alia paulo inferius deflexa, ubi quidem illa deficit, costis se ingerit, donec ad venam in ipsum cor accesserit, ad sinistras deflexa. Infra autem decurvata ad vertebras descendit, donec perveniat, & inde incipit elevari, ingerens se costis reliquis omnibus, hinc atque hinc singulis ramulos præbens, quum sit una, a corde quidem ad locum quemdam a sinistris magis procedens. Deinde infra arteriam, donec consumpta fuerit, & venerit eo, unde hepatitis sublevata est. Priusquam autem eo venit, circa extremas duas costas divisa est, & partim ab hac, partim ab illa vertebrarum parte progressa consumitur. Quæ vero recta a corde ad claviculam tendit, supra arteriam est, & ab hac, velut etiam juxta lumbos infra arteriam, ad hepar insilit, partim in portas, & pinnas, partim in reliquum deinceps procedit paulo infra septum transversum. Septum autem transversum adhæret hepati, neque facile est ipsum separare.

Duplices porro venæ a claviculis, alteræ hinc, alteræ illhinc, sub pectus ad pectinem procedunt,

dunt, quo vero hinc, nondum ſcio. At ſeptum tranſverſum infra juxta vertebram, quæ eſt infra coſtas, qua renes ex arteria ea parte conſurgunt. Verum arteriæ ex ipſo rene oriuntur, hinc atque hinc ab arteria nervum habentes. Atque hac parte alicubi in recurrente a corde Hepatitis deſinit. Ceterum ab hepatitide per ſeptum tranſverſum maximæ duæ, altera hinc, altera iſthinc, ſublimes feruntur, multifidæque per ſeptum ſunt, & circa ipſum conſiſtunt in ſuperna parte, atque hæ magis ſunt conſpicuæ.

Duo vero nervi a cerebro ſub os magni verticuli, ex ſupernis & ad gulam magis, ab utraque arteriæ parte deſcendunt, & uterque in ſe ipſum incidens, uni ſimilis, ubi vertebræ, & ſeptum ſunt, ibi deſinunt, & quidam ambigui, ex hac ſocietate ad hepar, & ſplenem ipſos tendere putaverunt. Alius nervus ab utraque verticulorum parte juxta claviculam ad ſpinam procedit ex obliquo vertebrarum, & ad coſtas diſtribuitur, & quemadmodum venæ, ſic hi per ſeptum ad meſenterium mihi tendere videntur. Ubi autem hæ deficiunt, rurſus hinc, ubi ſeptum exoritur, ab eo cohærentes, ac continui exſiſtentes, juxta medium infra arteriam, deinceps ad vertebras diſtribuuntur, quemadmodum venæ; donec ad ſacrum os progreſſi conſumuntur.

In Aeno ex aſſiduo leguminum eſu, feminæ, & maſculi, crurum impotentes facti ſunt, ac vitam degerunt. Sed & his, qui ervo veſcuntur, genua dolent. Diligentia adhibenda eſt, ut excandeſcentia inducatur, & coloris reparandi, & ſanguinis in vaſa ſubter cuticulam colligendi gratia, itemque lætitia, & timor, & hujuſmodi, & ſi quidem reliquum corpus ſimul ægrotarit, ſimul curare; ſin minus, ſatis eſt.

Stymargi famula Idumæa erat, quæ ubi filiam peperisset, conversum est ei uteri osculum, & dolor ad coxam, & crus. Juxta malleolum secta vena, liberata est, & quidem quum etiam tremores totum corpus detinerent. Verum ad caussam devenire oportet, & ad caussæ principium.

SECTIO V.

Naturæ Indiciorum Notio.

QUicumque fulvi, naso acuto, oculis parvis, mali. Quicumque fulvi, simi, oculis magnis, boni. Hydropici ravos oculos habent, & calvi sunt. Vocis gracilitatem solvit varix ad sinistrum, & dextrum testem, absque horum altero fieri non potest, ut solvatur. Magni, calvi, balbi, gracili voce præditi, boni. Morbos autem habent, balbus, aut calvus, aut gracili voce præditus, aut hirsutus, fortiter atrabiliarios.

Qui lingua offendunt, & labiorum non sunt potentes, eos necesse est, dum illa solvuntur, suppuratos fieri. Dolorem in locis infernis fortem surditas solvit, itemque sanguis multus ex naribus erumpens. Insania magni morbi ex more fientis solutio.

Si puerperis convulsio fiat, febrem excitato, & cerato multo tepido in vesicam immisso, ac per clysterem infuso colluito. Si capitis os confractum fuerit, lac, & vinum, admixta aquæ pari mensura, bibenda dato. Si vero ulcus fuerit, internas venas secato, si non febricitet.

Si autem desipiat, caput irrigato, si non præcordia fuerint elevata. Si caput doluerit, ad pe-

ctus descendit, deinde ad præcordia, postea ad coxam. Omnia vero ut doleant, fieri non potest.

Ventositatem flatuosam venæ sectione, fluxionem pharmaco illito sistito. Fluxus enim ex vena magna est. Si vero sua sponte multum fluat, jejunet, aut aquæ partes duas, lactis quatuor bibat.

Infecundas fomentis, ac medicamentis curato. Quicumque derepente voce destituuntur, si sine febre fuerint, ipsis venam secato. Pituitæ fluxiones ex mammis trahunt oculi, & eructant per nares ad pulmonem.

Quibus tussis sicca est, his non solvitur, nisi dolor fortis ad coxas, aut ad crura, aut ad testem irruat. Si hydropicum tussis corripiat, si quidem statim animo linquatur, calidis omnibus utatur; sin minus, inebriato, ac cibis ipsum impleto. Venas autem internas secato, dum morbus magnus in intentione est. Solutio coxarum doloris, oculorum distortiones, cæcitas, testium tumoris, mammarum elevatio. Si febre tenente, partes circa faciem graciles fuerint, in die impari, sequenti die solvetur. Hydropicus si tumorem in cruribus habens, tussiat, malum. Si auris doleat, lacte utatur. Si non in die impari febris dimittat, recidivare necesse est. Cui vena in cubito pulsarit, insanus, & iracundus est, cui vero quieverit, stupidus. Vulnus si sanguinem fundat, ulcus ne madefacito, verum caput calida rigato. Si os ventriculi doleat, panem calidum cum vino meraco exhibeto.

Vomitus solutio: aquam calidam bibendam dato, & vomat. Quæcumque corrupta torpescunt, evulsa vena ulcerato, ac sanato. In convulsione digitorum manus citra febrem, venam secato, si non caput doleat; sin minus, aquam calidam affundito. Ad oculos. Spodii partem duodecimam,

croci quintam, nuclei olivæ unam, cerufæ unam, myrrhæ unam. Aquam frigidam fuper caput fundito, & allia cum maza edenda dato. Varices calvorum, fi non magni fuerint, furiofi funt. Ad vitiliginem, & lepram. Calcem in aqua adhibeto, ut ne exulceres. Secundarum purgatio, fi non difcedant. Sternutatorium ad nares apponito, ut fternutet, & fternutantis nares, ac os apprehendito.

SECTIO VI.

Naturæ Indiciorum Notio.

CAput magnum, oculi parvi, balbi, iracundi funt. Qui longæ vitæ funt, plures dentes habent. Balbi; celeri lingua præditi, atræ bilis humori obnoxii, biliofique funt, oculis non nictantes, iracundi. Magnum caput, oculi nigri, & magni, nafum craffum, & fimum habentes, boni. Oculi ravi magni, caput magnum, cervix tenuis, pectora angufta, congrue adaptati hominis funt. Caput parvum habens, neque balbus effe poterit, neque calvus, nifi fuerit glaucus.

In convulfionibus fi vox in die impari folvitur, à magno morbo liberat. Puerperæ febricitanti, & dolenti, aquam affundito, & ptifanam craffam ter in die calidam dato. Puer nutritur feptimo menfe, aut nono, aut decimo, & voce firmatur, & robur fequitur, & manibus validus fit: dum vox folvitur, omnia folvuntur. Solutio enim fimilis eft voci. Solvitur autem in die impari.

Si venæ pulfaverint in manibus, & facies fana, ac robufta fuerit, & præcordia non fuerint mollia, diuturnus fit morbus, qui fine convulfione

non ſolvitur, aut ſanguinis multi ex naribus eruptione, aut dolore ad coxas. In gutturis dolore aquam calidam ſuper caput fundito, ſi non frigus fuerit; ſin minus, farinam quam calidiſſimam dato, & vinum meracum. In turbatione ventris fabas coctas dato, ſi non ſupernæ partes abunde fuerint bilioſæ. Aut cuminum cum fabis edendum dato.

At interceptio morbi fieri non poterit, niſi in die impari. Neque principium fieri poterit, niſi in die pari, itemque menſe, ac anno pari. Nitrum autem Ægyptium, & coriandrum, ac cuminum cum oleo terito, & ventri illinito.

Qui moriuntur, eos neceſſe eſt die impari, & menſe impari, & anno impari mori. Bonum autem fuerit prædicere mortem, aut dolores fortes. Quorum oculi robuſti non ſunt, his mors brevi imminet. Si vero in impari anno fiat, ab utriſque impares fieri neceſſe eſt. Si autem in anno pari, & die pari, neceſſarium eſt in impari die mori. Ex numero tertia fortiſſima eſt.

Anginam, & lippitudinem venæ ſectio. Vulnerato inteſtino, reſpiratio prodit inferne inconſpicua juxta vulnus, & evacuantur pectora. Dato igitur lac, & vinum, pari aquæ menſura admixta.

Quorum pectora bilem generant, balbi, furioſi, & calvi ſunt. Quicumque horum ex nativitate etiam ſtrabones, hi imprudentes ſunt, aut calculoſi, aut inſanientes. Quibus autem non, alterius mali ſolutio fit. Circa naturam plurimam vim habet mamma dextera, oculus dexter, & quæ infra ſunt hac parte. Nam & maſculi dextris inhærent.

Mulieribus menſes ut ſiſtas, cucurbitam maximam ad mammam affigas. Trimeſtris puer omnia

præ ſe fert, & lac tunc habet. Si multum fluat lac, neceſſe eſt fetum debilem eſſe. Si ſolidiores fuerint mammæ, ſanior eſt fetus. Vena craſſa eſt in utraque mamma, quapropter maximam habent prudentiæ partem.

Urinæ ſtillicidium ſolvit venæ ſectio. Si superni loci turgent; qui ſunt circa caput, ulcerum purgatio, vomitus, hydrops. A ventris turbatione, aut a tuſſi, ſi cancer fiat, os amareſcit. Dato autem elaterium bibendum bis, aut ter, ſi non balbus fuerit. Deligare vero oportet florem æris uſtum, donec fulvus evaſerit, & ſpongiam, ſi non balbus fuerit.

In anxietate, horrore, oſcitatione, dato vinum, pari aquæ menſura admixta, & lac. Ad auris dolorem cucurbitam affigito. Quicquid ſupernarum partium doluerit, dolor ad coxas, aut ad genua, & anhelatio fiens, omnia hæc ſolvit. In volvulo molli frigidum vinum multum meracum pro ratione dato, donec ſomnus, aut crurum dolor fiat. Solvit autem & febris, & dyſenteria citra dolorem. Si præcordia diſtenta fuerint, manu comprimito, ac lavato. Ad paronychiam unguium abſceſſum, galla nigra cum melle. Aqua ſecedente, lactis heminas octo bibendas dato. Si vero vomat, & non bibat, allii, aut ceparum intritum dato.

Ut mulier in utero concipiat, polypos parvos ſuper flamma calidiſſima affatos, & fere ſemiambuſtos, edendos dato. Et nitrum Ægyptium tritum, coriandrumque, ac cuminum in paſtillos efformato, in pudendumque ſubdito.

Si ex crapula caput doleat, vini meraci heminam bibat. Si vero aliter caput doleat, panem quam calidiſſimum cum vino meraco edat. Si hominem calor corripiat non a bile, neque a pi-

tuita, ſed aut a laſſitudine, aut alias febriat, aquam multam calefacito, deinde ea ſuperinfuſa caput rigato, donec pedes ſudarint, & farinam craſſiſſimam coquito. Poſtquam autem pedes ſudarint, farinam plurimam, & calidiſſimam edens, ac vinum meracum inſuper bibens, veſtimentis contectus facile quieſcat. Aut narciſſi duo, aut tria, capita in cœna edat. Qui inſania corripietur, ei hoc ſignum præſagit, ſanguis colligitur ipſi ad mammas.

HIPPOCRATIS

LIBER IV.

DE MORBIS POPULARIBUS

PRÆFATIO.

Iste omnium mihi viſus eſt minimi momenti, qui de popularibus inſcribuntur. Miſta omnia & confuſa. Hiſtoriæ morborum imperfectæ, aphoriſmi non ſatis veri.

Intercedunt alia, quæ poſſint aut HIPPOCRATIS *eſſe, aut ex* HIPPOCRATICIS *exſcripta.*

GALENUS *ad collectanea* HIPPOCRATIS *refert, abſque caſtigatione a* THESSALO *edita, neque diſplicet judicium. Multa etiam ubique anni tempeſtatum & cæli memoria. Cum tamen Cynici mentio fiat, qui auctorem ad ægrum deduxerit,*

& cum DIOGENES *multis annis* HIPPOCRATE *sit recentior, serioris videtur ævi partus esse, quando secta cynica nunc convaluerat.*

POst æquinoctium, & post plejada, qualia sunt erodentia, & mucosa, quæ caput aperuerunt, supra aurem prodierunt. Ei, qui apud Leocydis ædes habitabat, in pede. Phanodico digiti in pede, in pectore. Qui tibiam sectus est, hac parte etiam nigrefactus est. Erat ulcus magnum in externa tibiæ parte, & retro prodibat. Quum purum factum esset, lateris dolor, & pectoris sinistri e directo, & febres. Mortuus est a febre. Biliosum restiario abunde coloratum. Et ustoria adhibenti circa æquinoctium, sanguis multus deorsum prodiit. Seni valde vehementer abscessit, non ultra quatuordecim dies. Vulnerato ab Antiphilo, usto, judicatio facta est die septima, bilioso, stupido. Tertia post judicationem sanguinem spuit, superstes manebat, & recidiva facta est postea. Judicatus est, velut par erat, circa plejadum occasum primum. Post plejadum autem occasum biliosus ad insaniam usque, judicatio facta est, supervixit circa nonam diem absque sudore. Circa æquinoctium Chalcidonius a portis delatus ad forum, ex ruptione circa mammam dextram dolens, spuebat alias atque alias pallens subviride. Venter egerebat. Sudor auspicatus septima, tenuit plerumque usque ad octavam, judicatus est decimaquarta. Circa quadragesimam tubercula exorta ipsi circa utrasque aures, haud immerito putabatur suppuratus fore, non factum est. Pectus Aristodemo ustum est.

Philidis filio, quum abscessus factus esset ex ca-

fu, & ipfi pectus uftum eft. Erat autem dolor quidam etiam antea, poft æquinoctium autumnale recidivæ, & alias ufque ad folftitium hyemale, & cum fole æftivo. Acheloi uxor fexta die abortivit, quum effet fanguinea, & horrida, & fudores. Judicatio facta eft decimaquarta, quot menfium fuerit fetus, haud fcio. Mafculum autem etiam alium ad dies viginti fe abortiviffe dixit, an vera dixerit, non fcio. Circa folftitium hybernum aquilonares venti erant.

Morbo regio corripiebantur abunde colorati, & partim horridi, partim non. Linguæ combuftæ tertia die. Et turbationes circa fextam, & feptimam, atque hæ diu durantes. Decimaquarta ventres refiftentes, & in medicationibus non obedientes. Pro ratione febrium etiam nulli fudores.

Splenes quibusdam parvi, ad præcordia dextra extenti, & ad manum, fubmurmurantes. Sanguinis fluxiones, & urinis purgatio, ac judicatio. Multo autem magis infra nitebantur. Nam & hoc fub illud tempus corripiebat. Quibus non fic erat, fplenes vero etiam elevati, his fanguis ex finiftra nare. Solftitium prætererat, hyberna hyberno modo in aquilonaribus, paulo vero poft auftrina erant, ad quindecim dies. Poftea vero nives quatuordecim diebus. Circa hanc anni conftitutionem, morbi regii abunde colorati vigebant, & non fincere judicabantur, recidivabant. Poft nives, auftrina fuccedebant, & pluviæ, gravedines eruperunt & cum febribus, & fine febribus. Cuidam vero etiam ad dentes, qui antea ex medio doluerat; ad dextra, fupercilium, & oculos. Erant autem, & raucofi, & fauces inflammatæ, & glandulæ ifthic fpongiæ appellatæ intumefcebant, & tubercula circa aures, & maxillam mollia, & cum febre fedabantur. Incipientibus

febricitare fiebant ſuperne, & in utrasque partes pleraque horum, & ſpongiæ quibusdam ſub autumnum, & hyemem. Sed & porrigines. Et multæ omnibus modis abortiebant, & difficulter pariebant. Sexta die virgini judicata, ſexta reverterunt, judicata vero ſunt per ſextam. Omnia in his temporibus ſexta, & octava judicabantur, circa plejadum occaſus. Meandri cæci uxor ſtatim cum pallore viride, & ſtatim purulentum ſpuit circa ſextam, & hepatis fervor, & deorſum ſeceſſus modicus, carno purulenta ſurſum pauca, alba, lata exſpuebat, cibum faſtidiens. Mortua eſt prope vigeſimam diem. Ex vicinis Theſtoris famula, ex uſtoriis: ſeceſſu bilioſo, multo, præcordio intenſo. Sexta die ex ſuppreſſione alvus ipſi tenuia, multa, una vice egeſſit, & ſtatim ſudavit, & judicata eſt, & alvus ſubſtitit, eadem autem hora, quum riguiſſet, febricitavit, & rurſus eadem hora. Therſandri uxor, quum pituita alba prædita non valde eſſet, lactans acuta febre correpta eſt. Huic lingua combuſta eſt, dum alia comburerentur, ſub hoc tempus, linguaque exaſperabatur, velut grandine multa. Et lumbrici per os. Circa vigeſimam autem non perfecte judicata eſt.

Circa plejadum occaſus Metrophanti filius, caput percuſſus ab alio puero, per teſtam, quum perveniſſet ad duodecimam diem, febricitavit. Occaſio autem erat, quod quum detergeret partes circa ulcus, perfricuit, & perfrigeratus eſt, & labia ſtatim ſunt elevata. Adtenuata eſt autem cutis multis locis ulterius ab ulcere, quum autem ſectus eſſet tarde, neque pus effluxit, neque levatus eſt. Juxta aurem vero videbatur ſuppurari, in maxilla ad dextram. Hac enim parte etiam ulcus erat. Poſtea & hoc non ſuppuratum eſt, &

humerus dexter ſuppuratus eſt cito. Mortuus eſt circa vigeſimam quartam.

Poſt plejadum occaſum is, qui aurem doluit, circa vigeſimam diem poſtea voce deſtitutus eſt, & dextrarum partium impotens, ſine febre ſudavit, dextra auris, dexter oculus, conſiſtebat non valde, & adtrahebat quid ex inferna parte. A ſiniſtris autem diſtortus eſt oculus graviter dolens, collum durum factum eſt, tertia hora poſteaquam doluit. Poſt plejadum occaſum, ſervus Attici a quartana correptus, ſtupidus ſedatus eſt. Alius eodem tempore vera ſtupida inſania, ex phreniti-de, ac lethargo mixta, correptus eſt. Ad coxas, & crura venit dolor, quievit, quoto die haud ſcio. Eodem tempore horridi, vomentes, & poſt judicationem cibum averſantes, & bilioſi, & ſplenes magni, duri, doloroſi, & ſanguinis eruptiones. Quibusdam vero eodem tempore, poſt plejadum occaſum, ex naribus ſanguis bilioſus ob ſplenes.

In Cranone uxorem Nicoſtrati correptam decimaquarta die, ſtatim occupavit impotentia colli, & aliarum partium, & cibus incluſus fuit uſque ad decimam. Spiritus denſus, parvus, impotentia, palpans digitis, delirans, ſudores, diſtracta ſunt ad dexteram partem collum, os, oculus, naſus.

Urinarum ſubſidentia alba, ervum referens, alia alba, alia ramentoſa, cum pallore ſubviridis, farinam lentium referens. Huic quandoque velut adipoſum quiddam ſuperſtabat, atque hoc acervatum, non multum diſperſum, velut quod in medio ipſarum pendere ſolet diſparatum, velut extrinſecus ex ovicula, poſtea vero etiam non ſubſidens mingebatur, & alia quidem talis erat, alia ſubſidens, alia talis modice ad latitudinem diſperſa, alia conturbata, alia talis. Quod in medio

vehi ſolet, nubeculæ ſubnigræ ſimile, quæ putaretur craſſitudinem habere. Laxum autem aliud tenue, aliud tenue tale, aliud velut equi, aliud velut ſunt caliginoſa. Qui primus delatus eſt adoleſcens, huic urina pura tenuis. Omnium ſeceſſus tenuis, multus, ſine bile, lingua valde aſpera. Febris adurens, inſomnis, alvus gibboſa. Hic mente motus eſt, octava arbitror die, protervum in modum, exſurgebat, pugnabat, turpia fortiter loquebatur, quum talis non eſſet. Huic quum urinæ multæ tenues prodiiſſent ex ſuppreſſione, ſomnus obortus eſt continuus, & ſudor, qui judicatorius eſſe putabatur, ex quo talis erat forte circa decimam diem. Verum poſtea rurſus inſaniit, & brevi mortuus eſt undecima die. Occaſionem fuiſſe puto, quod meracum multum bibiſſet, priuſquam inſaniret. Paucos habebat annos, propemodum viginti.

Eumenis uxor autumno vomuit bilem atram. Sed & odores manifeſti erant, & febres horridæ, & cordis, ſive oſculi ventris dolores, bilioſa pauca vomebat, & lumbricum. Seceſſus tenues per omne tempus. Ante plejadum occaſum deſinebant ſtatim ſanguinis eruptiones, & breviores erant febres, ac ſtatim revertentes brevibus recidivis, & cibum averſantes, & velut excocti, & anxii, & cor dolentes, & ferini in judicationibus, & rigore adfecti, & bilioſi.

Adoleſcens peregrinus erat, cui tertia die ſanguis ex naribus multus fluxit, itemque quarta, ac quinta. Sexta compoſite conſiſtebat, mente motus eſt. Septima die alvus ſubſtitit, ſoporoſus erat. Recidiva tertia die, alvus eniti ceſſavit. Urinam non vidi. Circa judicationem velut debebat. At vero circa plejadum occaſum auſtrina, & pluviæ erant, & tunc adoleſcens mucoſa, ſubbilioſa,

viſcoſa, multa recrementa egerebat, febris vehemens continua, lingua arida. Sexta judicatus eſt. Septima rurſus invaſit, dimiſit eadem die cum tremore.

Auris ſiniſtræ fluxio viſcoſa, craſſa, die ſexta. Puero ab ulcere phagedæna eroſo, dentes inferni, & ex ſupernis, ac infernis anteriores emergebant, cavitatem habebant. Quibus os ex palato diſcedit, his medius conſidet naſus. Quibus vero ſuperni dentes anteriores, his latus eſt ſummus naſus. Qui quintus dens ab anterioribus numeratur, quatuor radices habet, ſingulis paribus ad utrumque vicinum dentem connexis, extremitatibus omnibus ad internam partem reflexis. Circa tertium dentem ſuppurationes plures, quam juxta alios omnes. Et ex naribus fluxiones craſſæ, & a temporibus dolores ex hoc maxime fiunt. Corroditur hic, maxime quintus, ex medio quidem nodum habebat unum, duos autem anterius. Parvus primus intrinſecus juxta duos corrodebatur. Septimus radicem unam craſſam, acutam habebat.

Athenadæ puero maſculo doluit a ſiniſtra parte infernus dens, a dextra ſupernus. Hujus auris dextra ſuppurata eſt, dum non amplius doleret. Poſt plejada clemens cælum, nubiloſum, & caligines, judicationes quintanæ, & ſextanæ, ac ſeptimanæ. Jam vero etiam diuturniores, febres recidivantes, & quandoque erroneæ, & cibum averſantes, & bilioſæ, & dyſenteriæ cibum faſtidientes, febriculoſæ. Circa plejadum occaſum, auſtrina fortiter erant, ſanguinis eruptiones, & febres tertianæ naturam referentes, & lenes. Qui in ſutrina decumbebat, ſanguinem abunde bilioſum e naribus effudit. Seceſſus modicus, judicatus eſt ſeptima cum rigore. Servus in extrema

caupona quarta die ſanguinem e naribus effudit, multa ſtatim nugabatur, alvus renitebatur. Præcordium doloroſum, durum. Ad ſubditam glandem ſexta die ſubierunt mala, cum pallore viridia. Septima mane jactatio, clamor multus, venarum pulſationes circa umbilicum. In acutiſſimis febribus pulſus denſiſſimi, & maximi. Quale eſt ad veſperam exacerbari, tale erat in omni morbo.

Cæterum ad principia conſiderandæ ſunt etiam exacerbationes, & an citius redeant, & continuitas, & anni tempus. Poſt plejadum occaſum, auſtrina. Quæ quinta die judicabantur, intermiſſa una repetebant. At vero laxa puſtuloſa erant, velut Acanthio Lapyto. Circa plejadum occaſum ſubſcabra, & aſpera erant pruriginoſa, nullas lachrymas emittentia, & magis quidem hoc tempore. Sed & impetiginoſa turgentia. Hæc erant in Pythodori uxore & Capelio, cum febre, ſub cujus initium fere Pythodori uxori coxæ impotentes. Poſt plejadum occaſum horrores, ſanguinis e naribus eruptiones. Sutor quidam ſeptima judicatus eſt, una intermiſſa, altera rediit. Rurſus quarta judicatus eſt. Alius ex his, qui a Leocyde venerant, ſeptima judicatus eſt. Alius quarta. Moſchus nona. Largus ſanguis ex ſiniſtra, modicus e dextra nare. Ad decimam quartam ad judicationem, ſi quatenus debebant ab initio exacerbarentur. Delinquentes circa edulia decimam ſeptimam fiebant. Circa aurem in dextra parte tuberculum parvum, intus durum, foris parvum laxum, doloroſum, nihil remittens, decima nona noctu factum eſt.

Valde bilioſis ſuppuratis, purgatio ſepiæ atramento maxime ſimilis. Qui cucurbitam affixit, quum in coxa eſſet dolor, huic ad crus deorſum venit, & melius habuit. Qui in Ceramico ab

equo lapſus eſt, cui non ſtatim cucurbita affixa eſt; uſtus eſt intro, & vigeſima die recruduit malum, ſanguinis eruptiones fæculentæ, & erodentes.

Tenedia quarta die abortivit maſculum triginta dierum. Alvus liquida, tenuia egeſſit, lingua combuſta fuit, judicatio quarta die. Poſt plejadum occaſum lienoſa, uſque ad quintum diem fluebant, judicata ſunt. Cuidam ſeptima die urina velut ervi lotura, ſimilis ipſa ſibi ipſi, poſtea pura recidiva. Intermiſit etiam Megaris filio, verum ſanguis non fluxit. Urina velut Antigenis alba, craſſa, ſimilis. Circa ſolſtitium hybernum, ſidus non parvum, quinta, & ſexta poſtea terræ motus. Quæ in Perintho morabatur anheloſa, Antigenis uxor, quæ non ſciebat, an prægnans eſſet, menſes comparentes rubri. Venter alias atque alias parvus, alias magnus. Tuſſiens ſemper, velut ſi celerius iter perfeciſſet. Menſis erat octavus, ſedata eſt prius febricitans.

Apemanti fratris uxor ſeptima die abortivit femellam, velut dixit ſexaginta dierum. Circa nonam turbata eſt, poſt judicationem dextras partes dolebat, velut a recidiva. Hæc & concipiebat cito, & perdebat. Alia quædam in albis menſibus filiam peperit. Alia in rubris, velut conveniebat. Horridi, anxii, cibum averſantes, recidivantes, bilioſi, ſanguine manantes, ſubſplenici, doloroſo modo plurimi ex ſiniſtris affecti. Apemanti uxori hac parte oculus diſtortus eſt dexter, ad alteram vero partem lateris mollitudo.

Ariſtophontis filia tertia, & quinta febricitavit, ſicca plerumque perſeveravit. Venter tamen huic turbatus, ægre judicatio fiebat, ultra triginta dies ceſſavit. Puſtulæ ex laſſitudinibus non valde fortibus, perveniunt ad ſeptimam lividæ. Rigor an-

cillæ retro Heroum obortus eſt. At vero albæ magnæ, neque ipſæ valde bonæ, gravi ſopore preſſorum, & ſomnolentorum, & non conſidentium, & bile renitente, & ſive lubrica, ſive dura fuerit alvus, non conſidentes. Zoili fabri pulſus tremuli tardi. Urina, & alvi ſeceſſus moderate decolor, pectinis diſtentio utrinque in directum, uſque ad umbilicum, cum febre acuta; cibum averſans, ſiticuloſus.

Filiæ ædilis apud Tecomæum, quum obſcurum eſſet ipſi, quod uterum geſtaret, ſecundi menſis initio erupit vomitus pituitoſus, aliquando vero bilioſus, difficulter peperit, perfecte purgata eſt. Vomitus ſimiliter uſque ad trigeſimam diem perſeveravit, poſtea venter turbatus eſt, & vomitus ceſſavit. Lienteria. Menſes non prodibant per duos annos, hyeme habuit hæmorrhoidas. Duos fratres Cecropis familiares, quibus nigra ab initio prodibant, ſubfeculenta, edulia ex ſanguine confecta colore referentia, ea ex ſpumoſis bile abunde coloratis viridia erant. Qui aſinum ex pacto elevavit, ſtatim febricitavit. Tertia, & quarta, & quinta, & ſeptima, & octava ſanguis erupit, judicatus eſt, alvus lubrica. Vir metallicus: præcordium dextrum intentum, ſplen magnus, alvus intenta, ſubdura, ſpirituoſus, decolor. Huic ad genu ſiniſtrum, recidiva, per totum judicatus eſt.

Temenæ filius habebat quid ſpiritus, ut viridantis palloris eſſet, ad dorſum, ad manus viridantis palloris. Maritus Lechus puerperæ apud Sitodochum, arquato morbo infeſtatus, ad quem ſeptima die ingreſſus ſum, octava moriebatur, neque mingens, neque egerens. Præcordia magna, & dura, & ſpiritus denſus. Hic moriens ne frontem quidem ſudore humectavit præ dolore. Hujus uxor ejecit femellam ſeptimeſtrem, ſeptima die.

die. Apparuit autem quarta die. Hanc a principio quidem pedum dolor tenebat. Desinente vero febre, spiritus non est solutus, sed intus relictus, dolor ad manus, & brachium.

Recidiva per longissimum tempus corripuit eos, quibus urinæ ante judicationem suppressæ fuerant. Quæ erat apud Temenen ipsius soror, cum rigore judicata est. Quum autem viridans pallor cito desineret, manus, & humeri doluerunt, horum autem cessante dolore, caput, oculorum palpebræ supernæ elevatæ sunt, & lachrymæ profluebant, reliqua non novi. Judicata est primum septima die. Menandri vinitor similiter, verum alvus ab initio tenuia egerebat, postea suppressa est, itemque urina judicata est, non riguit, septima die, quoniam alvus antea turbata fuit. Potamonis filio alvus non egerebat septima die, duobus diebus ante judicationem non riguit, quapropter neque urina supprimebatur.

Dens Hegesistratio, cui suppuratio, juxta oculum, suppuratus est juxta extremum, & rursus sanatus est oculus, & secundum nares pus descendit crassum. Juxta gingivam carunculæ parvæ rotundæ abscesserunt. Huic circa tertiam diem suppuratio adfutura putabatur, postea avertebatur. Derepente vero intumuit maxilla, & oculi.

Quibus abscessus ad oculos in febribus ardentibus, hi maxillas rubent, & sanguinem ex naribus fundunt. Sed & quibus ad aures fiunt. Fortassis autem & abscessus ad articulos magis, non tamen clare novi. Rigores tremulis, præcordii intentio. Menses apparuerunt decima septima, judicatio fiebat ita perpetuo. Si tamen non sic intus permansissent, judicabantur tertia, quædam quinta, quædam septima. Hegesistratio postremi duo dentes parte inter se contigua corrodebantur,

poſtremus habebat ſuper gingivam duos nodos, unum juxta cavernam, alterum ex altera parte. Qua vero parte duo nodi erant, ibi radices latæ ſimiles ſingulis paribus concidebant, ad alteram partem medietas una rotunda. Mulier, cui ſanguis e naribus erupit quarta, & ſexta, ſeptima judicata eſt: rubicunda erat.

Mulieri ex capite fortiter gravatæ, judicatio facta eſt circa vigeſimam. Vigeſima præcordia æſtuoſa. Septima die non valde ſanguis e naribus erupit. Seceſſus tenues ad oculum dextrum circa octavam. Viro eadem, verum ſeptima judicatus eſt. Sublienoſus e ſiniſtra parte. Huic octogeſima die, & diuturniores oculi affectiones, fortaſſis quoniam poſt judicationem, & quia multæ.

Uxor Temenæ ſpirituoſa præcordia, & intenta. Menſes per tempus apparuerunt. An vero etiam prægnans fuerit, haud ſcio, alvus primum ſuppreſſa, & tunc vomebat, poſtea non amplius, alvus enim multa viſcoſa, ac bilioſa egerebat, præcordium non impediebat. Undecima ad magnum dextræ digitum inflammatio, alvi egeſtio etiam penitus procedebat. Quibus contingentibus, melius habebat. Nam & in ſomnum delatio minor erat, & febris, & quodammodo facilius ſpirabat, quoniam ſupra malum vomitum, vomuerat. Decimaſexta ſenſim factus eſt ſpiritus denſus, & febris, mortua eſt. Hæc febricitavit ante abſceſſum. Septima poſt abſceſſum periit. Erat & hæc rubicunda.

Filius mulieris ipſius Apemanti ſororis, præcordia magna, & ſplen, ſpiritus, ſeceſſus amaræ bilis, aliquantulo ſtercore ammixto, laſſus ex operibus. Vigeſima die ad pedes, & judicatio certe laſſis ad articulos, non ad oculum, præcordia vero erant intenta, & ſane erat etiam tuſſicula quædam modice ſicca.

Quæ relinquuntur post judicationem, recidivam faciunt, & in ipsis morbis, quæ excernuntur, sputum præmaturum, alvi secessus, intemperies, & similia. Apemantus, cui dolores in sede, in dextri lateris mollitudine, & juxta umbilicum paulo inferius, & e dextra parte, ante dolorem urinam cruentam mingebat, desiit tertia die. Et faber in altera parte, ex eadem in directum, & hic quoque urinam cruentam ejiciebat. Quæ ubi cessasset, ambo subsidentias in urinis habebant, & hoc tertia die. Apemantus autem plurimum fovebatur. Alter vero non sentiebat, nisi in dextra parte. Et Nicostrato accidit aliquid juxta ultimas partes a dextris, inferius quam quibus in sinistris, longe vero subter lateris mollitudinem, usque ad umbilicum utrisque.

Anicula apud Sosileum alba pituita referta. Tibiæ duris tumoribus, albis, laxis, itemque pedes, verum minus. Erant autem & in partibus infra femora, etiamsi plerisque difficilis huc exitus patet, immo & in lumbis, & venter tenuis erat, præcordia submollia, spirituosa non valde. Erat autem desinentibus plurimis etiam alia cura, ubi glauci facti erant oculi. Atque oculorum quidem cura paulo moderatior erat. Coxæ vero, ac cruris affectiones uterinæ erant, quum dolores esse putarentur. Apposito enim, ac subdititio medicamento odorato ex farina, & unguento, contigit, ut brevi discuterentur, ac desinerent. Tempus autem abscessus ad oculum, annus. Circumcirca durus fuit, cui etiam pustulæ non perfecte contabuerunt. Sunt autem & a disquamatis talia.

Servus in Hippolochi villa, cui in præcordiis utrinque quid collectum erat durum, & fulgorem aliquantulum habens inferne, qualis erat in fabri ferrarii uxore hydropica. Cui tenuia recrementa

progreſſa partem aliquam evacuaverunt. Erat autem & hoc ipſum ad dextrum, planum quiddam ſupra ea, quæ circumferentiam habent elevatum. Huic umbilicus ex nativitate denigratus erat, & ulcus profundum fiebat, & umbilicus non valde cicatricem contrahebat, & pudendum ſumma parte denudatum erat, quum non ſtatim tale fuiſſet, neque connatum, & adhuc magis fiebat. Hic plurimum vomebat, febris, cibi faſtidium, ſanatus eſt. Verum circa ſeptimam a decubitu diem (nam & antea ægrotarat) aquam multam bibens, & fortaſſis aliter contemnens, jactabatur, & aliquantulum convellebatur. Deſinente autem convulſione, citra animadverſionem extinctus eſt. Ante hoc vero urinam acervatam minxit, & flatus cum crepitu prodierunt, & ſupernæ partes minime ſunt evacuatæ. Quum autem mortuus eſſet, ſtatim etiam & illæ fortiter emollitæ ſunt, & reliquæ rubefactæ ſunt, velut a flagris per totum corpus, excepta ea parte, ubi tumor ille maxime elevatus erat, & multum quoque calidus erat. Cuidam vero in Abderis deorſum erupit. Cuidam autem anteriore parte intumeſcebat ſine febre. Tumor ad contactum ſuppurato ſimilis erat.

Famulæ anheloſæ, quum vaſa menſtruum ſanguinem funderent, anhelationes illæ ceſſabant, febris fiebat, mamma ſiniſtra ſuperne ſuppurata eſt, & ab initio etiam auris.

Olympiodori famulæ ſanguis ex ſiniſtra nare, & judicata eſt ad vigeſimam, quemadmodum etiam febricitantibus, & ſeceſſus quales etiam æſtate populariter graſſati ſunt, & quales Hipponactis.

Hyle famula Ariſtidis, octava die in pharmacorum purgatione, inferne ſigna habuit, qualia facile ſerunt, & ſi non præter rationem debilitantur, & neque ſpumoſa, neque ſubſanguinolenta, ſed qua-

lia ſunt ova, velut Heraclidæ uxor purgata eſt multum, & facile tulit.

Quæ in Bulagoræ villa depurgata erat, cœpit febricitare ex ſplene (Qui vero dextrum præcordium habent non quidem ſublime, verum intentum, hi etiam magis rubicundi fiunt): rubicunda quum eſſet, alvum in principio turbatam habuit: exſpectabam ad oculum decubitum. Huic ſeptima die ſalſuginoſa lachryma mordax ex oculis prodiit, & ſecundum naſum, & fauces, & aurem ſiniſtram. Decima quinta ſudavit cum rigore, non judicabatur ante rigorem, pallida facta eſt valde, & faciei circumtenſio, ac contractio. Aurem e directo ſplenis, ac lateris dolebat. Pueris ventres turbati, & tuſſes ſiccæ, quandoque ad humerum ſuppuratio fiebat in tuſſibus poſterioribus diebus.

Fulio collum, caput, ſeptima manus torpida. Nona crus torpidum, tuſſis ceſſavit. Cui maxilla diſtracta fuit, in quinto menſe in ventre diſtracta erat ad ſiniſtram partem. In Cranone Lycino Grammatico, ex febre bilioſa ex ſplene, capitis gravitas, ſtridebat ſecundum pulmonem, in labiis utriſque ulcera, intus rotunda, parva, poſtea etiam ſanguinis quid ex nare e directo manavit.

Famulæ, quam recens emptam vidi, cui durities in dextris erat magna, non valde doloroſa, & venter magnus, ac circumtenſus, non ſimilis hydropicæ, & alias pinguis, ac mollis, & non valde difficulter ſpirans, verum decolor. Menſes ſeptem annis non prodierant, facta eſt dyſenteria, & non teneſmo tentata. Et ſub hæc durities in dextra doloroſa erat, & febres tenues, & non ultra ſeptem dies etiam alvus turbata eſt, ſeceſſus electrum referens, ſubviſcoſus, multus ad aliquot dies. Sanata eſt, & menſes poſtea prodierunt,

& partes secundum ventrem molles fiebant, & corpus boni coloris, ac crassum ipsi erat.

Minois uxor ex sectione, pressa ab eam administrantibus durius, marcorem, ac corruptionem incidit, malo ad pulmonem deveniente, brevi significationem de se dedit, quotquot diebus supererat, erat & alius quiddam intrinsecus. Quæ induntur in nares si febricitarint, si quidem solutus fuerit dolor, crassa per nares effluunt. Si vero neque dolor, neque febris, tenuia, & fortassis fervida. Veluti tenue quidem Hegesippo, quum ad noctem quid indidisset. Crassum vero illi in Corintho eunucho simili, Celeuris filio erat.

Maturi in morbis abscessus an judicent, signum est, si dum fervida sunt mala, non febricitarint, & dum molesta sunt, facile portarint; velut quæ in sede acciderunt Charoni. Leambio vero, quum intestinum ulcerosum esse putaretur, in dysenteria pharmacis curato, humerus, & sedes ulcerata sunt in sinistra parte, citra febrem.

Cui a flatibus laterum mollitudo elevabatur, & aliquantulum dolebat, huic, quum lac uberius, & meracius bibisset, & insuper dormiisset, statim nausea, & calor accedebat. Deinde ignem incendenti, & pro cibis farinam crassiorem in craticula coctam comedenti, alvus substitit, & purulentum tamen quiddam egessit. Quum autem sedes esset inflammata, sine febre, & sine dolore sufficienter erat, hoc assero.

☞ Senex in lapideis vestibulis lumbos doluit, & ambo crura, & utrique dolores descendebant ad femora, & quandoque tibias, & aliquando ad genua, & quum diutissime durarent, recursiones multæ fiebant; tumor in pedibus, lumbis, tibia, breves inguinum tumores, venter durus, & totus pecten intensus, ac dolorosus. Plerumque

compertus eſt etiam veſicam duram habere, ac doloroſam, & papularum eruptiones, & calores oculis, auribus, naribus, manu. Judicationes, & alia, per quæ cognoſcimus de ipſo ægro, an ſudet, aut tangat, aut aliquid olfecerit, aut guſtaverit, itemque alia cognoſcuntur. Pili, color, cutis, venæ, nervi, muſculi, carnes, oſſa, medulla, cerebrum, & a ſanguine viſcera, & venter, bilis, alii humores, articuli, & poſtea an doluerit juxta aurem, juxta ipſam collectum tuberculum, glandulam non attingens, os non ſuppurans, & hoc diſparuit, & tunc ſtatim febricitavit. Pulſus, tremores, convulſiones, ſingultus, circumſpiratio, ſeceſſus, per quæ cognoſcimus.

Suppuratis oculis, & dum erumpunt, ulcera magna fiunt, & dum ſecantur, profunda, & utroque modo oculi ulcerantur. Ariſteas ex pago Amphilochi quarta die mente motus eſt, alvus ſubviridia egerebat, & ſomni ſalubres, albicantis coloris.

Quibuſdam ab initio ſubtremuli digiti, & labia ubi loquerentur, itidemque aliæ partes, & proterve lingua citiore, ac volubiliore præditi, his rubor in facie maxime erat. Hi ebrioſi erant, aut vomitu commode uſi intumeſcebant.

Qui juxta Medoſadæ ædes habitabat, cui tenuia, non bilioſa, aquoſa, multa per ſeceſſum prodibant, præcordium cedens, & gibboſum, ſoporoſus fiebat. Circa decimam quartam adjudicationem maxime progreſſo, rigor ſine tremore, diſſolutio, reſolutio, contractio, ſeceſſus, & egeſtiones: ſoporoſus, mente motus, ex ſomno non inſaniit, judicatus eſt circa decimam quartam, nihil e judicantibus contrarium. Alius ſimiliter in principiis ſeceſſus, ſubviſcoſi, ex quibus quod craſſum eſt, judicatorium eſt, inſomnis, poſtea ſubviſcoſi,

subbiliosi, maturi, biliosi, non tenues, qui ubi compacti fieri cœpissent, judicationes celeres. Præcordium intentum apparuit inflammati; aut venarum intentarum modo, circa sextam. Postea dormivit septima, judicatus est circa nonam, albicantis coloris ambo, non fulvi.

Quum secessus aquosi sub dio expositi essent, superne leves, tenues, isatidi valde similes fuerunt, inferne vero subsidentiam habebant. Quibus in dextris distentio submollis, phrenitici sunt, si non solvatur febre desinente. Quibus autem a mollitudine ventris in hac ipsa febre quiddam collectum, aut durum dolorosum fit, & valde malignum diffundi non potest, ex talibus fortassis suppurantur.

In dextris tumores elevati, si quidem si quis plurimum, ac maxime premat, submurmurarint, non valde maligni putandi sunt. Velut in dextris illi, qui ex Amphilochi pago erat, & ei, qui juxta Medosadæ ædes habitabat. Hi soporosi erant, & in somnis mente moti. Constitutiones quales, in quibus temporibus, ac regionibus magis, & minus fiunt. Vigores morborum, & ad judicationem, & quotidie, & an citius fiant, aut serius, tertia, quarta, circuitu, & in quibus circuitibus judicantia, tumentia, cruenta, & non.

Quibus abscessibus recidivæ fiant, venæ temporum, & contractiones, & colorum mutationes ante judicationes, ex rubro ad viridem, ac pallidum, si non judicent, & cutis circumtensiones absque judicatione, & oculorum contractio, corporis duritia sicca. Qui quidem volentes lachrymantur, non malum est. Quibus autem invitis, lachrymæ profluunt, malum. Quibus in dentibus circumcirca viscosa fiunt, malum est subhiare, ac fixis oculis intendere.

Qui in tibia ulcus habebat, & Attico usus est, huic pustulæ elevatæ, rubræ, magnæ, atque hoc pro tussi, quæ postea accessit, prius enim non tussiit. In Æno quicumque capite vulnerati horridi erant, maligni, & suppurati ex tenesmo, ex peregrinatione, ac itinere dolor pedum, & in turbationibus lassitudines. Clinia cibum aversans, colliquescens, purulentum, aliquando parum cruentum, purulentum tumidum ejecit. Hippeæ uxor hydropica, quæ etiam per tres annos vere incipiente tussiit, amplius autem suppurata est, ad hyemem aquosa facta est, ab illis autem pharmacis curata melius habuit. Mortua est ancilla.

Ex tussientibus qui manibus laborabant, velut servus ille, qui sarmenta obtorquebat, & Amyntæ filius, ambo sola dextra resoluti cessaverunt, quandoquidem perpessi sunt hoc tussientes. Qui vero aut equitarunt, aut iter fecerunt, in lumbis, ac femoribus resoluti sunt. Plurimæ vero tusses siccæ erant; sin minus, violentæ sane.

Uxor Emmyris modo non morboso, absque febre, stupida esse videbatur, postea ad tremorem totius corporis res ipsi devenit, & ad colliquationem, & cibi fastidium, ac sitim, & frigida erat. Nyctalopes, qui plurimam minxissent, postea parum quiddam mingebant. Verum tussientes, & insuper febrientes tubercula ad aures habebant, erumpentia circa septimam, aut octavam diem.

Emmyris filia febricitabat, & ex aure purulentum fluebat, circa octavam haud pro comperto habeo. Quibusdam vero etiam dens corrosus fuit, tertius maxime ex supernis. Præ omnibus autem hic reperitur corrosus, ad hanc dolor, & quibusdam etiam circumsuppuratio. Quibus vero ad aures, hi magis tussiebant, quam illi. Quibus autem cum febribus ad suppurationem, septima

recedit. Cuidam poſtquam exacerbatus fuit, præcordium ſolutum non eſt, alvo autem emollita, inerant pauca ſubviſcoſa, compacta, non bona urina cruenti coloris, ſpuebat autem ſputum ſpumoſum.

Ille, ad quem Cynicus me induxit, ſeptima exacerbatus eſt, circa decimam quartam judicatus eſt. Diſparentia, mala ſunt, purus fauces, pauca, lata, matura exſpuens, ex naribus parum ſanguinis ſtillavit, capite gravatus erat. Manuum, ac pedum diſſolutio, alvus ſoluta profuit. Pedes ſemper calidi, ſomni aderant ipſi, & juxta aurem non extuberabat, quoniam matura ſpuiſſet.

Demarati uxor, pedes etiam in horroribus calidi, ſive ad ſuppurationem, ſive non tendebat, periit. Senex, qui e vita deceſſit, ægrotabat ſimul cum uxore ſua, furioſum quiddam in ſe habebat. Poſtea vero ubi prodiiſſet ab ipſo lumbricus ſubcraſſus, & modicus cibus, ſtatim ſedatus, & dormivit, & ſanus erat hic ſenex, & corporis cutis circumtenſio, extremæ partes frigidæ, mollis, tremulus ab initio, & labiis, & manibus, & voce, mente motus eſt, moderate hiabat, ac fixis oculis intendebat, non valde difficulter ſpirabat, diebus haud ſcio quot ultra viginti mortuus eſt.

Quibusdam præcordia, & alvus ſubegeſſerunt compreſſa, acervatim, non cum murmuratione, velut in Abderis vermium ſpeciem præ ſe ferentia.

Quicquid contingit priore judicatorios dies præcedente die, & mala, & bona ſigna fiunt in diebus, quibus qui exacerbantur, diuturniores fiunt, & quibus deſinentes remorantur. Quædam non fideliter allevabant, & quædam per ſe ipſa exacerbantur.

Sputa peripneumonicis quibusdam linioſa, quum deſinere volunt. Valde flava brevia fiunt. Si qualia ſunt, quæ in principiis adſunt, talia poſtea ap-

parcant, hæc non valde concoqui puto, ſed judicare velut ei, qui apud præceptorem erat, & velut alias quoque vidi.

Nicippus in febribus per ſomnum ſemen effudit, & nihil ad pejus proceſſit, & hoc ipſum ſæpe ipſi factum eſt, & nihil læſit. Prædictum eſt ipſi id deſiturum, poſtquam febres judicatæ forent, & ſic factum eſt. Critias in febribus ab inſomniis vexabatur, quæ novimus, & ceſſavit etiam ipſe eadem ſomniare una cum judicatione.

Alcippus quum haberet hæmorrhoidas, a curatione prohibebatur. Curatus inſaniit, febre acuta ſuccedente ceſſavit. In febribus acutis ſiticuloſi, a medicis potu interdicto, aut etiam a ſe ipſis abſtinentes, multum ſibi bibere poſſe videntur, his aqua frigida data ut revomant, prodeſt. Bilioſa enim aderunt. Quod nervi ipſi in ſe ipſos trahunt, ſignum eſt. Si quidem enim nervi in ſupernis manus ſauciati fuerint, manus deorſum nutabit, dum ab infernis nervis trahitur. Si vero contra, vice verſa. Tuſſient ſiccam tuſſim, qui teſtes affectos habent, & ex tuſſi vena ſecta, ad teſtem ſolutio fit, & inflammati tuſſiunt, & in febribus ex inguinum tumoribus inſuper tuſſiunt.



HIPPOCRATIS
LIBER VI.
DE MORBIS POPULARIBUS.

PRÆFATIO.

Ejusdem fere saporis est qui paulo prior; & ex pugillaribus HIPPOCRATIS *a* THESSALO *exscriptus fuisse dicitur: a* GALENO *commentariis illustratus. Farrago est historiarum morborum, aphorismorum, prædictionum, sæpe ex aliis* HIPPOCRATIS *operibus desumtarum, sæpe limitatione egentium & semi verarum.* HERODICUS *ob suam curandi rationem carpitur. Etiam Physiologici aliqua argumenti intercedunt, & historia feminæ Abderitanæ, quæ in virum conversa fuerat, & quam Auctor frustra conatus sit curare.*

SECTIO I.

QUIBUSCUMQUE ex abortu circa uterum, & tumoribus ad capitis gravitatem convertitur, & juxta sinciput maxime dolores, & quicumque alii ab uteris; his in octo, aut decem, mensibus ad coxam morbus desinit. Acutum habentes caput, qui quidem validam habent cervicem, robusti sunt tum alias, tum ossibus. Qui

vero caput dolent, & aures fluentes habent; his palatum cavum est, & dentes inter se non e directo respondentes. Quibuscumque os de palato discessit, his medius considet nasus. Quibus vero inde unde dentes prodeunt, his summus nasus simus fit.

Puerorum elucescentiæ simul cum pubertate, in quibusdam mutationes habent etiam alias. In renem dolor gravis, quum implentur cibo, vomunt pituitam. Quum vero redundarint dolores, æruginosa, & melius quidem habent. Solvuntur autem, quum cibis evacuati fuerint, arenulæque fulvæ subsident, & cruentum mingunt, torpor femoris e directo, quiescere non conducit. Sed exercitia, non impleri, juvenes veratro purgare, poplitem secare, urinam cientibus purgare, attenuare, & mollire.

Menses aquosis diu permanent. Quum vero non brevi prodierint, intumescunt. In Cranone antiqui dolores frigidi, recentes autem calidi, ex sanguine vero plurimi, & quæ ex coxa, frigida sunt. Quæ ad rigores fortes progressa sunt, non valde mitigantur, nisi prope vigorem. Ante rigorem urinarum suppressiones, si ex bonis fuerint, & alvus egerat, & somni adsint, fortassis autem & febris modus, fortassis etiam quæ ex lassitudinibus. Abscessus non valde, quibus rigores.

Crurum effeminationes, veluti si aut ante morbum iter fecisset, aut statim ex morbo: eo quod fortassis ex lassitudinibus in articulos abscessit, ex quo crurum effeminationes. Tubercula extra extuberantia, & acuta, & fastigiata, & æqualiter maturescentia, & non obdura, & deorsum vergentia, & non bifida, meliora; contraria vero, mala, & quanto plus contraria, pessima.

Ferinum autumno, & oris ventriculi dolores, & horrores, & atra bilis. Circa initia exacerbationes confidera, & in omni morbo, quale eft ad vefperam exacerbari, & annus ad vefperam, & afcarides. Infantibus tufficula cum ventris turbatione, ac febre continua, fignificat poft judicationem bimeftri, in totum vigefima die, etiam tumores ad articulos. Si quidem infra umbilicum conftiterint, in infernis articulis fuperna, bonum; fi vero fupra, non fimiliter morbum folvunt, nifi fuppurata fuerint. Quæ vero in humeris fuppurantur tantillis, muftelæ cubito præditos, parvumque, ac macilentum brachium habentes faciunt. Solverit autem & ulcufculorum inferne eruptio, fi non rotunda, & profunda fuerint. Talia enim perniciofa etiam alias funt pueris. Solverit itidem fanguis fluens. Magis autem in perfectioribus is apparet.

Lachrymæ in acutis male habentibus, ultroneæ quidem bonæ; involuntariæ vero defluentes, malæ. Quibus circumtenditur palpebra, malum. Malus eft etiam oculus inarefcens, velut fpuma, & obfcuratio oculorum mala eft. Et fqualliditas mala, & cui intrinfecus corrugantur, & rigentes, & qui vix convertuntur, & qui intus converfi funt, & quæcumque alia omittuntur. Febres aliæ quidem mordaces funt manui, aliæ lenes. Aliæ vero non quidem mordaces, verum augefcentes. Aliæ autem acutæ quidem, fed quæ a manu vincantur. Aliæ ftatim adurentes, aliæ femper debiles, ficcæ. Aliæ falfuginofæ. Aliæ inflatæ, horrendi adfpectus. Aliæ ad manum humectæ. Aliæ rubicundæ valde. Aliæ valde pallidæ. Aliæ lividæ, & alia id genus. Diftentiones corporis, & articulorum duritiæ, malum. Et ipfe diffolutus. Et confractiones articulorum, malum. Oculi au-

dacia delirii ſignum eſt, & oculorum dejectiones, ac perverſiones, malum.

SECTIO II.

Dilatare, conſtringere, alia quidem, alia vero non. Humores alios quidem expellere, alios vero ſiccare, alios autem indere, & alia quidem parte, alia vero non. Adtenuare, craſſefacere, corpus, cutem, carnes, & alia, & aliqua quidem, aliqua vero non. Levigare, exaſperare, indurare, mollire, alia quidem, alia non. Excitare, torpefácere, & quæcumque alia hujuſcemodi. Derivare, ſubcedentia ſtatim revellere, renitentibus concedere. Alium humorem non prodeuntem ducere, prodeuntem vero ſimul effundere, operari ſimile, velut dolor dolorem ſedat. Diſſimilia, ſi vergant ſurſum elevata, inferne ſolvere, & contraria per eadem, velut eſt capitis purgatio, venæ ſectio, quando non temere detrahitur. Abſceſſus velut glandularum tumores, ſignum quidem ſunt earum partium, quæ germina habent, ſed & aliarum. Maxime vero circa viſcera. Maligni autem hi ſunt. Spiritus parvi denſi, magni rari, parvi rari, magni denſi: extra magni, intus parvi: intus magni, extra parvi: alius extendens, alius urgens: dupla intro revocatio, velut ſuperinſpirationibus, calidus, frigidus.

Medela aſſiduarum oſcitationum, ſpiratio longa. In non potantibus, & vix, ſpiratio brevis. E directo & laterum, & præcordiorum intentiones, & ſplenis elevationes, & e naribus eruptiones, & aures e directo. Horum plurima etiam

ad oculos. Utrum igitur omnia? aut quæ quidem ex infernis ſurſum, e directo: qualia ſunt, quæ juxta maxillas, aut circa oculum, aut aurem? quæ vero ex ſupernis, deorſum, non e directo? Atqui & anginoſi rubores, & laterum dolores e directo. Aut etiam quæ infra hepar ſunt ex ſupernis diſtributa, velut in teſtes, ac varices? Conſideranda ſunt hæc, quo, & unde, & propter quid.

Venæ temporum non conſidentes, neque viriditas ſplendida, ſi ſpiritus intus relinquatur, aut tuſſis ſicca, non ferina: ut in articulos decumbat, exſpectare oportet, e directo diſtentionum ſecundum ventrem utplurimum. Habent autem horum plurimi & facies rubicundas, & ex natura ſunt modi albidioris, & de naribus ſanguis non erumpit, aut parum erumpit, & ſi quidem ex affuſis intus relinquatur, paratus eſt abſceſſus. Sitis intus relicta, & oris reſiccatio, & injucunditas, & cibi faſtidium, eodem modo. Febres autem non acutæ ejuſmodi ſunt, verum revertentes.

Quæ relinquuntur poſt judicationem, recidivas facere ſolent. Primum itaque ſplenis elevationes, ſi non ad articulos finierint, aut ſanguinis e naribus eruptio fit, aut dextra præcordii intenſio, ſi non penetraverint urinæ. Hæc enim eſt interceptio utrorumque, & recidivæ horum merito fiunt. Abſceſſus igitur horum facere oportet, ſi non fiant. Eos vero qui jam fiunt, declinare. Eos autem excipere, ſi prodierint jam, & qualia oportet, & qua parte oportet. Qui vero non valde, eos coadjuvare. Eos vero avertere, ſi omnino incommodi fuerint, maxime ſi hi affuturi ſunt: ſin minus, ſi jam incipiunt.

Quartanæ ſanguinis e naribus eruptiones ægre judicant. Febres, quæ una die intermittentes, altera

altera ſuperrigent una cum judicatione, ex quinque ad ſeptem circuitus durant. Quæcumque tertianæ naturam habent, his nox moleſta ante exacerbationem; quæ vero ſequitur, tolerabilior plerumque eſt. Tuſſes ſiccæ parum irritantes a febre adurente, non pro ratione ſiticuloſæ, neque linguæ torrefactæ, non feritate, ſed ſpiritu. Conſtat id inde. Quum enim loquuntur, aut hiant, tunc tuſſiunt; quum vero non, minime. Hoc autem in febribus ex laſſitudinibus obortis maxime contingit. Nihil temere affirmandum, nihil contemnendum. Contraria, paulatim facta acceſſione, adhibenda ſunt, & interquieſcendum. Dolenti capitis partem poſteriorem, recta vena in fronte ſecta profuit. Succeſſiones præcordiorum ex qualibus qualia alterant, & viſcerum inflammationum qualia poſſunt, ſive ex hepate ſpleni, & vice verſa; & quæcumque hujuſmodi. Revellere oportet, ſi non qua oportet, repant. Si vero qua oportet, his oſcula aperire oportet, qualiter ſingula repunt.

Latæ puſtulæ non valde pruriginoſæ ſunt. Quales Simon habebat hyeme, qui ubi ad ignem inungeretur, aut calida lavaretur, opem ſentiebat. Vomitus non proderant. Arbitror, ſi quis calida adhibuiſſet, opem ferre potuiſſe. Quæcumque concoqui oportet, concluſa eſſe convenit. Contraria vero ſiccare, & aperta eſſe. Oculorum fluxiones, ſi alias conducere videtur, revellere ad fauces convenit. Et ubi eructatio conducit, & quæcumque alia hujuſmodi. Tranſitus apertos eſſe oportet, veluti nares, & alia, quibus opus eſt, & velut opus eſt, & qualia, & qua parte, & quando, & quantum opus eſt, velut ſudores, & alia ſane omnia. In magnis malis facies ſi fuerit bona, bonum ſignum eſt. In parvis autem, con-

traria ſignificans bonæ ſignificationi, malum. Apud magnum Theatrum ubi mulier retro heroum, morbo regio ſuperveniente, permanſit ipſi. Apud Temenæ neptim ille nigricantis erat coloris.

In Perintho genituræ ſimilis urina talis, quæ eſſet judicatoria, etiam pectinis affectionum. Nam hujuſmodi urinæ talia ſanant; quoniam neque flatu multo, neque ſtercore multo egreſſo, evacuabantur. Non enim profecto magnum erat præcordium. Braſſicam ſeptima die quis comedit, quum adhuc difficulter ſpiraret, poſtquam pecten emollitus eſt, recte ſpirans factus eſt, alvus ipſi expulit.

De ſanguine ſeroſo, quoniam in pavidis talis, aut in his, qui vigilarunt, & ſive malus, ſive bonus. Quibus ſplen deorſum vergit, pedes, & manus, & genua calida ſunt; naſus, & aures ſemper frigida. Num propter hoc, quod tenuis ſanguis? Num & natura talem hi habent? Suppurationibus umbilicus terminus, quibus ſuppuraturis ventres turbantur. Splen durus non ſuperne, inferne, rotundus, latus, craſſus longus, tenuis longus. Minus capitis gravedine laborantibus.

Circa ægrotantem adminiſtratio, & de morbo interrogatio: quæ narrat qualia, quomodo accipiendi ſermones: quæ ad ægrotantem, quæ ad præſentes, quæ ad externos. Quod in calidiore, ſolidiore, in dextris: & nigri propterea, & venæ extrinſecus, & multo bilioſiores. Concretum eſt, compactum eſt citius: ubi motum eſt, deſinit, & tardius augeſcit, & ad amplius tempus. Quod ſoli dum factum eſt, & bilioſius, & ſanguinolentius eſt; hic calidior eſt locus animali.

SECTIO III.

CUtis raritas, ventris densitas; cutis constrictio, carnium incrementum; ventris torpor, universorum confusio; vasorum immunditia, cerebri consumptio. Quapropter & calvities, instrumentorum attritio. Detractio cursibus, luctis, quiete, multis celeribus deambulationibus, carne ovilla, maza cocta plerumque panis modicus. Detractionis signum eamdem horam diei servare, derepente enim trahitur. Remittito labores, aut defluet. Similiter enim totum concidit. Quum vero jam conciderint, carnes suillas assatas exhibeto. Quum autem implentur, signum est, quod corpus rursus floridum fit. In exercitationibus signum, sudor fluens guttatim, qui exit velut ex canalibus, aut collapsio ex elevatione. Mulier quam primum curavi in Cranone: splen ipsi magnus natura, febris ardens, rubicunda, spiritus, decima sudor plerumque superne. Sed & inferne, decima quarta.

Minus his, qui ex capite gravedine, ac raucedine laborant, ubi febre correpti fuerint, recidivæ velut puto, fiunt. Quicquid suppuratur, non revertitur. Ipsa enim maturatio, & judicatio simul, & abscessus.

Quibusdam, ubi venere utuntur, venter inflatur, velut Damagoræ. Quibusdam vero in hoc strepitus. Arcesilao vero etiam intumescebat. Flatuositas simul caussa est in his, qui scapulas alarum modo eminentes habent. Sunt enim flatuosi.

Frigidum valde, venas rumpit, & tussim movet, velut nix, glacies: & constringit, velut sunt eminentiæ oblongæ, & rotundæ, Pherea & Gon-

gronæ a ſatyrorum circa aures eminentiis, & arborum quarumdam tuberculis appellatæ. Simul cauſſa ſunt etiam durities. Poſt mictionem concretio, pueris magis, num quod calidiores? Figuræ magis allevantes, velut qui ſarmenta manu nectebat, & obtorquebat, præ doloribus decumbens, arrepta paxilli ſumma parte ſupra ſe ipſum infixa, inhærebat, & melius habuit. Quem ex montano labore circa pontem ego vidi crura jactantem, altera tibia minime extenuabatur, femoribus autem valde. Urinæ, & genitura non ſupprimebantur. Quæcumque laterum naturæ, ſcapulas alarum modo eminentes habent, propter cauſſæ debilitatem, in deſtillationibus malignis, ſive excretio fiat, ſive non fiat, malum.

Rigores incipiunt mulieribus quidem magis a lumbis, & per dorſum, & tunc ad caput. Sed & viris poſteriore corporis parte magis quam anteriore. Horremus enim magis exterioribus, quam interioribus corporis partibus, velut cubitis, femoribus. Sed & cutis rarior. Indicat autem pilus. A quibus autem aliis rigent, fortaſſis ulceribus, incipiunt a vaſis. Summa ex nativitate, & cauſſa, & plurimis rationibus, & paulatim in cognitionem venientibus colligentem, ac addiſcentem, an ſimilia ſint inter ſe, & an non ſimilia ſint inter ſe: quo ex diſſimilitudinibus ſimilitudo fiat una. Sic ſane fuerit via. Sic etiam eorum, quæ recte ſe habent probatio, & non recte ſe habentium redargutio. Sanguinis ex naribus eruptio, aut ſubpallide nigricantibus, aut rubicunde pallentibus, aut ſubpallidis.

Parum dimittentem craſſefacere oportet ſicco. Aliis vero minus craſſificatione opus eſt. Sicco autem opus eſt albo, velut galla, alumen. Poſtquam venere uti inceperint, aut hircire, ſanguis

ipſis e naribus erumpit. In acceſſibus alii quidem ſtrepitum edunt, velut Arceſilaus. Alii vero acceſſuri, horridi fiunt, ac rugoſi. Alii poſtquam acceſſerint, ventre inflantur, velut Damnagoras. Mutationes cavendæ. Cibus modicus, non delaſſari, non ſitire. Omnis attenuatio laxat cutem, deinde circumtenditur. Renutritio vice verſa. Cutis conſidentis corrugatio, renutritæ extenſio. Rugoſum, læve, utriuſque ſignum, itemque ſubbilioſum, & ſubrubrum. Sic etiam detractas eſſe mammas, graciles autem ſurſum tractas eſſe, & circumtenſas, etiamſi quis non propterea putaverit id fieri, ſed in carnoſis. Claviculæ conſpicuæ, venæ pellucidæ.

Herodicus febricitantes interficiebat circuitibus, luctis, multis fomentis: mala eſt febriculoſitas, inimica fami, luctis, circuitibus, curſibus, frictioni: laborem labore. Ipſis venarum rubor, livor, pallor, laterum dolores molles. Non ſitire faciunt, continere os, tacere, ventum cum potu frigidum inducere.

Occaſiones unde ægrotare cœperint, conſiderare oportet, ſive capitis fuerit dolor, ſive auris, ſive lateris. Signum ſunt dentes, & in quibuſdam inguinum tumores. Ulcera fientia, ac tubercula judicantia febres. Quibus hæc non fiunt, judicatio ſublata eſt. Quibus intus relinquuntur, certiſſimæ recidivæ, ac celerrimæ. Sputa rotunda delirium ſignificant, velut in Pleno.

Qui hæmorrhoidas habent, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagædena, neque furunculis, neque tuberculis terebinthi figuram habentibus corripiuntur, fortaſſis autem neque lepris, fortaſſis neque vitiliginibus. Multi tamen intempeſtive curati, talibus non tarde correpti ſunt, & ſic pernicioſæ fuerunt, & quicumque

alii abſceſſus, velut fiſtulæ, aliorum medela ſunt.

Decubitus humorum ad aliquem locum, in quibus factos affectus liberat, in his prius ipſe factus, illos impedit. Alterius loci morbos loca excipientia, aut ob dolorem, aut ob gravitatem, aut propter aliud quiddam liberant, aut quod aliis ſunt communicationes. Propter inclinationem non amplius ſanguis prodit, ſed juxta humoris cognationem talia ſpuunt. Convenit quibuſdam ſanguinem detrahere, tempeſtive in talibus. In aliis autem velut in his non convenit. Impedimentum in ſpuentibus cruenta, tempus anni, pleuritis, bilis.

SECTIO IV.

TUbercula circa aurem, quibus circa judicationem exorta, non ſuppurata fuerint, his diſparentibus recidiva fit pro ratione recidivarum. Recidiva vero fiente, rurſus intumeſcunt, & permanent, velut febrium recidivæ in ſimili circuitu: his ſpes eſt ad articulos abſcedere.

Urina craſſa, alba, qualis Archigenis familiari erat, in laſſitudinoſis febribus quarta die aliquando prodit, & liberat ab abſceſſu. Si vero ultra hoc, etiam ſanguis e naribus large eruperit, etiam valde.

Cui inteſtinum in dextra parte dolebat, & articulari morbo correptus eſt; erat quietior. Poſtquam autem hic curatus fuit, magis dolebat. Agaſis filia quum eſſet puella, denſum ſpiritum habebat. Mulier autem facta, a partu non diu dolore correpta leviter, magnum onus ſuſtulit, & ſtatim quidem in pectore aliquid crepuiſſe viſum fuit. Poſtera die & anhelationem habebat, & coxam dexteram dolebat, & quum hæc dole-

ret, tunc etiam anhelatio habebat: coxæ vero dolore cessante, etiam anhelatio cessabat. Spuebat spumosa, ab initio vero florida. Ubi vero consedisset sputum, vomitui bilioso tenui simile erat. Dolores maxime erant, quum manu laboraret. Hanc ab allio arcere visum fuit, porroque, ac ovicula, & bove. In rebus autem agendis, a clamore, & excandescentia.

Cui in capite tumor depascendo proserpebat, ei primum alumen ustum profuit. Habuit alium abscessum, forte quod os abscessurum esset. Abscessit sexagesima die supra aurem, sursum ad verticem vulnus erat. Intestina crassa habet, qualia sunt canis, verum majora. Dependent autem ex medianis membranis, Mesocolis hac parte appellatis. Hæ vero ex nervis, de spina, sub ventrem.

Ægrotantibus gratificationes, velut est, pure præparare potus, ac cibos, & ea, quæ videt: molliter ea, quæ contingit. Aliæ gratificationes, quæ non magnopere lædunt, aut facile reparari possunt, velut frigida, ubi hac opus est. Aliæ gratificationes sunt, introitus, sermones, habitus, vestitus ægrotanti, tonsura, ungues, odores. Aqua decocta partim ut aerem admittat, partim ut vas non plenum sit, & operculum habeat. Quod ex sanguinis eruptionibus, aqua inter cutem corripiuntur. Si qualia oportet purgari purgentur, facile ferunt.

In Aeno legumina comedentes assidue, feminæ, mares crurum impotentes facti sunt, & permanserunt. Sed & ervum comedentes, genuum dolores habebant. Palam vigilans calidior externis partibus, frigidior autem internis. Dormiens vice versa.

Calidæ naturæ frigiditas, potus aquæ, quiescere, somnus in frigore, contecto, somnus seden-

tium, erectorum nictatio. Debiles victus, frigidi: robusti vero calidi. Aquarum arte non præparatarum, quæ quidem ab æthere excreta est, aut cum tonitruo, æstiva; procellosa vero mala. Aqua vorax, vigilia vorax. Percalidam naturam calido tempore, in frigore cubile crassefacit, in calido attenuat. Exercitatio sanitatis est vesci citra saturitatem, non refugere laborem. Inter vigilandum siti levi somnus medela est. Siti vero ex somno, vigilia in quibusdam. Quibus plurimus calor est, maxima voce præditi sunt. Nam & plurimus est frigidus aer. Ex duobus autem magnis magna etiam, quæ generantur, exsistunt. Ventriculo calidi, carne frigidi, & tenues, hi eminentes venas habent, & iracundiores sunt. Terra siccitatibus squallida, volucrium genus abundat. Hircire incipiens, uter testis extra paruerit, si quidem dexter, masculum; si vero sinister, femellam portendit. Oculi prout validi fuerint, ita etiam corpus. Sed & color in pejus, aut melius vergit. Justum est autem, prout se habuerit alimentum, ita & quod forinsecus est sequi. Signa lethalia, per cutem, nares, calidus vapor: ubi prius nares frigidum spiritum emiserunt. Signa vero vitalia, contraria sunt. Labores cibos præcedant.

SECTIO V.

MOrborum naturæ medici. Invenit natura ipsa sibi ipsi aggressiones, non ex præmeditato, partim velut est nictare, partim vero & ea, quæ lingua subministrat, & quæcumque alia hujuscemodi, non edocta natura, & nullo magistro

usa, ea quibus opus est, facit. Lachrymæ, narium humiditas, sternutationes, auris sordes, oris salivæ eductio, spiritus introitus, exitus, oscitatio, tussis, singultus, non ejusdem omnino modi. Urinæ secessus, & flatus, & hujus alterius alimenti, & transpirationis, & ea, quæ feminis solis adsunt, & in reliquo corpore sudores, pruritus, corporis distentiones cum oscitatione, & quæcumque alia hujuscemodi.

Hominis anima semper producitur usque ad mortem. Si vero efferbuerit, una cum morbo etiam anima corpus depascitur. Morbi connutriti, in senecta, & per concoctionem, & per solutionem, & per rarefactionem desinunt. Sanatio contra sentientem non consentire affectioni. Frigidum & auxiliatur, & occidit quæcumque ex calido sunt. Excandescentia retrahit cor, & pulmonem in se ipsa, & ad caput calida, ac humidum. Lætitia vero relaxat cor. Labor articulis, & carnibus; cibus, somnus, visceribus. Animæ deambulatio est cura hominibus. In vulneribus sanguis concurrit, opitulandum igitur ut vacuum expleatur.

Si auris doleat, lana digito obvoluta oleum calidum instillato. Deinde lanam intus in volam manus positam sub aurem subdito, ut aliquid ipsi exiisse videatur, postea in ignem immittito. Dolus. Lingua urinam significat. Linguæ virides cum pallore biliosa; biliosum autem a pingui; rubicundæ vero a sanguine. Nigræ ab atra bile. Sicca a fuliginoso ardore, & uterina parte. Albæ vero a pituita. Urina concolor cibo, & potui, & qualis intus est humidi colliquatio. Lingua concolor adtingentibus ipsam humoribus, quapropter per hanc humores cognoscimus. Si salsæ carnes gustanti, redundantiæ signum. Si mam-

marum papillæ, & rubor pallidus fuerit, morbosum uteri vas est. Hominibus sordes in auribus, dulcis quidem lethalis, amara vero non. Terram mutare commodum est in longis morbis. Debiliores cibi brevem vitam habent. In fluxionibus ad coxam, venas retro aures secato.

Coitus morbis ex pituita commodus. Calido ventriculo præditos, fortes potus, ac cibi perturbant. Atræ bilis velut similis est hæmorrhois. Augescentes morbos coitus. Frigiditas ea, quæ in ventre sunt, indurat. Coitus ea, quæ in ventre sunt, indurat. Eum, qui veratrum bibit, si citius purgare volueris, lavare oportet, aut comedere. Sanguis in somno intro magis fugit. Rigor a superiore ventre, febris ab inferiore magis. Attractio, pulmo, siccus ardor; supervacuatum siccat & somnus multus. Frigidissimus cibus, lentes, milium, cucurbitæ. Ulcera exoriuntur, si quis, dum impurgatus est, laboraverit. Mulier, capra, elaterium, aut cucumerem sylvestrem comedentes, pueris purgatio. Calido corpori id, quod comedit, intrinsecus frigiditas est, forinsecus autem dolor a sole, igne, vestitu, in tempore æstivo. Contrario vero contrario modo. Cibi partim celeriter superantur, partim tarde.

SECTIO VI.

CArnes adtractrices, & ex ventre, & extrinsecus. Indicio est sensus ipse, quod expirabile, ac inspirabile est totum corpus. Calidissima venula sanguinis multitudine, id quod fuliginosum est, exerit, & statim secernit. Et quibus quidem pingue, bilis flava; quibus autem sanguis, atra. Mentis, memoriæ, olfactus, aliorum

etiam famis instrumentorum exercitatio. Labores, cibi, potus, somnus, res venereæ, omnia mediocria. Frigidior in frigido tempore, ac regione calidior erit. In doloribus proximum ventrem purgato, sanguinis autem ventrem secato. Ustio, sectio, calefactio, perfrigeratio, sternutationes, plantarum succi, in quibus vim habent, & cyceonis mixtura. Maleficorum autem lac, allium, vinum fervefactum, acetum, sal. Homo ex lassitudinibus, ex itinere, imbecillus, gravatus exspuit. Tussivit enim ex vertice. Febris acuta, ad manum submordens. Secunda die capitis gravitas, lingua combusta fuit, naris unguibus conscalpta sanguinem non effudit. Sinister splen magnus, & durus dolebat.

A quartana correpti, a magno morbo non corripiuntur. Si vero corripiantur prius, & succedat quartana, liberantur. Pro qualibus qui morbi. Bilis fit, velut de vulneribus dixi, quod sint biliosæ. Caliditas acrimoniæ signum est. Turbationes, transitus. Nam mente motis dolores laterum desinunt: quibusdam & febres, quibusdam non. Sed cum sudoribus, quibusdam autem cum turbatione; quibusdam vero cutis arida, & circumtensa, ac salsuginosa. Torpefactiones quales ex qualibus, & quales illi, cui coxa. Per aures, ex auribus, plerumque tertio die moriuntur. Quibus cutes circumtenduntur aridæ, ac duræ, sine sudore; quibus laxæ sunt, ac raræ, cum sudore moriuntur. In recidivis mutationes prosunt. His transmutare oportet ad ea, quæ conveniunt, antea quam male afficiantur, velut Cherioni. Quæ irritantur ex qualibus, stridulæ faucium asperitates terminum præscribunt. Quibus quidem id, quod sanum est, relinquitur, caussa deorsum submissa, eos aut purgato, aut deligato, aut eji-

cito, aut resecato, aut exurito. Quibus vero non, non.

Quibus sanguis multus fluit ex naribus, qui quidem decolores mero modo sunt, his parum prodest. Quibus vero colores rubicundi, non similiter. Et quibus capita sunt, quæ facile tolerant, prodest. Quibus secus, non. Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, ac copiosior, hi morbosius sani sunt. Plurimis autem quibus ex morbo, vice versa. Sputa rotunda mentem emovent, velut illi in Plinthio. Huic sanguis ex sinistra nare erupit, & solutus est quinto die. Urina multam subsidentiam habens, a mentis emotione liberat, qualis erat Dexippi. Post pilorum defluvium quartana febris non ultra annum. Aurium eruptiones æstate quinta die fiunt; quandoque vero etiam diutius durant. Ita & circa gingivas, & circa nares suppurationes. Quibus in dentium dolore de supercilio tenuia descendunt, his a pipere probe affricto postridie crassiora descendunt, si etiam alia non obtinuerint. Nam Hegesippo soporiferum inditum non obtinuit, sed magis, & violentius insuper provocavit.

Ossium naturam ex capite colligere oportet, deinde nervorum, & venarum, & carnium, & aliorum humorum, & supernorum, ac infernorum ventriculorum, & mentis, & morum, & eorum, quæ per annum fiunt, tempore quodam anni præcociore, velut pustulæ, & hujuscemodi. Simile enim est his, quæ quotidie citius, aut serius accipiuntur. Similiter & biliosum, & sanguineum corpus atrabiliarium fit, si non habet evacuationes. Lycino postremum splen magnus dolorosus in quarta, aut quinta.

SECTIO VII.

TUſſes cœperunt circa ſolſtitia hyberna, decima quinta, aut vigeſima die ex frequenti auſtralium, & aquilonarium, ac nivoſorum tranſmutatione. Ex his aliæ breviores, aliæ diuturniores fiebant, & poſt has multæ peripneumonicæ affectiones. Ante æquinoctium rurſus pleriſque revertebantur, quadrageſima utplurimum ab initio die: & aliquibus ſane valde breves, ac judicatu faciles erant, aliquibus autem fauces inflammatæ ſunt, quibuſdam anginæ obortæ, quibuſdam leves ſiderationes, aliis nyctalopiæ, atque hi magis pueris. Verum peripneumonicæ affectiones valde breves erant. Faucium vero inflammationes poſt tuſſim, aut omnino parum pro tuſſi fiebant, atque hæ breves, magis autem nyctalopiæ. Anginæ vero, & leves ſiderationes, aut duræ, & ſiccæ, aut parvæ, & raro matura educentes: quibuſdam vero etiam valde. Qui igitur aut vocibus amplius ſe fatigarunt, aut riguerunt, in anginas magis deſierunt. Qui vero manibus laborarunt, manibus tantum ſiderati, ac reſoluti ſunt. Qui vero equitaverunt, aut amplius iter fecerunt, aut alios labores cruribus perfecerunt, his ad lumbos, aut crura impotentiæ reſolutoriæ obortæ ſunt, & ad femora, ac tibias laſſitudo, ac dolor. Duriſſimæ autem, & violentiſſimæ tuſſes erant, quæ ad levem ſiderationem, ac reſolutionem perducebant. Verum omnia hæc in recidivis fiebant. In principiis vero non ita valde. Pleriſque autem horum tuſſes in medio remiſerunt, ſed perfecte non defecerunt, verum cum recidiva adfuerunt. Quibus voces frangebantur ad tuſſim,

horum plurimi ne febricitarunt quidem. Quidam vero parum. Sed neque peripneumonicæ affectiones ulli horum fiebant, neque leves siderationes, neque ullus alius morbus de se significationem præbuit, sed in sola voce judicabantur. At vero nyctalopicæ affectiones firmabantur, ut quæ etiam ex aliis caussis fiebant. Fiebant autem pueris maxime. Oculorum autem nigræ partes aliquantum variegabantur, quæ pupillas parvas habebant. In summa oculus niger utplurimum erat. Et magnos magis, quam parvos oculos habebant, & plurimi rectos capillos, ac nigros.

Cæterum mulieres non similiter a tussi afflictæ sunt. Verum paucæ febricitarunt, & ex his valde paucæ ad peripneumonicam affectionem devenerunt, atque hæ seniores, & omnes superstites evaserunt. Causabar autem hoc fieri, eo quod non similiter velut viri prodirent, & quod nequaquam similiter ut viri morbis corripiuntur. At anginæ liberis duabus oboriebantur, atque hæ mansuetissimi moris erant: abundantius autem famulas corripiebant, quibus & violentissimæ fiebant, ipsasque celerrime perimebant. Viris vero multis fiebant, qui partim evaserunt, partim perierunt. In summa, qui solum deglutire non poterant, his valde mites, ac toleratu faciles erant. Qui vero etiam insuper obscure loquebantur, his molestiores, ac diuturniores. Quibus vero etiam venæ circa tempora, & cervicem attollebantur, his aliquantum malæ erant. Pessimæ vero his, quibus & spiritus sublimis coelevabatur. Hi enim etiam incalescebant. Nam sicut scriptum est, ita consortia affectionum habebant. Et quæ quidem primum scripta sunt, etiam sine posterioribus fiebant. Quæ vero posterius, non sine prioribus. Celerrime autem moriebantur, ubi febrili rigore

insuper riguissent. His ita pressis nihil memorabile proderat, non ventris turbatio, non venæ sectio, neque quæcumque alia tentavi. Secui etiam venam sub lingua, quosdam & sursum purgavi. Hæc igitur omnino in æstate fiebant, sicut etiam eruptiones omnino multæ, & potissimum in siccitatibus lippitudines dolorosæ populariter grassabantur.

Sanguinis venarum suppressiones faciunt animi deliquium, figura alterata, interceptio, linamentum intortum, appositio, deligatio. Inguinum, glandularumque tumores plures plurimi fiebant, eo quod hepatitis affecta esset. Erat autem & ab arteria male affecta malum signum, veluti Posidoniæ. Quibus sanguis erumpebat, morientes fronte non exsudarunt, sed velut contracti præ siccitate erant. Et anhelosi, ac cum sudoribus pereuntes, male habebant.

Ventrium abundantiæ turbationem ferunt, velut Posidoniæ: & quæ animalcula in alvo inducunt. In attenuatione circumtensio ante obitum, & umbilicus oblongus ipsi protractus est: & gingivarum dentes ambientium exulcerationes. Multa de unoquoque recte præcipi possunt, quæ partim eadem possunt, partim non: velut est talia diffundi, exsolvi, & educi, & indurari, & maturari, & ubi mutatione opus est, de lecto propellere timidos, & torpentes excitare ad ea, quæ relinquunt.

Hydropicos citius secare oportet, tabescentes statim urere, caput secare, & hujusmodi. Hydropicorum pectinem ne contingito, neque internas partes. Simile est enim multis genubus. Affectiones circa cor, sive ventriculi osculum Xenarcho, & calidum acervatim exspirare, & ulcus per evacuationem ab initio fovere.

Vox qualis eſt iraſcentibus, ſi talis fuerit non irato, ex natura fuerit, & oculi tales fuerint, ex natura turbulenti, quales ſunt, ubi iraſcuntur hi, qui tales non ſunt. Et alia juxta morborum rationem, velut verbi cauſſa, morbus tabidam ſpeciem inducit, ſi talis ex natura æger fuerit, ex tali morbo ſuperſtes evadet: & alia eodem modo.

Tuſſes laborioſæ contingunt locos læſos, & maxime articulos. Sed & in febribus laſſitudinem inducentibus, tuſſes ſiccæ ad articulos decumbunt cum febre, ſi intus relinquantur. Spiritus tabeſcentibus obſcuri mali, & non parientibus, & quicumque alii tales ab eadem conſtitutione. Tabeſcentibus autumnus malus. Malum item ver, quum fici folia cornicis pedibus ſimilia fuerint. In Perintho vere plurimi ægrotarunt. Simul cauſſa fuit tuſſis per hyemem populariter vagata, & aliis quicumque diuturni ſunt morbi. Nam & in ambiguis confirmati ſunt. Quibuſdam vero diuturni non ſunt oborti, velut his qui dolores rhenales habent. Sed & aliis, velut homo ille, ad quem Cyniſcus me adduxit. Dolorum in lateribus, & pectore, & aliis partibus, tempora an multum differant, conſiderandum eſt. Nam quum melius habuerint, rurſus deterius habebunt, non delinquentes.

In longis dyſenteriis cibi faſtidia mala tum alias, tum ſi inſuper febrierint. Ulcera circumglabra maligna ſunt. Lumbos dolenti recurſus ad latus, & puſtulæ, quæ ſeps vocantur. Renum adfectiones non vidi ſanatas ſupra quinquageſimum annum. Quæ in ſomnis exacerbantur, & quibus extremæ partes perfrigerantur, & mens turbatur, & alia, quæ circa ſomnum fiunt ejuſmodi, & quibus contraria. Quibus nihil intra

conſti-

conſtitutum tempus accidit, ſingulis partus vitales fiunt. Apparentia in quibus menſibus fiunt. Labores in circuitibus, quicquid in ſeptuaginta movetur, in triplicitate perficitur: & quicquid in nonaginta movetur, in triplicitate perficitur. Poſt menſes dextera, & ſiniſtra hiant. Humiditas per prodeuntia, diæta ſicca opus habet. Quod citius diſcretum, ac motum eſt, rurſus augeſcit tardius, & ad longius tempus. Labores tertio, quinto, ſeptimo, nono menſe, & ſecundo, ac quarto.

SECTIO VIII.

Hæc ex parva tabula conſideranda ſunt.

VIctus ratio fit repletione, vacuatione, ciborum, potuum. Mutationes horum, qualia ex qualibus, prout ſe habent. Odores delectantes, offendentes, implentes, placantes.

Mutationes ex qualibus, prout ſe habent. Illabentes, ingreſſos, aut egreſſos ſpiritus, aut etiam corpora. Sermones, qui audiuntur, alii meliores, alii offendentes. Et a lingua ex qualibus qualia alliciuntur. Spiritus, tanta caliditas, frigiditas, craſſities, tenuitas, ſiccitas, humiditas, plenus, imminutus, & copioſior, a quibus mutationes, quales ex qualibus, prout ſe habent. Continentia, aut contenta: aut intus permeantia corpora. Sermonibus, ſilentio, dicere quæ vult, ſermonibus quibus dicit, an magni, aut multi, veri, aut confecti. Prodeuntia, & egreſſa noſſe oportet, unde cœperunt, aut ubi deſiverunt, aut quantum divulſa ſunt, itemque colores, in quibus aut caliditatem, aut ſalſuginem,

aut dulcedinem, aut tenuitatem, aut craſſitiem, æqualiter, aut inæqualiter: corpus, tempus. Mutationes quales ex qualibus habent. Incepit eructationem, non obtinuit. Lachrymæ volenti, nolenti, multæ, paucæ, calidæ, frigidæ, craſſities, ſapor. Sputum an per ſe exſcreet, aut tuſſiendo rejiciat, itemque vomitum. Solis calor, frigus, humectatio, ſiccitas.

Mutatio per qualia, ex qualibus, ad qualia ſe habet. Labores, otia, ſomni, vigiliæ, Quæ in ſomno fiunt, inſomnia, cubilia, & in quibus, & ex quibus. Mentis intelligentia ipſa per ſe ipſam, citra inſtrumenta, ac negotia, triſtatur, lætatur, timet, confidit, ſperat, deſperat, velut Hippothoi domeſtica famula mentis ſuæ per ſe ipſam gnara erat, & quæ in morbo acciderant ſciebat.

Ætatem ab ætate diſcernere oportet, & an prius, aut poſterius quam convenit, quid fiat, veluti ſi reſolutus eſt hyeme, & ſeni ætate, aut infanti, & æſtate aut prius, aut poſterius quam convenit. Dentium emiſſiones, pilorum productiones, genitura magis, & minus, pilorum augmentum, craſſitudo, robur, imminutio, quod cognatum eſt, & quod per ſe ipſum, quanto magis, & minus. Anni tempus, in quo & citius, aut ſerius. Tempus, in quo factum eſt, pluvioſum, aut ſiccum, frigidum, aut calidum, ſine ventis, aut cum ventis, & qualibus ventis. Temporis in principio, aut medio, aut fine, aut ſemper, prxterito, aut præſente. Morbi tempus, & hora, accidentia, circuitus, & ex circuitibus majores, & per amplius tempus: incrementa, & totius morbi incrementum, remiſſio, vigor, & magis, & minus perficiens, & quando, & qualiter, & in quali hora, ac ætate.

Populariter graſſantium morborum modi, & ſi quis ex incipientibus inceperit ſine vomitu, veluti aut ubi biberunt quid continentes, aut parum purgati. Febriculoſi fortaſſis valde candidi, quorum etiam labia, qualis modus, tempora. Corpus, actio in conſiderationem ducatur. Viſus, auditus, naſus, tactus, lingua, cogitatio conſideretur.

Tumores in ſupernis palpebris relicti, dum alia circumcirca gracileſcunt, recidivas faciunt. In extremitate vero ſubrubicundi, duri, & valde viſcoſi, & inſurgentes, ac inhærentes in his ſunt, velut Pharſalio Polymedi. Erumpentes tumores, aut livores, in lippitudinibus, aut ulceribus. Sed & quæ deferuntur ex tuberculis, ac ſuppurationibus, quia ſigna ſunt.

Circa meſſem tormina circa umbilicum, & dolores, quandoque a porro. Sed & ab allio his poſtea. Sacri ignes quibuſdam a collo, & circa has partes in facie judicabuntur. Nigri etiam, quibus a collo, mali erant, & ſi puſtulæ eſſent, malæ erant, & quibus alvus turbata eſſet. Adamantus atrabiliarius a pepliis pluribus vomuit aliquando nigra, quandoque a cepis. Febres, in quibus ulcerantur labia, fortaſſis intermittentes: & tertianis perfrigerationes. At amburentes ſtatim ad manum ſolvuntur ſemper. Quale ineſt in articulis conſiderandum, an non ſuppurantur. Conſuetudo autem, ex qualibus ſani degimus, victus modis, tegumentis, laboribus, ſomnis, rebus venereis, mentis affectionibus. Quomodo morbos ferant, a quibus quæ figuræ, ad quos locos converſi ſunt, quando ceperunt, adfuerunt, deſiverunt. In quibus intemperans horrendus. Contrariæ in morbo victus rationes, qui facile, qui ægre toleratur.

Victus rationes quantum fieri poteſt cognoſcendæ. Nam non noſſe, multarum calamitatum res eſt. Bonis autem medicis ſimilitudines pariunt errores, ac difficultates. Verum contraria facit cauſſa, & occaſio. Scio, quod difficile eſt ratiocinari, ac cognoſcere vias, veluti ſi ſit acuto capite, ſimus, ſubaridus, bilioſus, ægre vomens, facile vomens, niger, juvenis, qui temere vitam degit. Hæc ſimul inter ſe conſentire difficile eſt.

Cui fiſtula refringebatur, tuſſiculæ permanere impediebant. Cui apex hepatis complicatus erat, eum concuſſi, derepente dolor ſedatus eſt. Satyrus in Thaſo cognomento Grypalopex vocabatur, hic quum annorum viginti quinque eſſet, ſæpe per ſomnum ſemen effudit, & interdiu quoque frequenter ipſi prodibat. Quum autem ad annum trigeſimum perveniſſet, tabidus fiebat, & mortuus eſt.

In Abderis palæſtræ cuſtos, qui Stheneus dicebatur, multum luctatus adverſus fortiorem, & in caput lapſus, digreſſus multám bibit frigidam aquam. Poſtea illa nocte vigiliæ obortæ ſunt, anguſtiæ, & extremarum partium frigiditates. Poſtridie ingreſſus ad domum, & glandula alvo ſubdita, non ſubiit, verum parum minxit, prius autem nihil minxerat: ad noctem lavit, nihilominus vigiliæ, & anguſtiæ aderant, deliravit. Tertia die frigiditas extremarum partium, excalefactus ſudavit, pota autem aqua mulſa tertia die mortuus eſt.

Atrabiliarii etiam comitiali morbo corripi plerumque ſolent, & viciſſim comitiales fieri ſolent atrabiliarii. Uterque vero morbus magis fit, prout ad alteram partem inclinarit. Si quidem enim ad corpus inclinarit, comitiales fiunt. Si

vero ad animum, atrabiliarii melancholici dicti.

In Abderis Phaethusa Pytheæ uxor priore quidem tempore fecunda erat; quum autem maritus ipsius in exilium abiisset, menses multo tempore suppressi sunt, postea dolores, & rubores ad articulos oborti sunt. Hæc autem ubi contigissent, & corpus virile factum est, & hirsuta penitus evasit, & barbam produxit, & vox aspera facta est. Et quum nos omnia tentassemus, quæ ad menses detrahendos conferre visa essent, non prodierunt, sed mortua est, quum non ita multo tempore postea vixisset. Idem hoc contigit etiam Namysiæ Gorgippi uxori in Thaso. Visum est autem omnibus medicis, in quos sane ego incidi, unam spem esse, si menses secundum naturam prodirent. Verum & huic prolici non potuerunt, omnia nobis molientibus, sed paulo postea mortua est.

HIPPOCRATIS

LIBER V.

DE MORBIS POPULARIBUS

PRÆFATIO.

Mihi quidem nihil hic vero HIPPOCRATE *indignum habere videtur. Manifesto etiam locus de suturarum & fissurarum adfinitate a* CELSO *&* PLUTARCHO *inter laudes (a) magni senis recen-*

(a) Alia confessio sequitur p. 607.

ſetur. Niſi forte aliquis de obſcuritate non ſatis tenebroſa conqueri velit. Hiſtorias potiſſimum morborum chirurgicorum continet, non quidem cohærentes, ſed raras multas & perutiles, ut peripneumoniæ ex anginæ metaſtaſi, tetani ex acri medicamento in vulnus dato, mortis ex levi percuſſione capitis. Poſterioris ævi eſſe ex venarum & arteriarum diſtinctione vincas. Hunc DRACONI *aut ſecundo* HIPPOCRATI GALENUS *tribuit, librum vero VII pro ſpurio omnino habet, qui II. IV. & VI. hactenus ad* HIPPOCRATEM *referat, etſi non edidiſſe fatetur. Mihi V. & VII. longe videntur reliquis præſtare, quos nunc dixi.*

IN Helide Olitoris uxor: febris corripuit ipſam acuta, & medicamenta bibens nihil ſentiebat opis. In ventre infra umbilicum erat quid durum, & altius altero, & dolores exhibebat fortes. Huc enim manibus cum oleo fortiter compreſſum, ac emollitum eſt, & poſtea ſanguis frequens ipſi deorſum proceſſit, & ſanata eſt, & vixit. In Helide Timocrates amplius bibit. Inſaniens autem ab atra bile, bibit pharmacum. Hic purgatus eſt, purgatio multam pituitam, ac bilem atram egerebat per diem, & ad veſperam purgatio ceſſavit, & dolorem pertulit in purgatione multum, & quum polentam bibiſſet, ſomnus ipſum corripuit, & tenuit per noctem, donec ſol oriretur. In ſomno autem præſentibus nihil reſpirare videbatur, ſed mortuus eſſe, & neque quid diceretur, neque quid fieret, ſentiebat. Extentum autem fuit corpus, & rigidum. Verum vivebat, & excitatus eſt.

Scomphus in Oeniadis pleuritide correptus, mortuus est septima delirus. Pharmacum autem bibit infra purgans, priore ante potionem die mentis compos erat, & purgatus est non multum, quum autem purgaretur, deliravit.

Phœnici in Oeniadis, & Andreæ fratribus maxilla altera intumuit, & labium, quod est ante maxillam, & oculum, & neque intrinsecus quidquam spectanti apparebat, neque forinsecus suppurabat. Sed tumens arida putredine putrescebat. Et alter eadem perpessus est. Mortuus est autem alter septima die, & pharmacum bibit, & nihil profuit. Verum Phœnici circulus putridus exsectus est, & ulcus purgatum est magna ex parte, priusquam moreretur. Mortuus est autem & hic, ubi diutius vixisset.

Euridamus in Oeniadis in peripneumonia decima die incœpit delirare. Curatus ad mentem rediit, & sputa erant puriora, & morbus ad melius procedebat, & somno multo perfusus est, & oculi morbum regium contrahebant, & mortuus est ad viginti dies.

In Oeniadis vir quidam morbo tenebatur, quum sine cibo esset, fortiter in ventre ipsius sugebat, & dolebat, & quum edisset, ac cibi contriti essent, tempusque post cibi esum accessisset, non longe postea idem hoc patiebatur, & tabescebat corpus, ac consumebatur, & alimentum ipsi non contingebat a ciborum esu, & per alvum secedebat cibus pravus, & combustus. Quum vero recens cibum accepisset, eo ipso tempore minime sugebat, neque dolor aderat. Hic omnis generis pharmaca bibens sursum, ac deorsum purgantia, nihil opis sentiebat. Ubi vero vena ipsi secta esset in utraque manu, donec exsan-

guis redderetur, poſtea utilitatem percepit, & à malo liberatus eſt.

Eupolemus in Oeniadis dolebat coxam dexteram, & inguen, & commiſſuram propinquam ad coxam, ab inguine, & coxa in anteriore parte. Huic ſanguis detractus eſt a talo, multus valde, & niger, ac craſſus, & pharmacum bibit alvum deorſum purgans, & multum purgatus eſt, & melius quidem habebat. Dolores autem non remittebant, ſed ſuppuratam habebat & coxam, & commiſſuram in ipſa ad ſedem, & partem circa inguen, quibus locis etiam amplius dolebat. Pus autem ad os magis fiebat, quam ad carnem, in profundo, & per tempus ſic habens negligebat, donec valde debilis fiebat: poſtea cruſtæ ipſi inuſtæ ſunt, valde multæ, & magnæ, ac inter ſe propinquæ, & pus effluxit multum, ac craſſum, & mortuus eſt poſtea paucis diebus tum præ magnitudine, ac multitudine ulcerum, tum ex corporis debilitate. Huic ſi una ampla ſectio inciſa fuiſſet, & per ſectionem pus emiſſum eſſet, & ſi opus fuiſſet, etiam altera ſectio facta eſſet, hæc ſane in tempore ſi facta fuiſſent, mihi quidem videtur, quod ſanatus eſſet. Lycon in Oeniadis reliqua quidem eadem patiebatur. Verum dolores etiam ad crus non ita valde progrediebantur, & non factus eſt ſuppuratus, ſed ſanus multo tempore. Bibebat autem pharmaca, & cucurbitas adhibebat, & venam ſecabat. Atque his factis, melius habere videbatur.

Homo quidam Athenis prurigine toto corpore vexabatur, maxime autem teſtibus, ac fronte, vexabatur autem valde vehementer, & cutis craſſa erat per totum corpus, & velut lepra aſpectu, & ex nulla parte cutem apprehendere potuiſſet præ craſſitudine. Huic nemo opitulari potuit.

Transgressus autem ad Melum, ubi sunt calidæ balneæ, a pruritu quidem, & cutis crassitudine liberatus est, verum hydropicus factus mortuus est.

Athenis virum cholera corripuit, vomebatque, & deorsum egerebat, & dolebat, & neque vomitus, neque per alvum secessus sisti poterat, & vox ipsum destituebat, & ex lecto moveri non poterat, & oculi caliginosi, ac cavi erant, & convulsiones tenebant ab alvo, & intestino, & singultus. Verum secessus multo copiosior erat, quam vomitus. Hic veratrum in lentium succo bibit, & alterum lentium succum insuper bibit, quantum potuit, & postea vomuit, & coacta sunt, ac adstricta ipsi ambo. Frigidus autem factus est, & lavabat inferne usque ad pudenda, calida valde multa, donec etiam supernæ partes calefactæ sunt, & vivebat, postera vero die polentam bibit ex aqua.

In Larissa uxori Gorgiæ menses suppressi erant per annos quatuor, præter valde modicos. Verum in utero, ad quamcumque partem se inclinasset, pulsum exhibebant, ac gravitatem. Hæc mulier concepit, & peperit, & puella viva nono mense edita est, ulcus habens in coxa, & secundæ consequentes, ac sanguinis fluxus valde multus successerunt. Postridie, & tertia die, ac quarta etiam grumi sanguinis concreti, & febris tenebat usque ad decem primos dies, & de cætero prodiit ipsi sanguis ruber, & facies fortiter intumescebat, itemque tibiæ, ac pedes ambo, & alterum femur, & cibos non admittebat. Sitim autem habebat vehementem, & frigidissima aqua conferebat. Vinum autem nequaquam. At venter post primum puerum modice emollitus est, valde autem non considit, sed durior erat,

dolor autem non aderat. Quadragesima vero die a prima superfetatio excidit, caruncula quædam; & venter considit, omnesque tumores, & fluxio tenuis, ac sanguis olens prodiit, & sana evasit.

Mulier in Pheris caput circumcirca dolebat multo tempore, & nemo poterat illi quicquam opis conferre, neque dum caput purgaretur. Melius autem habebat, quum menses ipsi facile prodibant. Hæc quum caput doleret, ex subdititiis odoratis ad uterum appositis opem sentiebat, & modice depurgata est, & quum concepisset, dolores caput relinquebant.

Mulier in Larissa prægnans erat. Huic decimo mense sanguis prodiit multus per quatuordecim dies. Plurimus autem tribus diebus ante pueri editionem. Decimaquarta excidit ex utero puer mortuus, habens dextrum brachium lateri adnatum, & tertia die noctu eadem hora, qua puer, prodiit secunda, & purgamenta alba deinde post hæc per tres dies, ac noctes multa moderate prodierunt. Postea febris corripuit per duos dies, totidemque noctes, & dolebat omnem ventrem, & coxas, maxime vero pectinem.

In Larissa Hipposthenes peripneumonia apprehensus esse medicis videbatur, erat autem nequaquam, verum principio luctans in duro loco cecidit supinus, adversario ipsi illapso, & lavatus est frigida, & cœnavit, & gravior factus esse sibi videbatur. Sequenti autem febricitavit, & tussis apprehendit siccior, & spiritus densus. Quinta die cruentum excreavit, non multum, & delirare incipiebat. Quando tussiebat, dolebat pectus, & dorsum. Sexta autem ubi sternutasset, sanguis fluxit e naribus quatuor hemina-

rum menſura. Ad veſperam neque loquebatur, neque ſentiebat, neque quid fieret, neque quid diceretur. Undecima mortuus eſt. Per quinque vero dies modo ſapiens erat, modo non. Erat & ſine febre. Spiritum autem nullum recipiebat, neque ſtertorem habebat. Non enim erat ſputum.

Scamandrus in Lariſſa & in coxa marcorem habuit, & in oſſe diu diſparato. Ipſe vero ſectus eſt ſectione magna, etiam ad os ipſum, & poſtea uſtus eſt, & tunc die duodecima poſt ſectionem cœpit convulſio, & valde obtinuit, convellebatur autem crus hoc uſque ad coſtas, & ad aliam quoque partem convulſio progrediebatur, flectebatur autem crus, & extendebatur, & alia membra movebat, & maxillæ compactæ riguerunt. Hic mortuus eſt convulſus, octava die poſt convulſionis invaſionem. Curabatur autem tepefactoriis utriculis, & fomentis ervi per totum corpus, & infuſum per clyſterem immiſſum eſt, & tunc modicum ſtercoris prodiit, & pharmacum bilem abunde purgans bibit, ac inſuper catapotium deglutivit, & ſeceſſit quidem, nihil autem a catapotio opis ſenſit, & ſomnus modicus venit, & rurſus pharmacum idem forte ad veſperam bibit, ac ſole emergente mortuus eſt. Videbatur autem multo tempore morbum ferre potuiſſe, niſi ex pharmaci vi periiſſet.

Equiſo Palamedis in Lariſſa undecim annorum percuſſus eſt in frontem ſupra oculum dextrum ab equo, & videbatur os non ſanum eſſe, & exſiliebat ex ipſo modicus ſanguis, & ſectus eſt ſectione magna uſque ad ſecundam laminam, & curabatur ſic habens ipſum os, quod etiam antea ſtatim os peperit. Vigeſima tumor cœpit circa aurem, & febris, & rigor, & in die magis intumeſcebat, ac dolebat tumor, & ab initio fe-

bricitavit ex rigore, & oculi intumuerunt, & frons, & tota facies. Patiebatur autem hæc in dextra magis capitis parte. Progreſſus eſt autem tumor etiam ad ſiniſtram, nihil tamen hic læſit. Demum febris continua corripiebat. Atque hæc minora erant uſque ad octavam diem. Vixit autem uſtus, & per catapotium purgatus, & cataplaſmate tumori impoſito. At vero ulcus nullius mali cauſſa erat.

In Lariſſa Theophorbi filius veſicam ſcabioſam habebat, & viſcoſam urinam mingebat, & dolebat, dum & inciperet mingere, & dum deſineret, & confricabat pudendum. Hic quum bibiſſet pharmacum urinam ciens acre, in veſicam quidem nihil proceſſit, verum multum purulentum, & bilem evomuit, & deorſum alia hujuſcemodi egerebat, & ventrem dolebat, & intrinſecus ardebat. Reliquum vero corpus frigidum erat, & totus reſolutus eſt, & nihil aſſumere volebat. Huic exulceratus eſt venter fortiter valde a vi medicamenti, & mortuus eſt tertia poſt potionem die.

Uxor Antimachi in Lariſſa prægnans erat diebus circiter quinquaginta, & reliquo tempore præ faſtidio a cibo abſtinebat, & per ſeptem dies uterum dolebat, & cor, & febris corripiebat. Eo tempore nihil per alvum egerebat. Huic datum eſt catapotium deorſum purgans fortius, quam conveniebat, & evomuit bilem combuſtam, præ cibi abſtinentia, & febre. Nam neque ullo potu utebatur. Evomuit autem paucam violenter, & grumoſa, & ubi concitata fuiſſet, ac ipſam emiſiſſet, debilis eſſe videbatur, & non volebat aquam bibens evomere. Poſtea vero dolor fortis tenebat infernum ventrem, exulceratus enim erat a medicamento, & prodibat ipſi ſtatim poſt ſtercus, ſubcruentum ramentoſum. Semper autem

amplior fiebat, & debilitas, & cibi faſtidium, & purgamenti erant heminæ quinque. Siſtebatur autem alvus aqua multa ſuper ventrem affuſa, aliud autem nihil potuit admittere. Mortua eſt circa mediam noctem. Videbatur vivere potuiſſe, ſi aquam bibere potuiſſet, ac ſtatim vomere, priuſquam deglutiviſſet.

Famula Oneſidemi in Lariſſa ulcerata eſt alvum, & inteſtinum a bile ſponte commota, & prodibat ſurſum, ac deorſum bilis, & ſanguis, & febris tenebat. Huic debili datum eſt pharmacum deorſum purgans in potu, debile, aquoſum, ac modicum, & vomuit ab ipſo multum, & infra amplius ſubiit, & veſperi rediit. Poſtridie febris erat, ſed debilis. Alvus autem ulcerabatur, & adhuc eadem egerebat. Tertia die ad veſperam mortua eſt, quum febris valde fortis ipſam corripuiſſet. Quapropter omnino moritura eſſe videbatur. Minime vero ideo, quod aquam frigidam biberat, donec vomitus tenebat. Poſtquam autem perfrigeratus eſt ſupernus venter; depurgatus per aquam, ſucco frigido poſtea poto; ſic poſtea infuſum per cliſterem immiſſum eſt.

Eudemus in Lariſſa, hæmorrhoidas habens fortes, ac diuturnas, quum exſanguis eſſet, bilis commota eſt, ſed leniter in corpore, & alvus turbata deorſum bilioſa egerebat, & hæmorrhoides intumeſcebant. Pharmaco deorſum purgante poto, probe depurgatus eſt, & rurſus bibit ſuccum, & amplius alvus turbata eſt, & dolor ad præcordia conſiſtebat. Huic quum venter non probe haberet, ſed adhuc curatione indigeret, manus hæmorrhoidibus admotæ ſunt, & vomuit. Poſtea quum cancer ſucceſſiſſet, febris irruit, & non dimiſit, antequam occideret. Quandoque etiam quum rigor ſubrepens dimiſiſſet, febris venit,

& prodiit ipsi bilis, & flatus, & partim prodibat, partim intus erat, & dolor in ventre. Hæmorrhoides autem extra intestinum rectum erant, reliquo tempore a purgationibus auspicatæ, & flatus per ipsas prodibat, & ad sternutationem principium fiebat.

In Larissa vir quidam sauciatus est cominus ex manu per hastam latam a tergo, & summum ejus penetravit infra umbilicum per multum spatium, quod lividum erat, & tumidum. Postquam autem vulneratus fuit, dolor obtinebat primum fortis, & venter intumescebat. Huic postridie datum est pharmacum deorsum purgans, & egessit modicum cruentum, & mortuus est. Videbantur intestina hujus non esse sana, & venter sanguine plenus esse.

Apellæus Larissæus ætatem habebat annorum circiter triginta, aut parum aberat. Corripiebatur autem morbo, a quo vexabatur noctu magis in somno, quam interdiu. Ægrotabat autem ad duos annos ante mortem. Vomebat bilem fulvam aliquando ubi excitatus esset. Vomebat etiam nigram. Hic purgatione a capite forti valde ad multum tempus purgabatur, & quum pharmacum bis bibisset, sex menses ipsum penetravit. Erat valde vorax multi cibi, & quum corpus haberet biliosum, multum luctatus, valde riguit, & febris corripuit, ac morbus ad noctem, postridie sanus esse sibi videbatur, & rursus altera die. Sequenti vero nocte morbus invasit cœnatum a primo somno, & per noctem, ac diem, & usque ad cœnam tenebat. Mortuus est, priusquam resipisceret. Convellebatur primum circa dextras partes, faciemque, ac reliquum corpus, postea in sinistris, & quum videretur quietus esse, sopo-

rem habebat, ac ſtertebat, & rurſus ſuccedebat morbus.

Eumelus Lariſſæus rigida habuit crura, & manus, & maxillas, & non poterat neque extendere, neque flectere, ſi non alius flecteret, ac extenderet. Et neque maxillas diducere poterat, ſi non alius diduceret. Aliud vero nihil neque dolebat, neque edebat, niſi mazam, & aquam mulſam bibebat. Vigeſima die ſedens cadit ſupinus, & caput ad lapidem vehementer offendit, & vertigo ipſi caliginoſa offuſa eſt, & paulo poſt ſurgens, ſanus erat, & ſoluta erant omnia, præterquam poſt ſomnum, ubi excitaretur, articuli modice ligati erant. Erat autem duodecim, aut tredecim jam annorum, & ægrotavit menſibus tribus, aut quatuor.

In Lariſſa virgo, quæ ſanguinem vomuit non multum, ſuppurata facta, febribus corripientibus, non liberabatur, priuſquam moreretur. Mortua eſt tertio menſe. Ante mortem vero obſurduerunt ei aures, & non audiebat, niſi quis valde exclamaſſet. Verum ante ſanguinis vomitum debilis erat.

Famula Dyſeridis in Lariſſa, quum juvencula eſſet, ubi venere uteretur, fortiter circumcirca dolebat. Alias autem ſine dolore erat. Concepit autem nunquam. Et quum ſexaginta eſſet annorum, dolebat a meridie, velut ex partu vehementer laboraret. Hæc quum ante meridiem porrum ediſſet multum, poſtquam dolor ipſam corripuit vehementiſſimus, & priores omnes excedens, exſurgens aſperum quiddam in ore uteri deprehendit, poſtea quum ipſa animi deliquium incideret, alia mulier, immiſſa manu, expreſſit lapidem aſperum, magnitudine verticilli fuſi. Et ſana tunc ſtatim, & poſtea erat.

Malienſi currus onuſtus inductus eſt ſupra coſtas, & coſtas confregit, & per tempus ſubſtitit ipſi pus infra coſtas. Uſtus ſub ſplenem penicillis, ac linamentis utebatur, & pervenit ad decem menſes. Reſecta vero cute, caverna apparuit ad tenue inteſtinum utrinque procedens, & ad renem, & ad oſſa procedebat putrida. In hoc non animadverſum eſt, quod & corporis habitus biliofus erat, & in corpore putredo ſicca tenuis inteſtini multa, & aliarum carnium, quas ſtatim ejicere oportebat, ſi quis potuiſſet ſicco pharmaco, dum robur aliquod homo habebat. Nam ab humidis nihil remittebant, ſed putreſcebant. A linamentis vero inditis quum humor ſiſteretur, rigor corripiebat, & febris, & magis putreſcebat, affluebat autem iſthic putridum quiddam, ſubnigrum, graveolens. Priuſquam vero curationis aggreſſio fieret, quotidie multum foras penetrabat. Erat autem non probe fluidum. Cognitum eſt naturam morbi eſſe magis remotam, quam ſubter cutem. Quod ſi vero etiam omnia recte facta eſſent, tamen non videbatur ſervari poſſe, etiamſi ventris profluvium ipſum corripuiſſet.

Autonomus in Omilo, ex capitis vulnere mortuus eſt die decima ſexta, in media æſtate lapide ex manu ictus, in ſuturas in medio ſincipite. Quare non animadverti ipſum ſecari opus habere, deceperunt enim me ſuturæ habentes in ſe ipſis jaculi læſionem, poſtea enim conſpicuum id fiebat. Primum quidem ad claviculam, poſtea ad latus dolor fortis valde, & evulſio ad ambas manus venit. In medio enim capitis, ac ſincipitis ulcus habebat. Sectus eſt autem die decima quinta, & pus prodiit non multum. Membrana vero cerebri imputrefacta apparebat.

Famula

Famula in Omilo ex capitis vulnere, duodecim annos nata, moritur in media æstate, decimaquarta die. Januam quidam ipsi impegerat, & os contuderat, ac ruperat. Suturæ vero in ulcere erant. Quare cognitum est recte sectione opus habere. Secta est autem, non velut oportebat, sed quantum relictum est, pus in ipso factum est. Octava, rigor, febris invasit, habebat autem, non velut oportebat, sed quantum etiam prioribus diebus quando febris non tenebat. Nona vero die reliquum resectum est, & valde modicum pus cum sanguine subtus apparuit, & membrana cerebri pura erat, & somnus quidem occupabat, febris autem non dimittebat. Convulsio vero manum sinistram invadebat. Nam in dextris magis ulcus habebat.

Cyrenius in Omilo suppuratus factus, infernum ventrem ustus est, triginta diebus serius quam oportebat, & mansuete se habebat, & resiccatum est pus in ventre. Verum in calidissimo tempore edens fructus pomorum, & alios cibos non conferentes, a febre correptus est, & a ventris profluvio, & mortuus est.

Hecason in Omilo, velut etiam alter serius ustus est, attamen resiccatus est venter, modico excepto. Dysenteria vero arripiebat ipsum, quam ubi effugisset, omnia edebat, donec totus intumuit, & erupit ipsi pus deorsum, & ventris profluvio mortuus est. Hecason in Omilo, ab immunditia non purgata, & a prava purgatione, dolorem acutum in coxa habebat, & hic quidem discessit, successerunt autem ipsi febres, & multo tempore in lecto decumbebat, neque bibens quicquam, neque sitiens, & debilis, & horridus. Huic commode quidem ablatus est morbus, velut conveniebat. Opem autem per-

cipiebat ex his, quæ offerebantur. Tandem vero erupit morbus deorſum, & totus ſeceſſit præ multa bile, & mente motus eſt, & mortuus. Videbatur autem morbum evaſurus eſſe.

Qui in Salamine in anchoram incidit, in ventrem ſauciatus eſt, & circumcirca dolebat. Bibit autem pharmacum, & non egeſſit deorſum, neque revomuit.

Mulier, quæ jugulavit ſe ipſam, ſuffocabatur, & datum eſt ipſi longe poſtea pharmacum deorſum purgans, & per ſeceſſum ipſi exiit.

Qui ex Eubœa venit adoleſcens, quum multum eſſet deorſum purgatus, intermiſſione facta, quietus febricitavit. Deinde quum putaret ſe purgatione ſurſum verſus opus habere, non validam radicem veratri bibit, & poſt potionem quarta die mortuus eſt, nihil expurgatus. Verum ſomnus ipſum tenebat, & ſitis ſedari non poterat.

Serva illa, cui a catapotio ſurſum quidem pauca prodibant, ac ſuffocabant, deorſum vero multa, nocte mortua eſt. Erat autem barbara.

Quidam homo Eubœus poto pharmaco deorſum purgante, per tres dies purgabatur, & mortuus eſt. Habebat autem manum ſuppuratam uſque ad cubitum.

Symmachi filius a bile ſuffocabatur noctu quum dormiret, & febris eum teneret. Pharmacum autem, ubi bibiſſet, non continuit, neque purgatus eſt diebus ſex, antequam moreretur.

Qui juxta curriculum habitabat, quum noctu ſanguinem vomuiſſet, poſtridie mortuus eſt, ſanguinem vomens multum, & ſtrangulatus. Ad ſplenem vero, & deorſum multus ſanguis ipſi prodibat.

Puer a mulo percuſſus ventrem, & hepar, mortuus eſt quarta die. Spiritum autem denſum habe-

bat, & non intelligebat quicquam, & febris tenebat.

Hermophili filius ægrotabat diebus undecim. Febris autem tenebat, & cibi non deorſum prodibant, & primum quidem deliravit, nocte vero ceſſavit. Sequenti autem die voce deſtitutus jacebat ſtertens, diſtortos habens oculos, febricitans. Penna vero immiſſa vomuit bilem atram, & quum infuſum per clyſterem immiſſum eſſet, ſtercus prodiit multum.

Servæ Ariſtionis pes ſua ſponte marcore corruptus obtorpuit, juxta medium pedis intrinſecus ex obliquo; & oſſa putrida facta abſceſſerunt, & prodibant paulatim fiſtuloſa, & ventris profluvium ſuccedebat, & mortua eſt.

Mulier ſana, craſſa, a catapotio conceptus gratia accepto, dolorem habebat ventris, & tormen in inteſtino, & intumuit. Spiritus autem ſiſtebatur, & deſperatio erat cum dolore, & ſanguinem vomuit non multum, & emortua eſt quinquies, ut vita deceſſiſſe putaretur, & neque vomitu facto ab aqua frigida laxabatur, neque dolor præſens, neque ſpiratio. Superfuſæ vero ſunt ipſi aquæ frigidæ amphoræ circiter triginta ſuper corpus, & ſane hoc ſolum prodeſſe videbatur, & poſtea deorſum proceſſit bilis multa. Quum autem dolor obtineret, nihil poterat ſecedere, & vixit.

Antander a catapotio accepto, cætera ſanus erat. Verum circa veſicam dolorem habere videbatur, purgavit ipſam celeriter multo purgamento, & a meridie dolor tenebat fortis valde, & in poſteram diem ſtrangulatio, & deſperatio, & jactatio, & vomebat, & nihil per ſeceſſum egerebat, & noctu patiebatur, & ſomnus non accedebat, poſtridie vero egerebat multum, & poſtea ſanguinem, & mortuus eſt.

Athenadæ puero masculo a Phagedæna ulcere corroso, doluit a sinistra parte dens infernus, a dextra supernus. Hujus auris dextera suppurata est, dum non amplius doleret.

Sutor in Pityo, dum soleas veteramentarias sueret, pupugit se ipsum supra genu in femur, & ferme longum digitum immersit. Huic sanguis quidem nullus effluxit. Vulnus autem cito clausum est, femur autem totum in tumorem elevabatur, & procedebat hic tumor usque ad inguen, & lateris mollitudinem. Hic tertia die mortuus est.

Quidam juxta inguen sagitta percussus, quem nos vidimus, maxime præter omnem opinionem servatus est. Neque enim cuspis exempta est, erat enim valde in profundo, neque sanguinis eruptio ulla memorabilis fiebat, neque inflammatio, neque claudicavit. Cæterum cuspidem invenimus nos, ipsamque exemimus, quum sex jam essent anni, ex quo sauciatus erat. Suspicio autem erat hæc, inter medios nervos cuspidem occultatam fuisse, nullamque venam, aut arteriam dissectam esse.

Qui percussus est spiculo acuto retrorsum paulo infra collum, vulnus quidem habebat non memorabile adspectu, neque enim in altum ferebatur, verum non multo tempore postea exempto spiculo, distendebatur in posteriorem partem tractus, velut opisthotonici, & maxillæ ligatæ erant, & si liquorem aliquem in os sumeret, eumque deglutire conaretur, rursus relidebatur ad nares. Cæteraque statim pejora fiebant, & secunda die mortuus est.

Adolescens per asperam viam cursu facto, dolebat tibiam, maxime inferna parte. Abscessum autem locus accepit nullum, velut qui colligeret humorem. Verum tertia die totus locus nigres-

cebat usque ad talum, astragalum appellatum, & usque ad cavitatem, quæ est ad pectus pedis, & quod denigratum erat, non diffringebatur, sed prius moriebatur. Viginti vero dies ex toto a cursu vixit.

Qui ad oculum percussus est, percussus quidem est in palpebram, descenderat autem cuspis alte satis, barbæ vero summum supereminebat. Secta palpebra sublata sunt omnia. Nihil erat mali. Oculus enim permansit, & compendio sanus factus est. Sanguis autem effluxit large, & multa copia.

Virgo illa pulchra Nerii filia, erat quidem annorum viginti, verum a muliercula amica ludente, lata manu percussa est in sinciput, & tunc quidem vertigine capta est, & sine spiritu erat, & quum ad domum venisset, statim febris vehemens corripiebat, & caput dolebat, & rubor circa faciem erat. Septima die circa aurem dextram pus processit graveolens, subrubrum, amplius cyatho, & videbatur sibi melius habere, & levata est. Rursus augebatur febris, & in soporem deferebatur, & loqui non poterat, & faciei pars dextera trahebatur, & difficulter spirabat, & convulsio, ac tremor aderat, & lingua detinebatur, & oculus stupidus erat. Nona mortua est.

Cleomenis filius hyeme initio facto cibum aversabatur, & ejus fastidio citra febrem vexabatur, & vomebat cibos, ac pituitam, & per duos menses cibi fastidium durabat.

Coco in spina gibbositas facta est ex phrenitide. Huic nulla medicamenti potio conferebat. Verum vinum nigrum, & panis esus, & balneorum abstinentia, & frictio, & lenis fotus non cum multo fomento, sed placide.

Cuidam, quæ circa vigesimum ætatis annum biberat pharmacum ad fetum perdendum, acci-

dit dolor, vomitus bilioforum, multorum, pallidorum, ac prafinorum. Quum bibiffet, convulfio tenebat, linguam commandebat. Ad quartam diem ad ipfam ingreffus fum, & erat ei lingua magna, nigra. Oculorum autem alba erant rubra; infomnis. Quarta mortua eft ad noctem.

Origanum potum oculis, & dentibus malum eft.

Puella, quæ de rupe cecidit, voce deftituta, jactatio aderat, & vomuit ad noctem fanguinem multum, quum ad finiftram aurem impegiffet, amplius inde fluebat. Aquam mulfam difficulter deglutiebat, ftertor, fpiritus denfus, velut morientium. Venæ circa faciem diftentæ, decubitus fupinus, pedes tepidi, febris debilis, vocis interceptio. Septima vocem rupit, calores tenuiores tenebant, fuperftes manfit.

Pythocles ægrotantibus aquam, & lac multa aqua ammixta dabat. Perniones pertundendi, & calefaciendi funt pedes, fic ut maxime excalefacias igne, & aqua. Oculis incommoda funt lenticula, fructus pomorum dulces, & olera. Doloribus circa lumbos, & crura, & coxam ex laboribus obortis, aquæ marinæ, acetique calidum fomentum confert, ita ut vel afpergas, vel fpongiam his imbutam adhibeas. Deligare vero oportet lanis fuccidis, & pellibus agninis. Fullonibus inguina extuberabant dura, & fine dolore, & circa pubem, & in collo fimilia erant tubercula magna; febris ante decimum diem. Tuffi vexabantur a ruptionibus. Tertio menfe, aut quarto venter colliquivit. Calores fucceflerunt, lingua ficca, fitis, egeftiones deorfum malignæ, mortui funt.

Qui lapide in caput percuffus eft a Macedone, & corruit tertia die voce deftitutus erat; anxietas, febris tenuis, pulfus non valde in tempo-

ribus. Nihil omnino audiebat, neque ſapiebat, non quietus, ſed quarta movebatur; humiditas circa frontem, & ſub naſum, & uſque ad mentum, & mortuus eſt.

Eniates in Delo jaculo ictus retro in latus in ſiniſtra parte, ulcus quidem ſine dolore habuit. Tertia vero ventris dolor vehemens: non egerebat. Infuſo vero per clyſterem immiſſo, ſtercus prodiit ad noctem, afflictio intermittebat. Sedes ad ſcrotum exſtabat. Quarta & ad pubem, & ventrem dolor irruebat, quieſcere non poterat, bilioſa vomuit abunde colorata. Oculi quales animi deliquium incidentium. Poſt quintum diem mortuus eſt. Calor quidam tenuis inerat.

Ei, qui hepar percuſſus eſt jaculo, ſtatim color qualis eſt mortuorum, per corpus diffuſus eſt, oculi cavi, anxietas, moleſtia. Mortuus eſt, priuſquam concio ſolveretur, quum ſub diei exordium percuſſus fuiſſet.

Polemarchi uxori hyeme anginoſæ, tumor ſub guttur, febris multa, vena ſecta eſt, ceſſavit ſuffocatio ex faucibus, febris comitabatur. Circa quintam genu dolor, ac tumor ſiniſtri, & circa cor videbatur ipſi aliquid colligi, & reſpirabat velut hi, qui ſubmerſi fuerunt, reſpirant; & ex pectore ſubſtrepebat, velut qui concluſo ore loquuntur, Engaſtrimythi, quaſi ex ventre loquentes, Græcis appellati. Tale quiddam contingebat. Circa ſeptimam, aut nonam ad noctem alvus deorſum prorupit, & multa liquida, quæ mala putantur, egeſſit. Ipſa vero voce intercepta, mortua eſt.

Ventres ſubpurgare oportet in morbis, quum matura fuerint, infra quidem, ubi conſidiſſe videris. Signum habes, ſi neque anxii, aut capite gravati fuerint, & quum calores mitiiſſimi fue-

rint, aut quum post exacerbationes cessarint. Sursum vero in exacerbationibus. Tunc enim etiam sua sponte elevantur, quum anxii, & capite gravati fuerint, ac se jactarint.

Ex casu vulnerato cubito, ob corruptionem cubitus suppuratur. Quum autem jam maturus est, viscosa sanies exprimitur. Velut etiam Cleogenisco, & Demarcho Aglaotelis filio. Similiter autem, & valde ex iisdem pus nullum. Velut Æschyli filio contigit. Suppuratis autem plurimis horror, & febris succedebat.

Parmenisci filio surditas accidit. Contulit clysterem auricularium non adhibere, verum lana solum indita perpugare, & oleum infundere, aut netopum. Præcipere vero, ut deambularet, mane surgeret, & vinum biberet album.

Aspasii uxori dolor dentis vehemens, & maxillæ in tumorem elevatæ sunt. Quum vero castorium, & piper collueret, opem sentiebat.

Callimedontis puero contulit ad tuberculum, quod habebat in collo durum, & magnum, & crudum, ac dolorosum, sectio venæ brachii, & lini torrefacti cataplasma imponere subactum vino albo, & oleo imbutum, ita ut deligetur neque calidum, neque valde coctum. Aut cum aqua mulsa coquatur fœni græci, aut hordei, aut tritici farina.

Melissandro quum gingiva dolore corriperetur, & vehementer intumesceret, sectio venæ brachii: & alumen Ægyptium in principio sedabat.

Hydropicum laboribus fatigari oportet, sudare, panem edere calidum, in oleo bibere, non multum lavari, & caput tepide. Vinum autem album, & tenue, & somnus auxiliatur.

Bianti pugili quum natura vorax esset, contigit ut in affectiones cholericas, bilis sursum, ac deorsum exeuntis delaberetur, ex carnis esu.

Maxime vero ex porcinis carnibus crudioribus, & ex ebrietate vini odorati, & placentis, ac dulciariis ex melle, & cucumere, pepone, & lacte, & polenta recenti.

In æstate affectiones cholericæ, & febres intermittentes.

Timochari hyeme destillatio, maxime in nares, quum venere usus esset, resiccata sunt omnia, lassitudo, calor successit, caput grave, sudor a capite multus, defluebat autem & per totum corpus. Erat autem etiam sanus sudare adsuetus. Tertia die evasit sanus.

Post canem febres fiebant sudorosæ, & non perfrigerabantur omnino post sudorem, sed rursus amplius incalescebant, & longæ, & leniter sine judicatione, & non valde siticulosæ; paucis in septem, & novem diebus cessabant. Undecima, & decimaquarta, & decimaseptima, & vigesima judicabantur.

Polycratem febris invadebat, & sudor qualis præscriptus est. Purgatio a pharmaco deorsum facta est, & febris erat lenis. Rursus in temporibus sudores parvi, & circa collum, ad vesperam. Deinde in totum, & rursus incaluit. Circa duodecimam, & decimamquartam diem febris augescebat, & secessus pauci, post purgationem sorbitionibus usus est. Circa decimamquintam ventris dolor circa splenem, & lateris mollitudinem sinistram. Calidorum adhibitiones minus profuerunt, quam frigidorum. Quum autem leni, ac molli per clysterem infuso usus esset, dolor cessavit.

Magnæ navis gubernatori anchora digitum indicem, & infernum os dextræ manus confregit, inflammatio successit, & marcor, & febris. Subpurgatus est moderate. Calores lenes, & dolores, de digito quid decidit. Post septimum

diem fanies exibat lenis, poftea per linguam dixit fe non omnia poffe enunciare. Prædictum eft opifthotonum adventare. Ad hoc conferebant maxillæ confertæ, & ad collum rigidæ. Tertia vero die totus convellebatur in pofteriorem partem cum fudore. Sexta a prædictione mortuus eft.

Harpali filius ex liberta Telephane, luxationem infra in pede magni digiti paffus, inflammatus eft, & dolorofus erat, & ubi repofitus eft, & dolor remifit, proficifcebatur ad agrum: rediens lumbos doluit, lavit, maxillæ ad noctem conferebantur, & opifthotonus aderat. Saliva fpumofa vix per dentes foras prodibat. Tertia die mortuus eft.

Thrinon Damonis filius habebat circa tibiæ malleolum ulcus juxta nervum fane jam purum. Huic a pharmaco corrofo contigit, ut opifthotono moreretur. Profecto in omnibus fuppurationibus, & his, quæ circa oculum funt, dolores ad noctem. Tuffes hyeme, maxime in auftrinis, craffa, & multa alba exfcreantibus, & febres fuccedebant leniter, & quinta die ceffabant. Tuffes autem circa quadraginta, velut Hegefipoli.

Eutychides ex cholericis affectionibus, in cruribus ad nervorum diftentionem defivit, una cum feceffu deorfum. Bilem multam abunde coloratam vomuit ad tres dies, ac noctes valdeque rubram, & impotens erat, & anxius. Nihil autem continere poterat neque ex potibus neque ex cibis, & urinæ, ac tranfitus deorfum fuppreffio multa. Per vomitum fæx mollis prodiit, & deorfum quoque erupit.

Androphani vocis interceptio, ignorantia, delirium. His folutis fupererat adhuc diu multis annis, & recidivæ fiebant. Lingua vero per totum tempus permanebat ficca, & fi non collutione uteretur, loqui non poterat, & plerumque

erat valde amara. Aliquando etiam dolor ad cor, quem venæ sectio solvit. Huic aquæ potus, aut aqua mulsa contulit. Veratrum nigrum bibit, neque biliosum prodibat, sed modicum. Tandem hyeme decubuit & mente motus est, & linguæ affectiones similes, calor tenuis, sine dolore, lingua decolor. Vox peripneumonica, de pectore stragula rejiciebat, & se educi jubebat. Nihil autem poterat clare loqui. Ad noctem mortuus est.

Nicanoris affectio erat, quum ad convivium progrederetur timor tibicinæ, quum sub initium vocis tibiæ, in convivio tibia canere audivisset, præ timoribus turbationes. Vix se sufferre posse dixit, quum nox esset. Interdiu vero audiens, nihil commovebatur. Talia comitabantur ipsum multo tempore.

Damocles, qui cum illo erat, cæcutire, & corpore exsoluto esse sibi videbatur, & non accessisset sane ad præruptum locum, neque trans pontem, neque minimi scrobis altitudinem transgredi poterat, sed per ipsam scrobem. Hæc per tempus aliquod ipsi affuerunt.

Phœnicis affectio ex oculo dextero talis quædam erat, plerumque velut fulgur elucere putabat. Quum autem non diu ipsum continuisset, dolor ab tempus dextrum instabat, & per totum caput, ac collum. Caput intumescebat retro ad verticula, & distentio, & durities circum tendines, & ubi caput commovere, aut dentes diducere conabatur, non poterat, ut qui valde distendebatur. Vomitus, ubi facti fuissent, prædictos dolores avertebant, & leniores faciebant. Sed & venæ sectio proderat, & veratri potio, eduxit autem varia, & omnigena, maxime vero prasina. Parmenisco etiam prius incidebant tristitiæ, & decedendi e vita cupiditas. Quandoque vero rursus lætitia.

Cononis ſerva ex capitis dolore incipiente, mente mota eſt: clamor, querelæ multæ, raro quies. Circa quadrageſimum diem mortua eſt. Decem autem diebus ante mortem voce deſtituta, & convulſa fuit.

Adoleſcens quidam multo meraco poto, ſupinus in habitaculo quodam dormiebat. Huic ſerpens Arges appellatus in os ingreſſus eſt, & ſane quum ſenſiſſet, & loqui non poſſet, dentibus ſtridit, & ſerpentem devoravit, & dolore magno tenebatur, & manus prætenſas adhibebat, velut qui ſtrangularetur, & jactabat ſe ipſum, & convulſus mortuus eſt.

Timocharis ſervus, ex atrabiliariis eſſe putatus a talibus, ac tot viris, ſimiliter mortuus eſt circa eaſdem dies.

Nicolai filius circa ſolſtitium hybernum ex potationibus horruit. Ad noctem febres, poſtridie vomitus bilioſus, merus, modicus. Tertia die quum concio fori adhuc plena eſſet, ſudor totius corporis. Ceſſavit.

Diopithis ſorori in ſemitertiana, circa acceſſionem etiam cor graviter dolens, & concomitabatur etiam is dolor tota die, hujuſmodi cordis dolor etiam aliis ſimiliter aderat. Verumtamen ſub plejadis occaſum viris talia rariora fiebant.

Epicharmi uxori, antequam pareret, dyſenteria erat, dolor vehemens, ſeceſſus, recrementa ſubcruenta, mucoſa. Ubi peperiſſet, ſtatim ſanata eſt.

Polemarchi uxori in morbo articulari, coxæ dolor quidam vehemens cauſſa erat, quod menſes non prodirent. Vox intercipiebatur per totam noctem uſque ad meridiem. Audiebat autem, & ſapiebat, & per manum ſignificabat, quod circa coxam eſſet dolor.

Epicharmo circa plejadum occaſum, dolor humeri, & gravitas in brachium, anxietas, vomitus multi, aquæ potus. Euphranoris filio puſtulæ velut culicum morſus, verum modico tempore: poſtridie febricitavit. Siccitates multæ poſt Favonium factæ ſunt uſque ad æquinoctium autumnale. Sub canem æſtus magni, calidi venti. Febres ſudorificæ. Tubercula juxta aurem multis oborta ſunt.

Tychon in obſidione circa Datum a catapulta percuſſus eſt in pectus, & paulo poſt riſus erat circa ipſum tumultuoſus. Videbatur autem mihi medicus eximens lignum, reliquiſſe aliquid de ſpiculo in ſepto tranſverſo. Et quum ipſi videretur, ad veſperam infuſum per clyſterem adhibuit, & pharmacum deorſum purgans dedit. Noctem primam tranſegit moleſte. Statim vero ubi dies illuxiſſet, & medico, & aliis melius habere videbatur. Erat enim quietus. Prædictio facta eſt, quod ubi convulſio fieret, brevi eſſet moriturus. Sequenti itaque nocte moleſte habens, inſomnis, plerumque in ventrem decumbens, tertia exoriente die convellebatur, & tunc mortuus eſt.

Billo percuſſo in dorſum, ſpiritus multus per vulnus cum ſtrepitu proceſſit. Sanguis erumpebat. Ubi vero medicamentum cruentis vulneribus deſtinatum adhibitum, ac deligatum eſſet, ſanatus eſt.

Contigit & Philes filio, denudatione in fronte facta, nona die febris, deinde os livefactum eſt. Mortuus eſt. Et Phaniæ, & Evergetæ filio, livefactis oſſibus, & febricitantibus, cutis ab oſſe diſceſſit, & pus non comparuit.

Ariſtippus in ſupernum ventrem violenter, ac graviter ſagittæ ictu petitus eſt. Ventris dolor vehemens, & brevi ardebat, deorſum vero non

egerebat, anxius erat, biliosa abunde colorata quum vomuisset, melius habere videbatur, paulo post rursus dolores vehementes, & venter velut in volvulis, calores, sitis, & in septem diebus mortuus est. Neapolis similiter percussus, eadem passus est; acri infuso per clysterem immisso, alvus deorsum erupit, color per corpus diffusus est, tenuis, palidus, niger, oculi sicci, stupore rigidi intus conversi, intuentes in corde.

Metrodori filio ex dentis dolore, maxillæ marcor, & gingivarum carnis superexcrescentia. Moderate suppuratus est, exciderunt dentes molares, & ipsa maxilla.

Mulieri in Abderis carcinoma obortum est circa pectus, & per mammam fluebat sanies subcruenta, obturata vero fluxione, mortua est.

Plerique ex destillatione secundum dimidiam capitis partem dolebant & humore secundum nares procedente febricitabant leniter, & in quinque diebus perfrigerabantur.

Et quæ in partu concussa fuit, dolor circa pectus, & latus factus est, exscreationes purulentæ. Tabes constitit; febres per sex dies. Rursus alvi profluvium, quies, febris, alvus adstricta est, & circa septimam diem mortua est.

Anginosa quædam dextram manum, & crus doluit, febris tenebat debilis, strangulatio tertia die remisit; quarta convulsa, voce destituta, stertor, dentium contritio, maxillarum rubor. Mortua est quinta, aut sexta die. Signum circa manum sublividum. Alia quoque in palato stertorosa, lingua sicca, peripneumonica, non desipiens mortua est. Et in Olyntho hydropicus, derepente voce destitutus, desipiens per noctem, ac diem, mortuus est.

HIPPOCRATIS
LIBER VII.
EPIDEMICORUM.

PRÆFATIO.

Ejusdem auctoris est cum libro V. & multa in utroque libro repetuntur. Adnotationes sunt, absque ordine in adversaria relatæ, potissimum de phrenitide, febribus continuis, hydrope, morbis gravidarum, chirurgicis etiam casibus. Terpida fetum totis novem annis in utero gessit."

Ceterum uberrimus epidemicorum liber longe plures morborum historias continet, in operis principio optimas.

SECTIO I.

POst canem febres fiebant sudorificæ, & non perfrigerabantur penitus post sudorem, sed rursus incalescebant: & leniter longæ, & judicatu difficiles, & non valde siticulosæ, paucis in septimo, & nono desinebant, aliis undecimo, & decimo quarto, & decimo septimo. Polycrati febris, & sudor, qualis descriptus est, a medicamento purgatio deorsum vehementer, & febris adeo lenis facta est, ut obscura consisteret, præ-

terquam in temporibus, & ſudores ad veſperam circa caput, collum, pectus. Deinde rurſus etiam per totum ventrem, & rurſus incaleſcebat. At circa duodecimum, & decimum quartum febris aucta eſt, & modicæ alvi ſubegeſtiones. Poſt purgationem uſus eſt ſorbitionibus. Circa decimum quintum dolores ventris juxta ſplenem, & ſiniſtram lateris mollitudinem. Calidorum appoſitio minus profuit, quam frigidorum. Quum infuſo per clyſterem molli uſus eſſet, ceſſavit dolor. Idem quoque Cleocidi profuit ad dolorem ſimiliter habentem, itemque febrem. Circa decimam ſextam calores leniores eſſe videbantur, & egeſtiones bilis méracæ, & animus audacior, ſpiritus autem moderatus. Quandoque vero acervatim adtractum, rurſus acervatim exſpirabant, velut præ animi deliquio, aut velut in umbra deſidens reſpirare ſolet is, qui per æſtum iter fecit. Decima ſeptima itaque die deſidens in ſellam, animi deliquium incidit, & multo tempore ſine voce, ac ſenſu jacebat, & vix aquam mulſam ſuſcipiebat, fibras in collo diſtendens, utpote faucibus reſiccatis, ac omni virium exſolutione præſente. Vix itaque intra ſe ipſum erat, & calores leviores fiebant. Poſtea vero deſiit morbus vigeſima ſecunda die. Pythodoro eodem tempore febris continua, octava die ſudor obortus eſt, & rurſus incaleſcebat. Decima rurſus ſudor, duodecima ſorbuit ſuccum, & uſque ad decimam quartam obſcura erat, in temporibus autem comparebat, & ſine ſiti erat, & ipſe ſibi ipſi ſanus eſſe videbatur. Sudores fiebant omni die. Decima quinta juſculum pulli ſorbens, vomuit bilem, & alvus infra exturbata eſt, & febris exacerbata eſt; rurſus deſiit, & ſudores fiebant multi, & corpus totum perfrigeratum erat, exceptis temporibus. Pulſus non defecit.

cit. Videbatur quievisse modico tempore, ut incalescere se putaret. Vigesima quarta quum jam gustaret cibos multis diebus, & pransus esset, multa erat febris, & ad vesperam delirium, accedente simul etiam somno. Detinebat itaque jam continua, & vehemens, & quandoque unam, quandoque duas noctes vigilabat, reliquo vero tempore somnus abunde contingebat, ut operosum esset excitare, & delirium in somno, & si quando ex somno excitatus esset, vix ipse sui ipsius erat compos. Sitis exors. Spiritus moderatus, talis aliquando, qualis Polycrati. Lingua non decolor. Post septimam recidivæ succi exhibebantur, post decimam quartam cibus. Circa primos septem eructabat, ac revomebat, quandoque cum potu subbiliosum, citra anxietatem, donec alvus deorsum soluta est. Sudores post recidivam defecerunt, nisi quis circa frontem esset tantillus, ut vix significationem de se præberet, lingua ex somno, si non collueretur, subalba præ siccitate, & eruptiones ulcerum circa ipsam, & in labio inferno, & circa dentes, alvi egestiones paucæ. Circa decimam quintam ut recidiva facta est, frequentiores, & viscosæ. Decoctum malicorii sedavit ipsas. Urinæ quales sunt diuturnæ. Sub ultimum tempus dolor pectoris deglutienti potum, & manus in pectore. Cuminum, & ovum absorbenti sedatus est, linguæ raritas profuit. Quinquagesima a prima circa arcturum sudores breves juxta lumbos, & pectus; & corpus perfrigerabatur, exceptis temporibus, valde modico tempore. Prima & quinquagesima remisit, nec iterum apprehendit.

Eratolai filius circa æquinoctium autumnale dysentericus fiebat, & febris tenebat. Egestiones alvi erant biliosæ, tenues, multæ, & moderate

ſubcruentæ. Dolor autem ventris vehemens. Ubi ſerum, & lac bibiſſet, ſilice candefacto immiſſo, dolores, & ſubcruentæ egeſtiones moderatiores fiebant, ſed bilioſæ comitabantur, & ſæpe ad exonerandam alvum ſurgebat, ſed minore dolore. Febricula vero & ægroto, & multis omnino non adeſſe videbatur per omne tempus, poſt primos ſex dies adeo obſcura erat. Verum juxta tempora pulſus erat, & lingua præ ſiccitate ſubalba, & moderate ſiticuloſus, & ſine ſomno. Sorbitionibus autem jam utebatur, & vinis. Quum jam ad decimum quartum diem perveniſſet, tubercula circa aurem oborta ſunt tum alteram, tum utramque, dura, ac cruda: omnia diſparuerunt, moderate autem doloroſa erant, Quum autem non deſinerent egeſtiones, & ſemper bilioſæ eſſent, abſorbenti herbam in farina, bilioſæ egeſtiones, & dolores ad tempus aliquod mitiores facti ſunt, liquidas vero multas ſæpe egerebat, & cibos valde averſabatur, & omni neceſſitate coactus admittebat. Calor autem, & lingua, & ſitis tales ſequebantur, quales dicti ſunt, & ſudores nulli. Oblivio vero hujuſmodi quædam. Ubi interrogaſſet de eo, quod paulo antea audiviſſet, medico interpoſito tempore rurſus interrogabat: & rurſus repetebat, velut qui non dixiſſet, & ſe deſidere obliviſcebatur, niſi quis ipſum commonefeciſſet, & ipſe ſibi ipſi conſcius erat hujus affectionis, neque ignorabat. Spiritus qualis ſano. Ultra trigeſimum vero uſque ad quadrageſimum diem, & dolor ventris multum augeſcebat, & ſupinus decumbebat, & ſe convertere ne tantillum quidem poterat, & quia dolor vehemens erat, aliis, qui cibum exhiberent, opus habebat. Alvi egeſtio erat multa, & diſcreta, tenuis, & calores vinoſi, quæcumque tandem ingeſſiſſet, &

quandoque ſubcruenti, & corporis dolor, colliquatio extrema, & impotentia, & ne alio quidem ſublevante ſurgere amplius poterat. In medio vero umbilici, ac oſſis pectoris, circa hanc ſedem adhibita manu, talis palpitatio erat, qualis neque a curſu, neque a timore circa cor generari poſſit.

Bibenti lac aſininum coctum, novem heminarum Atticarum menſura ad duos dies, biliofa purgatio vehemens oborta eſt, & ceſſaverunt dolores, & ciborum appetentia acceſſit. Poſtea vero bubuli lactis crudi quatuor heminas Atticas bibit, pro vice una cyathos duos, in diem, primum ſextam aquæ partem admiſcens, & vini nigri auſteri parum. Semel autem in die cibum capiebat ad veſperam. Panis erat ad menſuram dimidiæ chœnicis ſubcineritius, & piſciculus petroſus ſimplex, aut caruncula capræ, aut oviculæ. Potus lactis poſt primos decem dies, ad quadraginta uſque ſine aqua, cum vini nigri modica parte. Poſt ſeptuageſimum jam a primo diem, a balneo ad noctem, ſudor exiguus obortus eſt. Utebatur autem modico potu, & poſt cibum potu auſteriore.

Cteſicrati lac in farina magis quam ſerum caprinum contulit, quum dolor eſſet circa totum ventrem, & dolores cum multa ad egerendum ſurrectione, ac ſubcruenta egeſtione, & tumor circa pedes fere jam ad dies vigintiquinque eſſet. Et Adriano eadem contulerunt. Verum Cæneæ filio lac aſininum coctum.

Cydis filio circa ſolſtitium hybernum rigor, & febris, & auris dextræ dolor, & capitis dolor. Talis autem auris dolor ſtatim a parvo puero ipſum comitabatur, fluidus, fiſtuloſus, & gravis odoris. Quum autem ita ſe haberet, plerumque doloris exſors erat. Tunc autem dolor erat vehemens, & capitis dolor, ſecunda, aut tertia

die bilis vomitus, desidenti exonerandi ventris gratia, prodiit excrementum subbiliosum viscosum, velut ex ovo subpallidum. Quarta, & quinta ad noctem aliquantum delirabat, & dolor capitis, ac auris vehemens, & febris. Sexta alvi egestio a mercuriali, & calor, & dolor cessasse videbatur. Septima velut sanus. In temporibus autem dolor non defecit, sudor nullus obortus est. Octava succum sorbuit, ad vesperam autem betæ succum, & in noctem somnus, & valde doloris exsors, & nona lætabatur ad solis occasum. Verum ad noctem capitis, & auris vehemens dolor. Contigit quoque aurem pure manare circa hoc tempus, quum maxime doleret statim a principio. Totam vero noctem nonam, & sequentem diem, ac noctis magnam partem, neminem noscebat. Verum suspirans perseverabat, in die vero intra se ipsum erat, & dolores cessabant, & calor moderatior erat. Quum autem sorbuisset mercurialem, undecima egessit per alvum pituitosa, mucosa, maleolentia; duodecima, & decima tertia moderate habebat. Decima quarta initio mane facto, usque ad meridiem per totum corpus sudabat, cum somno, & sopore multo, ut operosum esset ipsum excitare: ad vesperam experrectus est, & corpus quidem moderate perfrigeratum est, in temporibus autem pulsus perseverabat, decima quinta, & decima sexta succis usus est. Decima septima venit rursus dolor eorumdem ad noctem, & delirium, & pus fluebat. Decima octava, & decima nona, ac vigesima insani modo degebat. Vociferabatur autem adtollere se ipsum nitens, sed capiti dominari non potens, manibus protentis semper aliquid frustra venabatur. Prima & vigesima sudor exiguus circa latus dexterum, & pectus, & ca-

put. Vigesima secunda sudor circa faciem plurimus erat. Voce autem hoc tempore, si quidem valde conaretur, quæ volebat perfecte loquebatur. Si vero ex tempore citra conatum, semiperfecta: & os exsolutum, & maxillæ labia semper in motu, velut qui loqui vellet, & oculorum frequens motus ac intuitus, & color in dextro oculo velut dictum est suberuentus, & palpebra superna intumuit, & juxta maxillam rubor in fine, & venæ omnes in facie manifestæ adeoque contractæ, & oculis non amplius nictabat, sed intente intuebatur, & palpebras diducebat ad supernam partem, velut fieri solet ubi quid in oculum incidit, & quum biberet, descendentis potus in pectora & ventrem strepitus audiebatur, qualis & Chartadi. Spiritus leniter semper moderatus, lingua qualis est peripneumonicis cum pallore albicans, ab initio & semper capitis dolor. Collum semper immobile, ut una cum capite circumageretur opus habebat, & pars secundum spinam ex collo recta ac inflexibilis, decubitus quales dicti sunt, & non semper supinus decumbebat. At pus jam serosum album, multum negotii ad detergendum cum spongiis exhibebat, odor ejus valde excellens, circa postremum tempus pedum contactum non valde percipiebat.

Harpalidæ sorori prægnanti circa quartum aut quintum mensem tumores circa pedes aquosi fiebant, & oculorum cavæ partes intumescebant, & totum corpus in tumorem elevatum erat, velut in pituita alba affectis. Tussis sicca, rectæ cervicis spiratio, & ejusmodi anhelatio, & quandoque strangulationes a spiritu, ut sedens in lecto perseveraret, decumbere autem non poterat, sed etiam si qua somni expectatio esset, desidebat.

Sine febre erat leniter, & fetus ad plurimum tempus immobilis erat, veluti corruptus, & translabebatur. Comitabatur autem anhelatio fere ad duos menses. At quum fabis melle admixto, & eclegmate mellis usa esset, & Æthiopicum cuminum in vino bibisset, melius habuit. Postea tussiendo eduxit multa, matura, pituitosa, alba, & spiratio illa cessavit, peperit autem femellam.

Polycratis uxori æstate circa caniculæ sidus febris. Spiritus matutinus minor, a meridie magis, & paulo densior spiritus. Tussis, & exscreatio statim ab initio similis purulentis. Intus circa arteriam, & fauces subsibilabat stridula asperitate. Facies boni coloris, in maxillis rubor, non abunde coloratus, sed leniter floridus. Progressu vero temporis & vox raucosa, & corporis colliquatio, & circa lumbos eruptiones, & alvus circa postremum tempus liquidior. Septuagesima die febris extrinsecus valde friguit, in temporibus autem quies, spiritus vero frequentior fiebat. Verum post hanc quietem spiritus densior, adeo ut sedens perseveraret, donec mortua est. In arteria strepitus multus inerat, & sudores pravi, & intuitus valde modesti, usque ad extremum tempus. Dies accesserunt ipsi perfrigeratæ plures, quam quinque. Post primos autem purulentum exscreare perseverabat.

Mulieri supra portas habitanti jam seniori febricula oborta est, quæ quum jam desineret, colli dolor usque ad spinam, & lumbos, & harum partium non valde potens erat. Maxillæ erant compactæ, & dentes in se ipsos, plus quam ut specillum admitterent, & vox balbutiens, eo quod resolutum, & immobile, ac debile esset corpus, prudens tamen erat. Calefactoriis, & aqua mulsa tepida, tertia fere die hæc laxavit, &

poſtea ſuccis, & juſculis ſana evaſit, id quod ad finem autumnalis temporis contigit.

Apud Herpalidem unctor, crurum, ac manuum impotentior circa autumnum factus, bibit temere medicamentum ſurſum, ac deorſum purgans. Ex purgatione febris, & ad arteriam defluebat fluor, qui loquentem impediret, & faceret, ut inter loquèndum anhelaret, ſimiliter ut anginoſus raucoſus. Strangulatio deglutienti, & alia, quæ in angina. Verum tumor non erat. Febris autem, & tuſſis augeſcebat, & exſcreatio liquidæ, ac multæ pituitæ. Progreſſu temporis & dolor circa pectus, ac mammam ſiniſtram. Quum autem exſurgeret, aut commoveretur, anhelatio multa, & ſudor a fronte, & capite, & faucium affectio mollior erat, dolore ad pectus deſcendente. Ab initio igitur fabis melle admixto utebatur. Poſtquam autem febres detinebant, magis aceto mulſo calido, & mellis delinctu multo. Ubi præteriiſſent dies quatuordecim, omnia deſiverunt, & manuum, ac crurum non longe poſtea potens factus eſt.

Chartadi febris ardens, vomitus bilis multus, & infra alvi egeſtio, vigiliæ, & juxta ſplenem tumor rotundus. Tertia die mane ſurrexit, ſtrepitu circa ventrem citra dolorem percepto. Ubi vero alvum exoneraret, ſanguinis recenti plus, quam congii menſura ſubiit, & ubi iterum atque iterum cohibuiſſet, grumi concreti, anxietas circa cor, & os ventriculi, & ſudor per totum fere corpus, & febricula frigeſcere videbatur, & primum prudens erat, progrediente vero die & inquietudo major, & anxietas, & ſpiritus paulo denſior, & confidentius, ac benignius, quam pro tempore homines compellebat, ac excipiebat, & quædam animi deliquia accedere videbantur. Quum

autem exhiberent aliqui ſuccos, & aquam de farina craſſa in ipſa macerata, non ceſſavit, ſed ſpiritus ad veſperam valde multus erat, & jactatio multa, & ad dextera, & ad ſiniſtra tranſmovens ſe ipſum, nullo tempore quieſcere poterat. Pedes frigidi. In temporibus, & capite calor magis propinqua jam morte, & ſudores multi, & bibenti ſtrepitus audiebatur circa pectus, & ventrem deſcendentis potus. Quod vero peſſimum erat, ubi dixiſſet ſibi aliquid infra ſubire velle, & oculis intente intuitus eſſet, non diu ſe cohibens mortuus eſt.

Hermoptolemi uxori hyemis tempore febris, & capitis dolores; & quum bibiſſet, ut quæ difficulter deglutiret, ſurrexit, & cor ſe ſanaſſe dixit. Lingua livida ab initio. Occaſio videbatur ex horrore poſt balneum facta eſſe. Vigilabat & nocte, & die. Poſt primos dies interrogata, non adhuc ſolum caput, ſed & totum corpus ſe dolere dixit. Sitis quandoque vehemens, quandoque moderata. Quinta, & ſexta, & uſque ad nonam ferme delirium, & rurſus ad ſe ipſam loquebatur ſemiperfecta cum ſopore, & aliquando manum ad dealbatum parietem protendebat, & pulvinum quemdam frigidum ad caput ſitum, etiam pectoribus adhibebat, & ſtragula quandoque rejiciebat, & in oculo dextro ſubcruentum quid erat, & lachrymabatur. Urina autem erat, quæ in pueris ſemper peſſima eſt. Ex alvo egerebat ab initio quidem ſubfulva, poſtea vero aquoſa valde, & hujuſmodi coloris. Undecima moderatius calida eſſe videbatur, & quandoque ſitis exſors ſiebat, adeo ut niſi quis dediſſet, non peteret. Somni poſt primum tempus contingebant moderate interdiu; ad noctem vigil erat, & ad noctem magis dolebat.. Nona venter extur-

batus eſt aquoſis excrementis. Similiter etiam undecima. Sequentibus vero moderate multum ad egerendum ſurgebat, & talis egeſtio erat. Erant autem in prioribus diebus indignationes, & ejulationes, velut pueri, & vociferatio, & timores, & circumſpectiones, ubi ſopore excitata eſſet. Verum decima quarta operoſum erat ipſam continere exſilientem, ac clamantem derepente, & pertinaciter, velut ex plaga, & vehementi dolore, ac timore, velut ſi quis ipſam apprehenſam modico tempore detineret. Deinde rurſus quietem habebat, & ſopore preſſa dormiens perſeverabat omnino non videns, quandoque neque audiens, & totam hanc diem ad utrumque, modo ad tumultum, modo ad quietem tranſmutabat. Sequenti nocte per alvum ſubiit quid cruenti, velut mucoſum, & rurſus velut limoſum; poſtea praſina valde, ac nigra. Decima quinta repentinæ jactationes, & timores, & vociferatio lenis fiebat. Sequebatur autem efferatio, & indignatio, & ejulatio, niſi ipſi cito quod vellet, porrectum eſſet, & cognoſcebat quidem omnes, & omnia ſtatim jam poſt primos dies, & oculi ſubcruentum illud ſedatum eſt. Verum inſania juxta temporis occaſionem, & vociferatio, & mutatio prædicta ſequebatur ad ſoporem. Audiebat inæqualiter, aliqua valde, etſi ſubmiſſe quis loqueretur; aliqua vero clarius eloqui oportebat. Pedes ſemper æqualiter cum reliquo corpore calidi uſque ad extremos dies. Verum decima ſexta minus. Decima ſeptima moderatius quam aliis diebus habens, ad noctem horrore ipſi oborto, ſe contrahens magis febricitabat, & ſitis multa erat: reliqua ſimilia ſequebantur. Tremores autem circa manus fiebant, & aliquantum concutiebat caput, & oculorum intuitus pravi, & ſi-

tis vehemens: ubi bibiſſet, rurſus poſtulabat, & rapiebat, ac large bibebat, neque avellere ipſi poterant. Lingua ſicca, valde rubicunda, & os totum, ac labia ulcerata erant ac ſicca, & ambas manus ad os admovens manducabat, quum tremula eſſet, & ſi quis aliquid ad manducandum, aut ſorbendum obtuliſſet, large, ac furioſe deglutiebat, ac ſorbebat, & ſigna circa oculos mala. Diebus autem tribus, aut quatuor ante obitum, horrores quandoque incidebant ipſi, adeo ut contraheret corpus, & contegeretur, & anhelaret. Crura diſtendebantur, & pedes frigidi erant. Sitis ſimilis, & mentis affectiones ſimiles, & ſurrectiones ad egerendum, aut inanes, aut paucis, & tenuibus prodeuntibus, cum modica quadam tenſione. Poſtrema tertia & vigeſima, oculus magnus mane erat, & circumſpectio brevis, & quietem agebat, quandoque etiam abſque contectione, ac ſopore. Ad veſperam vero dextri oculi motus, qualis videntis, aut aliquid volentis, ab externo angulo, ad naſum, cognoſcebatque, & interroganti reſpondebat. Vox poſt multa ſubblæſa, & præ vociferatione fracta, ac raucoſa.

Amphiphradis filio æſtate lateris ſiniſtri dolor, & tuſſis, & alvi egeſtiones multæ, aquoſæ, & ſubbilioſæ; & febris ceſſaſſe videbatur circa ſeptimam. Tuſſis aderat. Color ſubalbidus, ac ſubpallidus. Circa duodecimam cum virore ſubpallidum ſpuebat. Spiritus progreſſu morbi ſemper denſior, & anhelatio, & ſtridula aſperitas circa pectus, & arteriam. Sorbitionibus utebatur. Prudens per omne tempus. Circa vigeſimam octavam mortuus eſt. Sudores quandoque fiebant foras.

Caupo peripneumonicus, alvus ſtatim ſubibat. Circa quartam ſudor multus, febricula ceſſaſſe videbatur, tuſſicula nulla, ut ita dicam. Quinta,

fexta, & feptima detinebat febris, fudor octava. Nona exfcreavit pallidum. Decima fubibat alvus acervatim non fæpe. Circa undecimam mitius habebat. Decima quarta fanus.

Hermoptolemo poft plejadis occafum febris acceffit. Tuffis non valde, lingua peripneumonica. Nona exfudavit, totus frigefactus eft, velut videbatur. Obtulerunt ipfi fuccum; circa meridiem calefcebat. Undecima fudor, & alvus erupit biliofis egeftionibus. Tufficula acceffit. Decima quarta pallidum exfcreavit, & ftertebat. Decima quinta quum per totum tempus prudens manfiffet, mortuus eft.

Alius quidam in palato ftertens: lingua ficca, peripneumonica: prudens mortuus eft.

Et Pofidonius adhuc æftate inftante, juxta pectus, & præcordia, & latus multo tempore dolebat citra febres. Multis autem annis antea fuppuratus fuerat. Hyeme vero quum inhorruiffet, dolor augefcebat, & febricula tenuis, & exfcreatio purulenta, tuffis cum ftridula afperitate circa fauces; & ftertens, quum prudens effet, mortuus eft.

Balis filius quum ex monte penitus aberraffet, fexta lingua prava, fubrubra, & vocem læferat inter aberrandum. Oculi colorati, natantes velut dormitantium; color reliqui corporis non valde velut in morbo regio, fed fubpallidum, lividum, vox prava, lingua obfcura, peripneumonica, non prudens. Spiritus ad manum malus, non denfus, neque magnus, frigidi pedes lapidofi. Circa nonam mortuus eft.

Quædam apud Metronem anginofa, dexteram manum, ac crus doluit. Febricula tenebat debilis, fuffocatio die tertia remifit. Septima convulfa: vox intercepta. Stertor, dentium collifio,

ac confertio, maxillarum rubor. Hæc non longevitam protraxit: quinta, aut fexta mortua eft. Signum circa manum fublividum.

Bion ex hydropico diuturno cibum averfabatur ad multos dies, & urinæ ftillicidio vexabatur. In finiftro genu abfceffus fiebat, fuppuratus eft, mortuus eft.

Ctefiphon hydropicus ex febre ardente multa, & prius hydropicus, ac fplenicus, valde repletus eft & fcortum, & crura, & peritonæum membranam, alvum, ac inteftina ambientem. Ad finem tuffis, & fuffocationes fiebant ad noctem, magis a pulmone, velut pulmonicis, ac tabefcentibus. Tribus, aut quatuor diebus ante diem obitus, rigor, febris, circa femur dextrum intus ad venam mediam ab inguine collectio velut ignis feri, fublividum habens ruborem. Ad noctem cordis, ac oris ventriculi dolor, & non longe poftea vocis interceptio. Strangulatio cum ftertore, & mortuus eft.

In Olyntho hydropicus, derepente voce privatus, noctem, & diem defipiens, mortuus eft.

Prodromi filius, æftate fubblæfus, æftuofus. Lingua ipfi fubarida, obfcura, egeftio alvi deorfum multa. Superftes evafit.

Leophorbidæ febris acuta poft folftitium hybernum, præcordiorum, & ventris dolor, alvi egeftiones liquidæ, biliofæ, multæ, & interdiu foporofus, lingua peripneumonica, tuffis non inerat. Duodecima nigra pauca, & prafina egeffit. Decimaquarta febricula ceffaffe videbatur. Poftea vero forbitionibus utebatur. Decima fexta os valde falfuginofum ficcum fiebat; ad fummam vefperam horror, febris. Vigefima prima circa meridiem rigor, & fudor, febris defiit, verum calor adhuc fuberat tenuis, ad noctem rurfus fu-

dor, & vigesima secunda ad noctem sudor, & calor remisit. At prioribus diebus omnibus sine sudore erat. Alvus autem humecta fuit etiam in putata postea recidiva.

Quæ superne habitabat Theoclis cognata: sub plejadas febris acuta, sexta videbatur cessasse; lavit velut febre sedata, septima mane maxilla valde rubicunda, utra non memini. In vespera febris venit multa, & animi deliquium, & vocis interceptio erat, non longe vero postea sudor, & quies cessante morbo septima die.

Theodori uxori in febre vehementi sanguinis eruptio facta est hyeme. Ubi febris desiisset circa nonam, non longe postea, lateris dextri velut ab utero gravitas. Sed & primum, & sequentibus diebus obortus est dolor vehemens juxta pectus, & fomento ad latus dexterum adhibito, remiserunt dolores quarta die, spiritus densior, arteria vix respirans subsibilabat, & supina difficulter se vertere poterat. Ad noctem febris acutior, & delirium breve fiebat. Quinta mane mitior esse videbatur: sudor de facie diffundebatur primum modicus, deinde multo tempore per totum corpus, ac pedes. Postea vero videbatur ipsi febris remisisse. Erat autem ad manum frigidius corpus quam arteriæ. Quæ vero in temporibus sunt etiam, magis saliebant, & spiritus densior, & alias atque alias delirabat, & omnia ad deterius. Lingua perpetuo alba valde, & tussis non inerat, nisi tertia, ac quinta die ad breve tempus. Sitis non erat. Sputatio erat. Præcordium dexterum valde elevabatur circa quintam, verum postea mollius. Egestio tertia die a balneo stercoris modici. Quinta rursus liquidi modici. Venter autem mollis. Urinæ acerbæ, cineris speciem referentes, oculi velut delassatæ: difficulter suspicie-

bat, ac circumferebat oculos. Quinta ad noctem ægre affecta fuit, & delirium sequebatur. Sexta rursus eadem hora, qua plenum solet esse forum, multus sudor diffundebatur: incipiebat a fronte ad totum corpus. Ad multum tempus prudenter res suas disponebat, ad meridiem vero valde delirabat, & perfrigeratio similis erat, omnia vero circa corpus graviora. Ad vesperam tibia ipsius ex cubili decidit, & puero præter rationem minabatur, & rursus silebat, & ad quietem convertebatur. Circa primum somnum sitis multa, & insania, & erecta sedebat, & præsentibus conviciabatur, & rursus conticuit, ac in quiete erat, & videbatur reliquum noctis sopore pressa esse. Verum oculos non clausit. Ad diem indicabat pleraque nutibus, corpore quiescens, & moderate intelligens. Sudor rursus eadem hora, similiter oculi demissi, ad infernam palpebram magis incumbentes, rigide, ac stupide intuentes, albæ oculorum partes pallidæ, & mortiferæ, & totum corpus pallidum, ac nigrum. Manum plerumque ad parietem, aut ad stragula habebat, strepitus autem bibenti magni fiebant, respuebat, & sursum ad nasum absorbebat, & floccos legebat, & faciem obvelabat. Post sudorem manus velut in glaciem congelatæ, sudor sequebatur frigidus, corpus ad manum frigidum, exsiliebat, vociferabatur, insaniebat, spiritus multus, manus tremulæ fiebant, sub mortem progressæ jam etiam convulsæ. Septima die mortua est. Sexta die in nocte stratum modice perminxit, quod minxerat de festucis detrahebatur, viscosum, genituræ simile. Vigilabat per omnes dies; post sextam urina subcruenta.

Antiphanis filio hyeme lateris dexteri dolor, tussis, febris: edebat, deambulabat etiam febriens.

Videbatur ruptio facta esse, nona remisit, febris non reliquit, tussis multa, & crassa, ac spumosa spuebat, latus dolebat. Circa decimam quartam, & rursus vigesimam febres desinere videbantur, & rursus corripiebant, erat autem calor tenuis, & parum quid relinquebat. Tussis quandoque deficiebat, quandoque abundabat, cum multa suffocatione. Tunc vero remittebat, & exscreatio post hos dies multa cum strangulatoria tussi, & purulenta supra vas efferventia, ac spumantia prodibant, & in faucibus plerumque stridula asperitas subsibilabat, anhelatio semper detinebat, & spiritus densior: raro bene spirabat. Ultra quadragesimum diem, prope sexagesimum opinor, oculus sinister excæcatus est, cum tumore, sine dolore: nec longe postea etiam dexter, & pupillæ valde albæ, ac siccæ fiebant, & mortuus est post excæcationem, non progressus ultra septem dies, cum stertore, ac multa deliratione.

Similia & ex similibus eodem tempore contigerunt etiam Thessalioni, ferventia, & spumantia, & purulenta, & tusses, & stridulæ asperitates.

Polemarchi uxori hyeme anginosæ tumor sub gutture, febris multa; vena secta est, cessavit strangulatio ex faucibus, febris comitabatur. Circa quintam genu dolor, & tumor sinistri, & circa cor dixit sibi videri aliquid colligi, & respirabat, velut respirant hi, qui sub aquam mersi fuerunt, & ex pectore substrepebat, velut qui concluso ore loquuntur, engastrimythi, quasi ex ventre loquentes, appellati. Tale quid contingebat. Circa octavam, aut nonam ad noctem alvus prorupit, ac liquida multa, acervata, & graveolentia egessit, vox intercipiebatur. Mortua est.

Ariſtippus in ſupernum ventrem violenter, ac graviter ſagittæ ictu petitus eſt. Ventris dolor vehemens, & brevi ardebat, deorſum vero nihil egerebat, anxius erat, bilioſa abunde colorata quum vomuiſſet, melius habere videbatur. Paulo poſt dolores rurſus vehementes, & venter ſimiliter ardebat, velut in volvulis, calores, & ſitis. In ſeptem diebus mortuus eſt.

Neapolis percuſſus ſimiliter, eadem paſſus eſt: acri infuſo per clyſterem immiſſo, alvus deorſum erupit, color per corpus diffuſus eſt tenuis: pallidus, niger, oculi ſquallidi, ſtupore rigidi, intus converſi, intente intuentes.

Ei, qui in hepar percuſſus eſt jaculo, ſtatim color qualis eſt mortuorum, per corpus diffuſus eſt, oculi cavi, anxietas moleſtia. Mortuus eſt prius, quam concio ſolveretur, in qua die percuſſus eſt.

Qui caput percuſſus eſt lapide a Macedone ſupra tempus dextrum, ita ut fiſſura ſaltem facta, diſſectio contigiſſet, vertigine affectus eſt, & cecidit. Tertia die voce deſtitutus erat, anxietas, febris non valde vehemens, pulſus in temporibus, velut tenuis caloris, nihil audiebat, neque ſapiebat, neque quieſcebat, humiditas circa frontem, & ſub naſum, uſque ad mentum. Quinta mortuus eſt.

Eniates in Delo jaculo percuſſus eſt retrorſum in latus juxta ſiniſtram partem. Ulcus quidem ſine dolore; verum tertia die ventris dolor parvus, non egerebat, infuſo per clyſterem immiſſo, ſtercus prodibat, & dolor deficiebat, ſedes extra ad ſcortum exſtabat, quarta die etiam ad pubem, & totum ventrem dolor vehementer irruebat, quieſcere non poterat, bilioſa vomuit abunde colorata, oculi cum virore pallidi, quales

les in animi deliquiis. Post quintam mortuus est. Erat autem calor quidam tenuis in ipso.

Billo percusso in dorsum, spiritus multus per vulnus cum strepitu prodibat, & sanguinem fundebat. Verum deligatus emplastro, cruentis vulneribus commodo, sanus evasit.

Contigit & infelicissimo Philes filio, denudatione in fronte facta, nona die febris. Deinde livefactum est os, mortuus est.

Phaniæ, & Evergetæ filio, livefactis ossibus, & febricitantibus, cutis ab osse discessit, & pus subtus depascebatur. His, dum perforarentur, ex ipso osse egressa est sanies tenuis, serosa, subpallida, graveolens, lethalis. Contingit autem talibus etiam vomitus accedere, & ad finem convulsiones: & ut clangorosam vocem edant, ac impotentes fiant, & si in dextris fuerit vulnus, in sinistra parte; si vero in sinistris, in dextra.

Theodori filio nona die in sole versato, febris accessit decima die, ex denudatione juxta os nullius momenti. In febre vero denudatum est, discessit cutis, multum clangorosus erat. Vigesima secunda venter elevatus est maxime circa præcordia. Vigesima tertia mortuus est.

Quibus ossa fracta fuerint, his septima die febres. Si vero calidius fuerit tempus, etiam citius. At si magis fracta fuerint, etiam e vestigio.

Exarmodi famulus similiter dolorem habebat ad femur, non e directo vulneris, & factus est clangorosus, & colli erat dolor. Et Polidocreon tertia convulsio; calor non relinquebat; mortuus est die decimo octavo.

Isagoræ filius percussus est retro in caput, contuso osse, ac nigrefacto: quinta die superstes evasit, os autem non discessit.

Magnæ navis gubernatori anchora digitum

medium, & os dextræ manus confregit. Inflammatio ſucceſſit, & marcor, & febris. Subpurgatus eſt. Quinta calores moderate remiſerunt, itemque dolores. De digito quid decidit. Poſt ſeptimum diem ſanies exibat leniter. Poſtea per linguam dixit ſe non omnia poſſe enunciare. Prædictio facta eſt opiſthotonum adventare. Ad hoc conferebant maxillæ conſertæ, & ad collum rigidæ. Tertia die totus convellebatur in poſteriorem partem, cum ſudore. Sed a prædictione mortuus eſt.

Harpali filius ex liberta Telephane luxationem infra in pede magni digiti accepit. Inflammatus eſt pes, & valde doloroſus erat, & ubi repoſitus eſt, & dolor remiſit, proficiſcebatur ad agrum. Rediens, lumbos doluit, lavit, maxillæ ad noctem conſerebantur, & opiſthotonus aderat, ſaliva ſpumoſa vix per dentes foras prodibat. Tertia die mortuus eſt.

Thrinon Damonis filius habebat circa tibiam, aut malleolum ulcus juxta nervum jam purum. Huic a pharmaco corroſo contigit, ut opiſthotono moreretur.

Menoni ſub arcturum, & prius, ex febre æſtiva, & alvi profluvio ægre affecto, & ex itinere delaſſato, dolor lateris ſiniſtri, & tuſſis, quæ ex deſtillatione quidem etiam prius aderat, verum tunc valde intenta erat, & vigilabat, & febrem ſtatim ab initio ægre ferebat, & erectus ſedens tertia die ſpuebat pallidum: arteria ex ſtertore ſubſibilabat. Circa quintam ſpiritus moderate denſus, pedes, tibiæ, extremæ partes plerumque frigidæ, & extra ſtragula. Alvi egeſtio ab initio fiebat bilioſa, neque valde modica, neque multa. Septima, octava, & nona levius ferre videbatur, & ſomni aliqui contingebant, &

quæ exſcreabat crudiora erant. Decima, & uſque ad decimam tertiam, alba, & pura, & præcordium mollius fiebat, ſiniſtrum tamen diſtentum, & melius ſpirabat. Subdita glande moderate alvus ſubiit. Decima tertia rurſus pallidum ſpuebat. Decima quarta magis. Decima quinta praſinum. Alvus autem maleolentia, bilioſa, liquida, multa demiſit. Siniſtrum præcordium elevabatur. Decima ſexta autem etiam valde intumuit, & ſpiritus jam ſtertoroſus, ſudor circa frontem, & cervicem, raro ad pectus, extremæ partes, & frons leniter permanebant frigidæ. Saltatio vero venarum circa tempora detinebat. Somni ſoporoſi noctem, ac diem poſtremo tempore. Urina ab initio cruda, cineris ſpeciem referens. Circa decimam, & uſque ad decimam tertiam tenues, & non decolores. Verum a decima tertia, quales ab initio.

Cleocho lateris dolor, & febris. Remiſit febris, ſudavit per totum corpus. In urina multa erant, quæ ferebantur, ac innatabant; poſtea turbata eſt.

SECTIO II.

Circa plejadum occaſum Olympiadæ uxorem, fetum octimeſtrem geſtantem, ex caſu febris acuta corripuit. Lingua æſtuoſa, ſicca, aſpera, pallida, oculi pallidi, & corpus mortiferum. Fetum corrupit quinta die, facile liberata eſt, & ſomnus ut videbatur ſoporoſus, veſperi excitantes non ſenſit, ſternutatorium adhibitum percepit, potionem ſuſcepit, & ſuccum, deglutiens potionem aliquantum tuſſivit: vox non ſolvebatur, neque ipſa quicquam levabatur ex

morbo. Oculi triſtes, ac ſubmiſſi, ſpiritus ſublimis per naſum trahebatur, color pravus, ſudor circa pedes, & crura, ubi jam morti propinqua eſſet, mortua eſt.

Nicolai concubinæ ex febre ardenti abſceſſus juxta aurem fiebant ab utraque parte, paulo poſterius alter, quum jam febris remittere videretur, velut tumor laxus. Circa decimum quartum magni citra ſigna ſedati ſunt, recidiva facta eſt. Color qualis mortuorum. Lingua aſpera, valde denſa, ſubalbida. Siticuloſa, alvi egeſtio deorſum multa, liquida, male olens per omne tempus. Ante finem corruptum eſt corpus præ multitudine egeſtionis. Mortua eſt circa vigeſimum diem.

Andream ante plejadem horror, febris, vomitus. Ab initio ſemitertiana apparebat. Verum tertiana erat. Quum rurſus in foro verſaretur, inhorruit: febris acuta, vomitus bilis meracæ, delirium ad noctem. Quarta rurſus melius habebat. Quinta difficulter. Sexta a mercuriali probe egeſſit alvus. Septima difficilius, & ſequentibus jam diebus febris magis continenter affligebat, & ſine ſudore ab initio, & ſiticuloſus. Maxime vero os reſiccabatur, & potionem nullam libenter admittebat, quum multa injucunditas circa os eſſet. Lingua ſicca, inarticulata, aſperitas effloreſcebat, cum pallore albicans. Vigil, anxius, exſolutus, fractus. Lingua præ ſiccitate quandoque ſubblæſa, donec madefeciſſet: ſuccum maxime admittebat. Nona, aut decima circa aurem ſiniſtram, atque etiam alteram tumores parvi citra ſigna apparuerunt. Urinæ ſemper non decolores, verum ſine ſubſidentia. Decima quarta ſudor circa ſupernas partes non multus, ſed moderatior. Calor circa decimam ſepti-

mam evanuit. Alvus poſt decimam ſicca, citra glandem ſubditam non egerens. Circa vigeſimam quintam puſtulæ per totum corpus pruriginoſæ calidæ, velut igne ambuſta. Dolor autem erat circa locos ſub alis, & latera; tranſivit ad crura citra ſigna, & deſivit. Balneum proderat, & unguenti illitio cum aceto. Menſe vero ſecundo, aut tertio fortaſſis, ad renes dolor, qui etiam antea quandoque fuerat, ſedatus eſt.

Ariſtocrati circa ſolſtitium hybernum laſſitudo, & horror, & calor. Poſtea tertia die incepit lateris dolor, itemque lumborum, & tumor ſub alis initium ſumens, per totum dextrum latus durus, rubicundus, lividus, velut ab igne calefactus, & inuſtus, anxius, omnia moleſte ferens, valde ſiticuloſus, lingua ſubalbida. Urinæ non procedebant, crura ſubfrigida, alvi egeſtio a mercuriali modica, liquida, ſubalbida, ſpumoſa, ad noctem ſpiritus elevabatur, ſudor circa frontem, partes infernæ frigidæ, collum inflabatur, tuſſis non inerat, mortuus eſt prudens.

Oneſianacti circa autumnum lippitudo, poſtea vero febris quartana. Incipiente quartana cibos valde averſabatur, in progreſſu vero libenter accipiebat. Sed & Polycharti in quartana ſimilia circa cibum accidebant.

Mneſianacti alvi egeſtio ante febrem, & poſtea, ad multum tempus ſequebatur, multis albis mucoſis prodeuntibus: & quandoque pauco ſanguine, citra dolorem. Strepitus autem in ventre. Poſt febrem abſceſſit circa ſedem tuberculum durum, quod multo tempore inconcoctum comitabatur, erupit ad inteſtinum, & foris fiſtuloſum fiebat. Deambulante vero ipſo in foro, ſplendores præ oculis obverſabantur, & ſolem non valde videbat. Quum autem parum diſceſ-

ſiſſet, extra ſe ipſum erat, & collum convulſum eſt. Poſtquam autem domum deportatus eſt, vix ſuſpexit, & ipſe vix ſui ipſius erat. Primum autem colluſtrabat circumſtantes, & corpus perfrigeratum eſt, vix vero recalefactus eſt utriculis, & fomentis adhibitis. Poſtquam autem ipſe intra ſe ipſum eſſet, & exſurgeret, non volebat exire, ſed timere dixit. Si vero quis de gravibus morbis dillereret, ſubducebat ſe præ timore. Quandoque etiam caliditatem ſibi ad præcordia allabi dixit, & oculorum ſplendores comitari, & alvi egeſtio multa, & ſæpe, & ſimilis hyeme contigit. Facta eſt venæ ſectio, datum eſt veratrum, bibit lac bubulum, prius autem aſininum contulit, & alvi egeſtiones ſedavit. Aquæ potus ab initio, deambulationes quoque, & capitis purgationes.

Anecheti filio hæc contigerunt, hyeme in balneo dum ungeretur ad ignem: calefactus eſt, & ſtatim in comitiales convulſiones incidit. Poſtquam vero multæ factæ eſſent convulſiones, circumſpexit, non apud ſeſe erat, quum autem intra ſe ipſum eſſet, rurſus poſtridie mane correptus eſt, ac convulſus, ſpuma non valde. Tertia, lingua inarticulata. Quarta per linguam ſignificabat. Quinta loqui non poterat, ſed in principiis nominum hærebat lingua valde, & convulſio fiebat, & extra ſe erat. Quum vero hæc remitterent, lingua vix in ſuum ſtatum reſtituebatur. Sexta abſtinebat ab omnibus, & ſorbitione, & potu, & a nulla amplius affectione corripiebatur.

Cleocho ex laſſitudinibus, ac exercitiis melle per dies aliquot utenti, tumor ad genu dextrum obortus eſt. Immo potius ad infernam partem circa tendines ſub genu, circumibat ſubclaudi-

cans, & ſura intumeſcebat, ac dura erat, & ad pedem, & ad malleolum dexterum, & tubercula ad gingivas circa dentes magna, velut uvæ acini, livida, nigrefacta, doloris exſortia, ubi cibum non caperet. Sed & crura doloris exſortia erant, ſi non exſurgeret. Venit enim & ad ſiniſtrum tumor, verum minus liveſcebat. In tumoribus circa genua, ac pedes, velut ſuppurationes erant. Tandem vero fieri non poterat, ut ſtaret, aut calcaneis inſiſteret, ſed in lecto decumbebat. Calores manifeſti: quandoque cibum averſabatur, non valde ſiticuloſus, neque ad ſedem ſurgebat, anxius, & quandoque etiam puſillanimitas tenebat. Veratrum exhibitum eſt, & capitis purgationes. Ad os pharmacum ex manna thuris cum aliis admixtis profuit. Ad ulcera in ore, ſorbitio lenticulæ commoda erat. Circa ſexageſimam ſedati ſunt tumores a ſecundo veratro, dolores tantum ad genua decumbenti venerunt. Humor autem, & bilis abſceſſit ad genua, etiam pluribus diebus ante veratrum.

Piſiſtrato humeri dolor, & gravitas diuturna deambulanti, & alias ſano, hyeme vero incidit multus lateris dolor; & calor, & tuſſis, & exſcreatio ſanguinis ſpumoſi, & in faucibus ſtertebat. Verum facile ferebat, & apud ſe ipſum erat, & calor remiſit, ſimulque exſcreatio, & ſtridula aſperitas, & circa quartam, aut quintam diem ſanus.

Simonis uxori in partu concuſſæ dolor circa pectus, & latus, tuſſis, febres, exſcreationes purulentæ: tabes, ad ſex menſes febres, & alvi profluvia ſemper. Ad finem febres ceſſaverunt, poſt ceſſationem ſubſtitit alvus, & poſt ſeptem dies mortua eſt.

Euxeni uxorem ex fomentis ut videbatur, ca-

lores nullo tempore relinquebant, magis tamen ad vesperam augescebant, sudores fiebant per totum corpus. Febre ad augmentum tendente, frigiditas pedum, quandoque etiam tibiarum, & genuum fiebat: tussicula sicca ad modicum tempus, febre exacerbari incipiente, deinde cessabat, per multum autem tempus etiam totius corporis rigor fiebat. Sitis exsors semper. Ubi medicamentum bibisset, & serum, magis læsa est. Ab initio omnino sine dolore erat, & bene spirabat. Medio vero tempore lateris dextri dolor fiebat, & tussis commota est, & anhelatio, & exscreationes parvæ albæ, ac subtenues, & horror non amplius ex pedibus, sed de collo, & dorso, & alvus liquidior, remisit febris cum multo sudore, & perfrigerata est. Anhelatio vero erat varia, mortua est post remissionem septima die, quum esset mente prudens.

Polemarchi uxor æstate incepit febrire, dimisit autem ipsam febris sexta die; titubans obambulabat; ad noctem calores. Rursus interposito tempore corripuit febris, & non dimisit tribus fere mensibus. Tussis multa, exscreatio pituitæ. Postquam vero viginti durasset diebus, spiritus semper densus, in pectore strepitus, plerumque sudor; mane febris mitior, & horrores quandoque corripiebant, somni fiebant, & alvus aliquando humectabatur, & rursus restitabat. Moderate cibum gustabat; at medio tempore ad genua, & tibias dolor, & ad flectendum ac extendendum alio opus habebat. Perseverabant crurum affectiones usque ad finem jam propinquum, & intumuerunt pedes usque ad tibias, & ad contactum dolebat, & sudores, ac rigores defierunt. Febris autem semper intendebatur. Ante obitum alvus erupit; prudens permanebat; tri-

bus ante obitum diebus in faucibus ſtertebat, & ſpiritus revertebatur. Mortua eſt.

Hegeſipolis filiolus quatuor fere menſibus dolorem circa umbilicum corrodentem habebat. Progreſſu temporis augebatur dolor. Percutiebat ventrem; vellicabat, calores corripiebant, contabeſcebat, oſſa reliqua erant, pedes tumebant. Teſtes, venter, partes circa umbilicum inflata. Num & quibus futurum eſt, ut alvus exturbetur? cibum averſabatur, lac ſolum admittebat recens, & alvus liquida erat, & ſubcruenta ſanies ſubibat, male olens, alvus ardebat. Mortuus eſt, ubi vomuiſſet modicum pituitoſum, adeo ut quis genituram putaſſet.

Plateæ filio, ubi mortuus eſſet, ſutura capitis valde cavata eſt. Quum autem ægrotaret, ſemper manu ſinciput contingebat, maxime morti propinquus. Non dolebat autem caput, & in femore ſiniſtro ſub inguen partes inferiores lividæ. Teſtes autem graciles erant. Similia etiam Hegetoridæ filio. Mortuus eſt. Præterquam quod vomitus plures ſub obitum contigerunt.

Hippiæ ſoror hyeme phrenitica, mente aberrans, manibus negotium exhibens, lancinans ſe ipſam. Quinta, & ſexta, ad noctem voce deſtituta, ſoporoſa, inflans in maxilla, & labia, velut dormientes. Septima mortua eſt.

Oſander ubi inhorruit, lateris dolor, & ad genua dolor, itemque ad femur. Ubi comediſſet, delirabat. Brevi mortuus eſt.

Cleotimo ſutori, alvo liquefacta multo tempore, & calore oborto, juxta hepar tumor tuberculoſus ad imum ventrem deſcendit, & alvus liquida fiebat, & aliud ipſi tuberculum juxta hepar ſurſum ad præcordium. Mortuus eſt.

Quibuſdam capitis dolor vehemens cum calo-

re: quibuſdam quidem ad dimidiam capitis partem, & ſecundum nares humor quidam decedit tenuis, aut maturus, aut ad aures, aut ad fauces ex capite ſecurius. Quibuſdam vero hæc ſicca. At marcor vehemens periculoſus eſt. Si vero adfuerit anxioſus, aut bilioſus vomitus, aut ſtupor oculorum, aut vocis interceptio, & raro quid loquitur, aut delirium, lethalia hæc ſunt, & convulſoria. Quicumque vero ex deſtillatione dimidiam capitis partem dolent, & humore ſecundum nares decedente inſuper febrierunt leniter, in quinta, aut ſexta perfrigerantur.

Echecrati cæco capitis dolor vehemens magis ad poſteriorem partem, & colli quo loco connexio eſt, & ad verticem procedebat. Progrediente tempore, & ad aurem ſiniſtram, & dimidia capitis pars doloroſa erat. Mucoſa ſemper procedebant leniter combuſta, & calor comitabatur tenuis, & cibum averſabatur. In die melius habebat, ad noctem vero dolebat. Poſtquam autem pus per aurem erupit, ceſſaverunt omnia, erupit autem circa hyemem. Num & omnibus ſuppurationibus, & affectionibus circa oculum dolores ad noctem?

Quibus tuſſes hyeme maxime auſtro ſpirante craſſa, & multa exſcreantibus, febres accedunt, leniter autem quinta die ſedantur. Tuſſes vero circa quadrageſimam, velut Hegeſipoli.

Quibus calores multi quandoque ſedantur, hi non per totum corpus, ſed aut circa cervicem, aut ſub alis, aut capitê ſudantes, liberantur.

Chariti hyeme ex tuſſicula populariter graſſante febris adventans, acuta corripuit: Stragula rejiciebat: ſopor cum dolore. Urinæ erant

rubræ velut ervi lotura, ſubſidentia ſtatim ab initio multa, alba, poſtea etiam ſubrubra. Septima a glande ſubdita pauca prodierunt, ſopor detinuit ſine dolore, humiditas in fronte, ſomnus ad noctem, & calor mitior. Octava ſuccum admiſit, ſoporoſus permanſit uſque ad undecimam. Hac autem die etiam calor maxime ceſſavit. Poſtquam vero tuſſis erat, exſcreatio perſeverabat ſemper multa, facilis, primum viſcoſa, alba, craſſa, poſtquam autem concocta eſſet, ſimilis purulentis. Urinæ ab undecima die puriores, ſubſidentia aſpera. Decima tertia dolor ad dextera uſque ad lateris mollitudinem, ad imum ventrem. Urina ſupprimebatur. Potus calliphylli contulit. Decima quinta rurſus dolor. Decima ſexta ad noctem magis dolor præcordii incipiebat ad ventrem. Mercurialis aqua ſubduxit. Calor intra vigeſimum evanuit, & exſcreationes ſequutæ ſunt craſſæ. Melius habuit ad quadrageſimum.

Subpurgandi ſunt ventres in morbis, ubi purganda matura fuerint. Inferni quidem, ubi conſidiſſe videris: ſignum habes, ſi non anxii fuerint, neque capite gravati, & quum calores mitiſſimi, & quum poſt exacerbationes ceſſarint. Superni vero, in ipſis exacerbationibus. Tunc enim & hi elevantur, quum anxii, & gravati ſupernis partibus fuerint. Propterea vero in principiis purgandum non eſt, quoniam ſua ſponte in his temporibus expurgantur. In cubiti proceſſu ex caſu ſauciatio, cubitus marcore corruptus ſuppuratur; maturatione vero fiente, viſcoſa ſanies, ac glutinoſa exprimitur, & brevi ſupprimitur, velut & Cleogeniſco, & Demarcho Aglaotelis filio. Similiter autem, & valde ex iiſdem pus nullum, velut

Æſchyli filio contigit. At ubi ſuppuratur, plurimis horrores, & febres accedunt.

Alcmani ex renum affectionibus ſe recolligenti, & ſanguine deorſum detracto, ſurſum ad hepar converſus eſt morbus, & ad cor dolor vehemens, & ſpiritus præ dolore detinebatur, & alvus difficulter egerebat parva, caprini ſtercoris pilulis ſimilia. Anxietas non inerat; verum rigor quandoque, & febris corripiebat, & ſudor, & vomitus, & in dolore non conferebat aqua marina per clyſterem infuſa. Verum furfurum decoctum infuſum contulit. A cibo abſtinuit ad dies ſeptem, aquam mulſam meraciorem bibit, poſtea lentis ſuccum, quandoque vero ex lenticula freſa decoctum. Inde bibit aquam, poſtea catulum coctum, & mazæ parum, quæ potiſſimum diu antea confecta eſſet; progreſſu vero temporis aut cervices bubulas, aut extremas partes ſuillas coctas una cum priore aquæ potu. Quies, tegmen, ad renum affectionem infuſum per clyſterem ex cucumere ſylveſtri.

Parmeniſci filio ſurditas: contulit clyſterem auricularium non adhibere; verum lana expurgare, & ſolum oleum, aut netopum infundere, deambulare, mane ſurgere, vinum album bibere, oleribus abſtinere, pane, & piſcibus petroſis nutriri.

Aſpaſii uxori dentis, & maxillæ dolor vehemens. Caſtorium, & piper colluens, ac in ore tenens, remiſit. Et ſtillicidii urinæ affectionem ipſi ſedavit farina cum roſaceo. Capitis dolores ex utero ſedat caſtorium. Plurimas uteri affectiones flatus faciunt. Signum ſunt ructus, & ſtrepitus circa ventrem, & lumborum tumores, & dolores circa renes, ac coxas. Ad hos autem confert, aromatum tertiam partem, farinæ

duas, in vino odorato albo coquere, & linteolo illita cataplaſmatis modo imponere, qua parte ventris dolores ab utero affligunt.

Callimedontis filio contulit ad tuberculum, quod habebat in collo durum, & magnum, & crudum, ac doloroſum, venæ brachii ſectio; & ſeminis lini torrefacti cataplaſma, vino albo, ac oleo ſubactum, ac imbutum, ita ut neque calidum, neque valde coctum deligatur. Aut cum aqua mulſa coquatur fœni græci, aut hordei, aut tritici farina.

Meliſſandro, quum gingiva dolore corriperetur, & vehementer intumeſceret, ſectio venæ brachii, & alumen Ægyptium in principio ſedabat.

Eutychidi ex cholericis affectionibus, ad nervorum in cruribus diſtentionem deſivit, una cum ſeceſſu deorſum. Bilem multam abunde coloratam vomuit ad tres dies, ac noctes valde ſubrubram. Sub vomitum bibit, & impotens erat, & anxius. Nihil autem continere poterat neque ex potibus, neque ex cibis; & urinæ, ac tranſitus deorſum ſuppreſſio. Per vomitus fex mollis prodiit, & deorſum quoque erupit.

Regio morbo correpto prodeſt laborare, ſudare, panem edere, bibere non multum, lavare caput calida multa, ſed potius tepida, vinum album, ſomno non multo uti.

Calligeni circa vigeſimum quintum ætatis annum deſtillatio, tuſſis multa: quod defluebat, per vim educebat, nihil infra perſiſtebat, annos quatuor perſeverabat. Ab initio calores tenues fiebant. Veratrum non profuit, ſed modicus cibus, & comprimi corpus, edere panem, bibere vinum nigrum, obſoniorum quorumcumque eſus, abſtinentia ab acribus, ſalſis, pinguibus,

ſucco ſilphii, oleribus crudis, multa deambulatio. Lactis potus non contulit, ſed ſeſamum purum, crudum, acetabuli menſura bibere, cum vino molli.

Timochari hyeme deſtillatio, maxime in nares. Quum Venere uſus eſſet, reſiccata ſunt omnia. Laſſitudo, calor ſucceſſit, caput grave, ſudor a capite multus, defluebat autem & per totum corpus. Erat autem etiam ſanus ſudare adſuetus. Tertia die ſanatus eſt.

Cleomenis filius hyeme initio facto cibum averſabatur, & ejus faſtidio citra febrem vexabatur, & vomebat cibos, ac pituitam. Duobus autem menſibus cibi faſtidium durabat.

Coco in ſpina gibboſitas facta eſt ex phrenitide. Huic nulla medicamenti potio contulit. Verum vinum nigrum, & panis eſus, & balneorum abſtinentia, & unctio, & frictio ab unctione, & fovere non valde, neque multo fomento, ſed leni.

Quibus fluxiones in oculis tenues, ac diuturnæ, ſi maturæ in nares proceſſerint, proſunt.

Quibus prægnantibus ex caſu, aut convulſione, aut plaga dolores leniter fiunt, his in tribus diebus manifeſtum fit, an fetum corrumpet.

Cuidam, quæ circa vigeſimum ætatis annum biberat ultro pharmacum ad fetum perdendum, accidit dolor, vomitus bilioſorum, multorum, pallidorum, praſinorum, nigrorum. Quum bibiſſet, tertia die convulſio corripiebat, linguam commandebat. Ad quartam diem ad ipſam ingreſſus ſum: lingua nigra, magna, oculorum albæ partes erant rubræ; vigilabat. Quarta mortua eſt ad noctem.

Pythocles ægrotantibus aquam, & lac multa aqua admixta dabat, & renutriebat.

Perniones pertundere oportet, & calefacere, ita ut quammaxime excalefacias igne, & aqua. Oculis incommoda funt lenticula, fructus pomorum dulces, & olera. Doloribus circa lumbos, aut coxam, aut crura, ex laboribus obortis, aquæ marinæ, acetique calidum fomentum confert, ita ut vel afpergas, vel fpongiam his imbutam adhibeas. Deligare vero lanis oportet.

Origanum potum, oculis, & dentibus malum eft.

Puella, quæ de rupe cecidit, voce deftituta: jactatio ipfam tenebat; vomuit ad noctem fanguinem. Quum ad finiftram aurem impegiffet, amplius inde fluebat, & aquam mulfam difficulter deglutiebat. Stertor habebat, fpiritus denfus velut morientium, venæ circa frontem intentæ, decubitus fupinus, pedes tepidi, febris multa, aliquando acuta. Maxime expavefcebat, feptima vocem rupit, calores tenuiores erant, fuperftes evafit.

Nifantides humeri dolorem habebat, in æftate obortum ex abfceffu: profuit ipfi corpus, & humerum in aqua marina madefacere ad multum tempus, & per tres dies vinum album aquofum bibere, fimul ut in aqua marina decumberet, ita ut & in ipfa urinam ejiceret.

Fullo in Syro phreniticus: quum moveretur cruribus tremulis, corpus velut a culicibus compunctum. Oculus magnus, motus brevis, vox fracta, fed clara tamen, urina pura fubfidentiam non habens. Num propter alvi ex thapfia egeftionem, decima octava die morbus remifit, evanefcens citra fudorem?

Nicoxenus in Olyntho fimiliter feptima die videbatur a morbo liber effe cum fudore. Sorbitiones affumebat, vinum, botrum ex fole. Decima feptima die ingreffus fum ad ipfum. Lingua

ardebat, calor forinſecus non valde fortis, exſolutio corporis vehemens, vox fracta, ut operoſum eſſet exaudire, clara tamen, tempora collapſa, oculi cavi, pedes molles, ac tepidi, juxta ſplenem diſtentio. Infuſum per clyſterem non valde ſuſcipiebat: ſed reſiliebat, prodiit ſtercus compactum modicum, & aliquid ſanguinis, arbitror ab infuſo. Urina clara, pura, decubitus ſupinus, crura diducta, ac diſparata ob exſolutionem, penitus vigil. Intra viginti dies calor evanuit. Potus erat aqua de farina craſſa in ipſa macerata. Sed & de pomis ſimulque mali punici ſuccus, & lentis torrefactæ, & farinæ lotura cocta, frigida, tenuis ſorbitio. Superſtes evaſit.

Fullonum inguina extuberant dura, & ſine dolore, & circa pubem, ac collum ſimilia erant tubercula magna. Febris ante diem decimum. Tuſſi vexabantur a ruptionibus. Tertio menſe, aut quarto venter colliquefactus eſt. Calores ſucceſſerunt. Lingua ſicca, ſitis, egeſtiones deorſum malignæ eſt. Mortui ſunt.

Cholericæ bilis ſurſum, ac deorſum, eruptiones ex carnis eſu, maxime ſuillæ crudioris, & ex cicere, & ebrietate vini odorati veteris, & inſolatione, & ex ſepiis, & locuſtis, & gammaris, & ex olerum eſu, maxime porri, & ceparum. Inſuper & a lactucis coctis, & braſſica, & rumicibus crudioribus, & a placentis, ac dulciariis, & mellitis libis, & a fructibus pomorum, & cucumere pepone, & vino lacte miſto, & ervo, & polenta recenti. Cholericæ affectiones magis in æſtate fiunt, & febres intermittentes, & quibus horrores accedunt. Hæ quandoque malignæ fiunt, & ad morbos acutos perveniunt. Verum cavere oportet. Judicat autem tales morbos maxime

me quinta, & ſeptima, & nona dies. Melius tamen eſt cavere uſque ad decimam quartam.

Pherecydæ poſt ſolſtitium hybernum, noctu lateris dextri dolor etiam prius fieri ſolitus. Ceſſavit; pranſus eſt, & egreſſus horruit. Febris ad noctem; doloris exſors; tuſſicula quædam ſicca. Urina non multa, ſubſidentia multa. Ab initio ramentoſa, glabra, divulſa; poſt dies quatuor turbulenta ſubſidebant, & urina non decolor, ſubſidentiam habens, & collectio non apparebat in matula, ubi perfriguiſſet. Tertia die alvus ſua ſponte egeſſit. Quarta ſubdita glande, ſtercoracea, & bilioſa prodierunt: fluxus erat liquidus. Somnus ad noctem non valde; verum interdiu aliquantum dormiebat. Sitis non vehemens. Quarta ad noctem maxime cutis circa frontem, & reliquum corpus mollis, ſemper ſuperexcedens. Febris vincebatur ad manum, & ſub ea humeſcebat. Pulſus in fronte valde obſcurus, venarum gravitas in converſionibus, & in omnibus egeſtionibus ad modicum tempus, ſemper doloris exſors, ab initio anxius, & paulatim vomebat. Septima a glande ſubdita egeſſit ter bilioſum, ac ſtercoraceum, liquidum valde, ac pallidum, & jam aliquantum delirabat, & humiditas modice quandoque circa frontem. Stragula in faciem ducebat, oculos fruſtra velut ſi quis videret, contrahebat, & rurſus nictabat, & ſtragula rejiciebat. Nona die ſudor mane obortus ad pectus, perſeverabat, donec moreretur, & febris, & deliratio augeſcebat. Circa frontem ſudor plurimus graveolens, color valde albus, cutis ſub pilis interpuncta, præcordium dextrum elevatum, demiſit a ſe ipſo bilioſa. Octava apparebant velut culicum morſus. Ante mortem tuſſiendo rejecit velut ex muco fungos, compa-

cta quaedam, alba pituita circumdata. Exſcreaverat autem & antea parva, alba, lactea. Poſt cœnam in ſomno horruit, mane ſurrexit, capite gravatus horruit, vomuit, capite gravabatur, ad noctem remiſit. Uſque ad meridiem leniter horruit, rurſus noctem graviter tulit. Sequenti die febris acuta, capitis torpor, vomitus multæ bilis, quæ plurima praſina erat. Ceſſaverunt omnia, ſomnus ad noctem. Mane perfrigerabatur; ſudor, & humiditas per plurimam corporis partem. Juxta ſplenem manu indicabat ad modicum tempus collectionem doloris exſortem, Statim evanuit, ad noctem vigil. Circa fori tempus exacerbabatur febris, anxietas, vertigo, tormen, capitis dolor, vomitus praſinus, levis, viſcoſus velut pituita. Circa ſolis occaſum ceſſaverunt omnia. Sudor capitis, colli. Poſt vomitum egeſſit per alvum ſtercoracea, liquida, billioſa, neque nigra, neque inconvenientia. Noctem moderate habebat, itemque ſequentem diem. Ad noctem rurſus vigil. Vomitus mane ſimiliter, & ſequenti die, citra anxietatem. Dolores capitis poſt ſudorem ceſſarunt; ad veſperam omnia remiſerunt. Nona non amplius vomuit, magis calefactus eſt. Reliquis non videbatur febrire. Venæ in temporibus ſaliebant; doloris omnino exſors; ſitis ſemper erat. Nona quum ad ſellam ſurrexiſſet, valde animo linquebatur. A glande ſubdita egeſſit ramenta nigra, & bilioſa colore, quantum ſtercoracei deſtillabat. Vox fracta, in converſionibus gravis, oculi cavi, cutis frontis circumtenſa. Alioqui bene ſpirabat, moderatus erat, ad parietem plerumque converſus, flexibilis in decubitu, incurvatus quieſcens. Lingua alba, levis. Circa decimam & poſtea, urinæ rubræ in circuitu, in medio exiguum quid

album. Duodecima ad glandem ſubditam, ſimilia deſtillabant bilioſa, & ramentoſa. Poſt glandem animi deliquium, poſtea os reſiccabatur. Colluebat ſemper, & ſi non valde frigida eſſet aqua, calidam eſſe dicebat. Nivem leniter guſtabat, ſitis non inerat, ſtragula ſemper de pectore repellebat. Chlamydem calefieri non ſinebat. Ignis procul, iſque parvus, utriuſque maxillæ rubor. Poſtea lingua inarticulata. Recaleſcebat unum, aut duos dies. Ceſſavit.

Androphani vocis interceptio, ignorantia, delirium. His ſedatis ſupererat multis annis, & recidivæ fiebant. Lingua permanebat per totum tempus ſicca, & ſi collutione non uteretur, loqui non poterat, & plerumque erat valde amara. Aliquando etiam dolor ad cor. Venæ ſectio ſolvit hæc, aquæ potus, aqua mulſa. Veratrum quoque bibit nigrum. Bilioſum non prodibat, ſed modicum. Tandem hyeme decubuit, & extra ſe poſitus mente motus eſt, & linguæ affectiones ſimiles, calor tenuis, lingua decolor. Vox peripneumonica, de pectore ſtragula rejiciebat, & ſe educi jubebat velut micturum. Quum nihil clare loqui poſſet, neque apud ſeipſum eſſet, educebant ipſum. Ad noctem mortuus eſt; duobus, aut tribus diebus decubuit.

Nicanoris affectio erat, quum ad convivium progrederetur timor tibicinæ: quum ſub initium vocis tibiæ in convivio tibia canere audiviſſet, præ timoribus turbationes. Vix ſe ſufferre poſſe dixit, quum nox eſſet, interdiu vero audiens nihil commovebatur, & hæc multo tempore ipſum comitabantur.

Damocles, qui cum illo erat, cæcutire, & corpore exſoluto eſſe ſibi videbatur, & ſane præruptum locum non acceſſiſſet, neque trans pontem,

aut minimæ altitudinis ſcrobem auſus fuiſſet tranſgredi, præ timore ne caderet, ſed per ipſam ſcrobem ibat. Hoc ad tempus quoddam ipſi aderat.

Phœnicis affectio erat. Ex oculo dextro plerumque velut fulgur elucere putabat. Ubi vero non diu ipſum clauſiſſet, dolor ad tempus dextrum vehemens oriebatur, poſtea etiam ad totum caput, & collum. Caput intumeſcebat retro ad vertebras, & diſtentio, ac duritia erat circum tendines. Si itaque conaretur commovere caput, aut aperire dentes, non poterat, utpote valde diſtentus. Vomitus ſi quando oborti eſſent, relatos dolores avertebant, ac mitiores faciebant, & venæ ſectio profuit, & veratrum duxit omnigena, & non minime praſina.

Parmeniſco etiam prius incidebant triſtitiæ, & deſiderium excedendi e vita, quandoque vero rurſus lætus erat. At in Olyntho aliquando autumni tempore voce privatus decumbebat, quietem agens, ita ut parum ſaltem loqui conaretur, ac inciperet. Immo etiam ſi quid loquutus eſſet, rurſus voce deſtituebatur. Somni aderant, quandoque vero vigiliæ, & jactatio cum ſilentio, & anxietas, & manus ad præcordia velut dolenti. Aliquando averſus jacebat quietem agens. Febris perpetuo, & facile ſpirabat. Poſtea dixit ſe cognoſcere ingreſſos. Bibere quandoque tota die, ac nocte, etiam ſi potus exhiberetur, non volebat; quandoque vero urna derepente correpta, omnem aquam ebibebat. Urina craſſa velut jumenti. Circa decimam quartam remiſit.

Cononis ſerva ex dolore capitis incipiente, extra ſe mente mota erat. Et clamor, & querelæ multæ, raro autem quies. Circa quadrageſi-

mum diem mortua eſt. Decem vero diebus ante mortem, voce deſtituta, & convulſa fuit.

Timocharis ſervus ex atrabiliariis eſſe quum putaretur a tot, ac talibus viris, mortuus eſt ſimiliter circa eoſdem dies.

Nicolai filius circa ſolſtitium hybernum ex potationibus horruit. Ad noctem febres, poſtridie vomitus bilioſus, merus, modicus. Tertia die, quum concio adhuc fori plena eſſet, ſudor totius corporis ceſſavit, & ſtatim rurſus calefactus eſt. Vomitus ſimilis. Quarta ab aqua mercurialis, egeſſit ſtercoracea, & liquida. Urina cineris ſpecie, qualis eſt aqua mercurialis, non diſſimilis; ſubſidentia non erat, neque urina multa; pauca quædam in medio vehebantur innatantia. Dolores præcordii ſiniſtri, & lumborum. Putabat ſe ex vomitu inſuper reſpirare, & inſuper reſpirabat, quandoque dupla reſpiratione. Lingua alba, habens ex dextra parte concretionem adnatam inſtar lupini. Parum ſiticuloſus erat, vigil, prudens. Sexta dexter oculus major dum videret. Septima mortuus eſt, Verum alvus ante mortem elevata fuit, & mortuo poſteriores partes rubefactæ ſunt.

Metoni circa plejadum occaſum febris, lateris ſiniſtri dolor uſque ad claviculam, atque is adeo vehemens ut quieſcere non poſſet, & inflammatio tenebat. Alvi egeſtio multa, bilioſa. In tribus fere diebus ceſſavit dolor. Calor autem circa ſeptimum, aut nonum. Tuſſis inerat, exſcreationes neque bilioſæ, neque multæ fiebant, verum pituitoſæ, tuſſes comitabantur, cibos guſtabat, quandoque velut ſanus exibat. Corripiebant autem aliquando calores tenues modico tempore, ſudores fiebant ad noctem. Spiritus in calore denſior, maxillarum rubor circa latus

gravitas, & ſub alas, & ad humerum, tuſſes tenebant, medicamentum per ſuperna eduxit bilioſa. Tertia a medicamento erupit pus, verum ab initio morbi quadrageſima. Repurgabatur circa triginta quinque alios dies, & ſanus evaſit.

Uxori Theotimi in ſemitertiana anxietas, & vomitus, & ſimul horror incipiente febre, & ſitis, progrediente tempore incipiente febre calor ingens. Ubi aquam mulſam bibiſſet, & vomuiſſet, & horror, & anxietas ſedata ſunt, & mali punici ſuccum poſtea accepit.

Diopithis ſorori in ſemitertiana, cordis dolor gravis circa acceſſionem, & comitabatur is totam diem, & hujuſmodi cordis, ſive oris ventriculi dolor etiam aliis ſimiliter aderat. Verumtamen ſub plejadis occaſum viris talia rariora fiebant.

Uxori Apomoti in ſemitertiana circa arcturum vehemens cordis dolor circa acceſſionem, & vomitus, & ſtrangulationes ab utero ſimul inſtabant, & ad dorſum dolores juxta ſpinam. Quum autem huc ipſi pervenirent, cordis dolores ceſſabant.

Terpidæ matri a Doriſco, quum abortus factus eſſet menſe quinto gemellorum, ex caſu, ab altero quidem ſtatim, velut in tunica quadam liberata eſt, ab altero vero prius, aut poſterius quadraginta diebus. Poſtea autem concepit in ventre. At anno nono dolores vehementes circa ventrem ad multum tempus, quandoque incipiebant ex collo, ac ſpina, conſidebant autem ad imum ventrem, & inguina; quandoque ex genu dextro, conſidebant autem ad eumdem locum. Et quum quidem juxta ventrem dolores eſſent, alvus cluebatur; quum vero ſedarentur, cordis dolor coincidebat. Verum ſtrangulationes non aderant. Sed frigiditas corporis,

velut in aqua jacentis. Tempore quo dolor fiebat, per totum corpus dolores spargebantur mitiores his, qui ab initio erant: allium, silphium, acria omnia non conferebant, neque dulcia, neque acida, neque vina alba. Verum nigra, & balnea rara. Ab initio quoque vomitus vehementes fiebant, & ciborum exclusiones, & circa dolores menses non apparebant.

Cleomenis uxori circa favonii flatus, ex nausea, & lassitudine, lateris sinistri dollor, ex collo, ac humero auspicatus, febris, & horror, & sudor. Incepit autem febris, & non desiit, sed augescebat, & dolor vehemens, tussis, exscreatio subcruenta, palida, multa. Lingua alba, alvi egestiones moderatæ, liquidæ, urinæ biliosæ. Quarta ad noctem menses prodierunt multi, cessavit & tussis, & exscreatio, & dolor, calor autem tenuis.

Epicharmi uxori ante partum dysenteria, dolor, alvi egestiones subcruentæ, mucosæ. Ubi peperisset, statim sana erat.

Polemarchi uxori in morbo articulari coxæ dolor derepente, mensibus non prodeuntibus. Ubi betæ succum bibisset, vox supprimebatur per noctem, & usque ad meridiem, attamen audiebat, & sapiebat, & manu significabat, dolorem esse circa coxam.

Cliniæ sorori seniori vomitus, quicquid accepisset per quatuordecim dies, citra febrem. Cruentorum vomitionum rejectiones, & contracta strangulatio ad cor procedebat. Castorium, seseli, mali punici succus sedaverunt omnia, abscessit autem dolor moderatus ad lateris mollitudinem, bulbi succus & vinum lacte temperatum, austerum, & panes quam paucissimi cum oleo.

Pausaniæ filiam ex fungi crudi esu anxietas

tenebat, ſtrangulatio, dolor ventris. Aquam mulſam calidam bibere, ac vomere profuit, & balneum. In balneo fungum evomuit, & ubi illa ceſſatura eſſent, exſudavit.

Epicharmo circa plejadum occaſum, humeri dolor, & gravitas vehemens ad brachium, anxietas, vomitus multi, aquæ potus.

Euphranoris filio puſtulæ velut a culicum morſu. Poſt favonium ſiccitates fiebant uſque ad æquinoctium autumnale. Sub canem, æſtus vehementes, & venti calidi, & febres ſudorificæ, & ſtatim aliquantum recaleſcebant. Tubercula vero juxta aurem multis fiebant. Aniculæ a tuſſi vexatæ circa nonam diem. Adoleſcenti ſplenico ancillæ filio, alvo liquefacta, circa idem tempus. Cteſiphonti ſub arcturum, fere circa ſeptimam. Adoleſcenti ſolum ſuppurata ſunt. Eratylli filio evanuerunt. Circa utraque tempora, nullæ exſudationes. Linguæ præ ſiccitate blæſi. Recti venti ſpiraverunt multi, ac frigidi, & nives & clementi cœlo quandoque fiebant, & poſt æquinoctium, auſtrina aquilonaribus permixta, aquæ multæ fuerunt, & populariter graſſatæ ſunt tuſſes multæ, magis autem in pueros. Circa aures multis talia, qualia Satyri habent. Quandoque vero ante hoc tempus hyems valde hyberna erat, cum nive, & pluviis aquilonaribus.

Timonactis filio ferme bimeſtri puſtulæ in cruribus, & in coxis, & lumbis, ac imo ventre, & tumores valde rubicundi. His autem ſedatis, convulſiones, & comitiales fiebant, ſine febribus, multis diebus, & mortuus eſt.

Polemarchi filio contigit quidem, ut priore tempore ſuppuratus eſſet, & exſcrearet, poſtea vero calores ipſi erant, & hydropicus erat, & ſplenicus, & anheloſus ad locum adclivem, ſi

quando accederet, impotens, & ſiticuloſus, quandoque etiam cibum leniter averſabatur, & ſiccæ tuſſiculæ ad multum tempus ita fiebant, titubans obambulabat, & ſi non facile ſolubilis eſſet alvus deorſum, plena reddebatur, & anhelatio, ac ſtrangulatio magis fiebant. Tandem autem defluxus, & exſcreatio ſupervenit, ac tuſſis. Exſcreatio craſſa, pallida, purulenta, & febris vehemens ceſſaſſe videbatur, & tuſſis mitior, & exſcreatio pura. Rediit rurſus febris acuta, ſpiritus denſus, mortuus eſt. Verum antea riguerunt pedes, & poſtea perfrigeratus eſt. Spiritus magis interclusus eſt. Urina ſubſtitit, extremæ partes perfrigeratæ ſunt, prudens mortuus eſt tertia die a recidiva.

Thyni filio in febre ardente inedia macerato, alvi egeſtio multa. Verum cum bile, & animi deliquio, & ſudore multo fiebat, perfrigeratus eſt valde, & voce deſtitutus erat totam diem, ac noctem. Inſtillatum ptiſanæ ſuccum continuit, ſapiebat, bene ſpirabat.

Epicharmi filio accidit ex via, & potu cruditas. Poſtridie mane anxietate oborta, ubi aquam, acetum, ſalem bibiſſet, evomuit pituitam, poſtea rigor apprehendit. Lavit febricitans. Pectus dolebat. Tertia mane ſtatim ſopor modico tempore tenebat, & delirabat, & febris acuta. Graviter morbum tulit. Quarta vigil, mortuus eſt.

Ariſtoni, ulcerato pedis digito, cum febre loquelæ obſcuritas. Carcinoma adſcendit uſque ad genu. Periit. Erat autem nigrum, ſubaridum, graveolens.

Cui carcinoma in faucibus uſtum eſt, ſanus evaſit a nobis.

Polyphantus in Abderis caput dolebat in febre vehementi. Urinæ tenues, multæ. Subſidentiæ

denſæ, & conturbatæ. Quum autem non ceſſaret dolor capitis, ſternutatoria decima die adhibita ſunt. Poſtea ad collum dolor vehemens. Urina prodiit rubicunda, conturbata velut jumenti; mente motus eſt phrenitico modo. Mortuus eſt in vehementibus convulſionibus.

Conſimiliter etiam Evalcidæ famula, quum multo tempore denſæ urinæ prodiiſſent, & capitis dolores adeſſent, phrenitica facta, mortua eſt eodem modo ex vehementibus doloribus. Nam urinæ denſæ, ac conturbatæ certum ſignum ſunt doloris capitis, & convulſionis, ac mortis.

Halicarnaſſenſis, qui in domo Xanthippi diverſabatur, aurem hyeme dolebat, & caput non mediocriter. Erat autem annorum circiter quinquaginta. Vena ſecta eſt juxta Mneſimachum. Læſum eſt caput evacuatum, ac perfrigeratum. Non enim facta eſt ſuppuratio. Phreniticus factus eſt, & mortuus. Urinæ erant & huic denſæ.

In Cardia Metrodori filio ex dentium dolore corruptio maxillæ, & gingivarum vehemens carnis exſcreſcentia. Mediocriter ſuppuratio facta eſt, exciderunt dentes molares, & maxilla.

Anaxenor in Abderis erat quidem ſplenicus, & vitiati coloris. Contigit autem ipſi ut tumor circa femur ſiniſtrum obortus derepente evaneſceret. Non multis vero poſtea diebus oborta eſt ipſi circa ſplenem velut puſtula nocturna ab initio, inſuperque tumor, ac rubor durus. Poſt diem quartum febris ardens oborta eſt, & livefacta ſunt omnia circumcirca, & putrida videbantur. Mortuus eſt. Verum prius ſubpurgatus eſt, & intelligentiam habebat.

Clonigus in Abderis erat quidem nephriticus, mingebat autem ſanguinem paulatim plerumque difficulter. Vexabat etiam alvus dyſenterica. Huic

mane quidem dabatur lac caprinum, & aquæ quinta pars, ita ut ex ambobus compoſitum totum eſſent heminæ tres. Ad veſperam autem panis valde aſſatus, obſonia, beta, aut cucumis. Vinum nigrum tenue. Dabatur etiam cucumis pepo. Hac vero victus ratione quum uteretur, & alvus ſubſtitit, & urinæ puræ prodibant. Bibit autem lac, donec urinæ reſtitutæ ſunt.

Mulieri in Abderis carcinoma factum eſt circa pectus, erat autem tale: per papillam ſanies ſubcruenta fluebat, intercepta autem fluxione, mortua eſt.

Dinii filio in Abderis umbilicum mediocriter ſauciato, fiſtula parva relicta eſt, & quandoque etiam lumbricus per ſe ipſum ſatis craſſus penetravit, & quum febriret, vomebat bilioſa, quandoque vero & hæc ipſa per fiſtulam prodibant. Adlapſum eſt & inteſtinum ipſi ad fiſtulam, & velut fiſtula corrodebatur, & rurſus refringebatur, & tuſſes permanere prohibebant.

Pythonis filio in Pella febris ſtatim incepit multa, & in ſomnum collapſio, & cum vocis interceptione ſomni fiebant, & alvus dura per omne tempus. At glande ex felle ſubdita, multa egerebat, & ſtatim remittebat. Verum brevi alvus rurſus elevabatur, & febris exacerbabatur, & collapſio in ſomnum per eadem. Quum autem idem ductus eſſet, datum eſt medicamentum quoddam ex his, quæ cnico, & cucumere ſylveſtri, & peplo conſtant, & bilioſa egeſtio erupit, & ſtatim ſopor ſedatus eſt, & febris mitigabatur, & omnia leviora facta ſunt, & judicatus eſt die decima quarta.

Eudemus ſplenem vehementer dolebat: imperarunt ipſi medici, ut multum ederet, & vinum biberet modicum, tenue, & multum deambula-

ret, non mutatum eſt quidquam. Vena ſecta eſt; cibos, ac potus partus parce ſumpſit, deambulationes fecit ſenſim augmento facto. Vinum bibit nigrum, tenue; ſanatus eſt.

Philiſtidi Heraclidæ uxori cœpit febris acuta, rubor faciei ex nulla manifeſta cauſſa, paulo poſt in die rigorem habuit; quum non recaleſceret, convulſio facta eſt in digitis manuum, ac pedum. Paulo poſt recalefacta eſt, minxit urinas compactis quibuſdam innatantibus, nubeculoſas, divulſas, noctem dormivit. Secunda die rurſus riguit, paulo magis calefacta eſt, & rubor minor, & convulſiones fiebant moderatiores. Urinæ conſimiles, noctem dormivit, parum vigilavit quum nulla moleſtia premeretur. Tertia die minxit coloratiora, modicam ſubſidentiam habentia. Eadem hora rigor apprehendit; febris acuta, ſudor ad noctem per totum corpus. Verum veſperi color ad morbi regii modum permutatus eſt. Noctu dormivit, ac per totum corpus ſudavit. Quarta ſanguis ex ſiniſtra nare prope fluxit, & menſes pauci comparuerunt ordinate. Rurſus autem eadem hora febris exacerbata eſt. Urinæ compactis quibuſdam innatantibus paucæ. Alvus natura quidem dura, verum multo magis ſubſtitit, neque quicquam prodibat, ſi non glandem ſubdidiſſet, nodumctem dormivit. Quinta febris mitior, & ad veſperam per totum corpus ſudabat, & menſes prodierunt, & noctem dormivit. Sexta minxit acervatam multam urinam, compactis quibuſdam innatantibus, modicam ſubſidentiam habentem concolorem. Circa meridiem vero parum rigore tenebatur, aliquantum incaluit, ſudavit per totum, noctem dormivit. Supina parum calefacta eſt, facile tulit, ſudavit per totum. Urinæ boni coloris. Judicata ſunt omnia.

Tychon in obſidione circa Datum ictus eſt catapulta in pectus, & paulo poſt riſus erat circa ipſum tumultuoſus. Videbatur autem mihi medicus eximens lignum, reliquiſſe ferrum in ſepto transverſo, & quum ipſi ita videretur, od veſperam infuſum per clyſterem adhibuit, & pharmacum deorſum purgans dedit. Noctem primam tranſegit. Statim vero ubi dies illuxiſſet, & medico, & aliis melius habere videbatur, erat enim quietus. Prædictio facta eſt, quod ubi convulſio fieret, non tarde moriturus eſſet. Sequentem noctem moleſte ferens, inſomnis, plerumque in ventrem decumbens; tertia mane convellebatur. Circa meridiem mortuus eſt.

Eunuchus ex venatione, & diſcurſu hydropicus factus eſt.

Quidam circa Elealcis fontem ad ſex annos habuit ex equitatione inguinum tumorem, varices, & coxendicum dolores. Qui lateris mollitudine tabuit, ſeptima die mortuus eſt. Præpotent crudi ſalſa cum melle.

Scortatio turpis, dyſenteriæ medela eſt.

Leonidæ filiæ natura concitata, averſa eſt; averſa, in iram excanduit; ubi ira excanduit, reconciliata eſt. Medicus non intellexit, puella mortua eſt.

Philotimi filius puber venit ad me in lechina, calvariæ os habens medicina deſtitutum, in quo videbam occultas ratiocinationes non eſſe conſtantes.

HIPPOCRATIS DE ADFECTIONIBUS.

PRÆFATIO.

DE meliori nota. Parum habet ratiocinii, bonarum adnotationum multum. Ad POLYBUM *ſolent referre, quæ mera eſt conjectura. Miſti eſt argumenti, quod paſſim vitium eſt auctorum* HIPPOCRATICORUM. *Incipit a morborum nonnullis hiſtoriis, ab iis diverſis, quæ ſunt in libris de morbis. Medicamenta vix ulla habet Auctor, & ad librum remittit* περι φαρμακων, *qui dudum periit. Finis eſt in rebus ad victûs rationem pertinentibus, & quæ hic habentur, ab iis differunt quæ traduntur in libris de diæta, mihique videntur perutilia, potiſſimum quæ ad qualitates & vires alimentorum ſpectant. Intercedunt de cauſarum ratione aliqua brevia & minime abſona. Quatuor humores habet, ſanguinem, pituitam, bilem, atram bilem.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Plurimi partium morbi, febres, & ulcera, eorumque cauſæ, ſigna, & curationes do-

centur; victus tum ægris, tum convalescentibus idoneus constituitur; alimentorum quorumdam facultates & differentiæ explicantur.

SECTIO I.

CAPUT I.

Quæ virum consultum in morbis curandis nosse deceat. Omnium morborum principium ac ortum a bile & pituita esse, & quomodo.

VIrum, quicunque mentis sit compos, perpendentem, quod plurimi ab hominibus æstimanda sit sanitas, nosse oportet a sua ipsius intelligentia in morbis emolumentum consequi: nosse autem decet, tum quæ a Medicis dicuntur, tum quæ suo corpori admoventur, eaque dijudicare; sed eorum nosse singula, prout privato consentaneum est. Hæc igitur noverit maxime, si quis horum cognitione ac studio tenetur. Morbi omnes hominibus a bile & pituita oriuntur: bilis autem & pituita morbos excitant, quum in corpore supra modum vel resiccantur vel humectantur, vel incalescunt vel refrigerantur. Hæc vero pituitæ & bili a cibis, a potibus, a laboribus, a vulneribus, odoratu, auditu, visu, rebus venereis, & a calore & a frigore contingunt: eveniunt autem, quum ex his dictis quæque aut non opportuno tempore corpori exhibentur; aut insueta, aut copiosiora & valentiora, aut pauciora & imbecilliora. Ab his quidem morbi omnes hominibus oriuntur: ad hæc autem privatum nosse oportet, quæ

privatum cognoſcere conſentaneum eſt: quæ vero artifices noſſe, adhibere, & pertractare decet, eorum etiam, quæ dicuntur & fiunt, fieri poteſt, ut privatus ex intelligentia quadam conjecturam faciat. Jam igitur, unde horum quodque noſſe oporteat, ego depromam.

CAPUT II.

De morbis a capite ex pituita ortum ducentibus, doloribus capitis & aurium, faucium inflammatione, uvula, dentium doloribus, polypo. & eorum curatione.

SI in caput dolores inciderint, hujus (ægri) caput multæ calidæ lotione calefacere confert, & ſternutamento excitato pituitam ac mucos ſubducere. Quibus, ſi dolore liberetur, hæc ſatis ſunt: ſi vero non liberetur, caput pituita repurgandum: in victu autem ſorbitio, & in potu aqua ſit. Vinum autem minime offerendum, quoad dolor ſedetur: vehementior enim dolor evadit, ſi caput, dum calidum fuerit, vinum attraxerit. Dolores autem ex pituita ingruunt, quum in capite commota, coacervata fuerit: quod ſi alias atque alias dolor & tenebricoſa vertigo in caput incidat, hæc quidem admota proſunt; juvat etiam ſanguis ex naribus, aut ex vena frontis detractus. At ſi diuturnus & vehemens capitis morbus evadat, neque capite purgato tollatur, aut hujus caput ſcarificare, aut venas in circuitu adurere oportet; inter cætera enim ab his duntaxat ſanum fore ſpes eſt. Ægroti ſtatim per initia conſtitutio-

tutionis morborum ſpectandi ſunt, qua re opus habeant, & quales ſint ut pharmaco purgentur, aut ut aliud, quodcunque aliquis voluerit, exhibeatur: at ſi omiſſo principio, ad finem procedente morbo exhibueris, confecto jam corpore, veritus vehemens quiddam adhibere, periculum eſt, ne magis fruſtreris, quam ſucceſſum conſequaris. Si dolor ad aures irruerit, multa calida lavare & aures fovere confert; & ſi quidem ad hæc ceſſerit pituita attenuata e capite, dolorque ceſſaverit; hæc ſatis ſunt: ſin minus, cæterorum fuerit optimum medicamentum propinare, quod ſurſum pituitam purget; aut caput eo purgare, quo capitis pituita purgatur. Hic vero dolor etiam oboritur, quum intrinſecus ad meatum auditorium pituita ex capite illapſa fuerit. At ſi fauces inflammatione afficiantur, oris collutionibus utendum: hæc autem etiam a pituita naſcuntur. Si vero gingivæ, aut pars quædam ſub lingua inflammatione laboret, manſoriis utendum: hæc vero a pituita etiam fiunt. Si uva ſuſpenſa fuerit, & ſuffocarit (gurgulionem nonnulli hoc vocant) ſtatim quidem gargariſmis apparatis, velut in medicamentis ſcriptum eſt, utendum. Quod ſi ex his gracilis non evadat, occipitio deraſo cucurbitulæ duæ admovendæ, & ſanguis plurimus detrahendus, pituitæque fluxus in poſteriora revellendus: ſi vero neque his ſubſidat, ſcalpello, ut aqua educatur, incidito. Sectio autem facienda eſt, ubi ſumma ejus pars ſubrubra evaſerit: ac niſi talis facta ſecetur, inflammari conſuevit, interdumque derepente ſuffocat. Hoc vero etiam a pituita fit, ubi calefacto capite, ex eo confertim defluxerit. In dentium autem doloribus, ſi (dens) quidem eroſus fuerit & mobilis, eximendus: quod ſi

neque erosus fuerit, neque moveatur, sed dolorem inferat, ustione resiccandus: prosunt etiam quæ commanducantur. Dolores autem oriuntur, quum pituita sub dentium radices subierit. Exeduntur autem & eroduntur, partim quidem a pituita, partim vero a cibis, si natura debiles fuerint, & cavitatem habeant, ac in gingivis male infixi sint. Si polypus in nare innascatur, velut flatulentus tumor, ex naso in obliquum respirans difflatur, ac intumescit. Eximitur autem laqueo ad os ex naso pertractus: quidam etiam medicamentis tabefaciunt. A pituita autem nascitur. Atque hi quidem morbi sunt, qui a capite ortum ducunt, præter oculorum (morbos) de quibus seorsim scribetur.

CAPUT III.

De morbis ventris acutis, hieme vehementissimis, pleuritide, peripneumonia, febre ardente, phrenitide; ac aliis levioribus hieme in acutos transeuntibus; eorumque omnium mutatione, caussis, signis, & curatione.

AT vero in ventris morbis hæc animadvertenda sunt Pleuritis, peripneumonia, febris ardens, & phrenitis: hi (morbi) acuti vocantur; & maximi quidem & vehementissimi hieme oriuntur; oriuntur quoque per æstatem, sed minus, & leviores. Quod si tibi forte contigerint hæc faciens & consulens, maxime voti compos fies.

Pleuritis. Febris detinet, lateralis dolor, erecta cervice spiratio, tussis, & sputum per initia quidem subbiliosum exspuit; postquam

autem quintum aut ſextum diem attigerit, etiam ſuppurulentum. Huic ad lateris dolorem, quod pituitam & bilem a latere deducat, dandum eſt; dolor enim ſic leviſſimus fuerit: ventrem vero ſubducente & refrigerante clyſtere curare oportet. Sic enim univerſo morbo maxime confert. Exhibendus etiam potus, & ſorbitio, & potiones acidiores propinandæ, quo ſputum de latere repurgetur. Quum vero pus repurgari cœperit, latus extrinſecus calefaciendo, quæ circa latus ſunt, maturare conducit; prius autem non confert, propterea quod reſiccetur. Oritur autem hic morbus ex potibus maxime, quum quis humecto corpore, aut temulentus, aut ſobrius riguerit; fit etiam aliter. Judicatur autem hic morbus, breviſſimus quidem ſeptimo die, longiſſimus autem decimo quarto; quo quidem ſi pus a latere per ſputum rejectum & repurgatum fuerit, ſanus evadit: ſi vero minime exſputum fuerit, purulentus fit, & morbus longior. Judicari autem in morbis eſt, quum morbi augeſcunt, aut exoleſcunt, aut in alium morbum tranſeunt, aut deſinunt.

Peripneumonia. Febris detinet, & tuſſis, & primum quidem pituitam craſſam & puram exſcreat; ſexto vero ac ſeptimo die aliquantulum bilioſam, & ſublividam; octavo autem & nono, pure permixtam. Huic ſi dorſi aut laterum dolor oboriatur, exhibeto quod in pleuritide ad lateris dolorem in medicamentorum tractatione ſcriptum eſt. Potibus autem & ſorbitionibus, alvi etiam ſubductione ac refrigeratione, iisdem, quibus in pleuritide, curatio facienda eſt: ut autem ſputum & pus ex pulmonibus ſurſum educatur, exhibenda ſunt in potu medicamenta, quibus pulmo humectatur, & pus per ſuperiora repur-

gatur. Hic autem morbus oritur, quum pituita ex capite confertim ad pulmonem defluxerit: interdum vero, quum ex pleuritide in peripneumoniam, & febrem ardentem tranſitus fit. Judicatur autem breviſſimus quidem decimoquarto die, longiſſimus vero duodevigeſimo. Hunc pauci effugiunt, & ex hoc morbo ſuppurati evadunt; niſi pulmo judicatoriis diebus purgatus fuerit.

Quum phrenitis prehenderit, primum levis febris detinet, & dolor circa hypochondria, magis autem dextra ad hepar: quum autem quartus aut quintus dies acceſſerit, tum febris vehementior, dolores augentur, colorque aliquantulum bilioſus efficitur, & mentis læſio. Huic ad dolorem (eadem) quæ in pleuritide exhibenda ſunt, & ubi dolor detinet, tepefacientia admovenda: ſed & alvus curanda, eademque reliqua excepto potu facienda. Potu quovis alio, præterquam vino utendum; aut acetum, & mel, & aqua exhibenda. Vinum autem mente læſa, neque in hoc morbo, neque in quibuſvis aliis confert. In hoc autem morbo etiam caput multa calida lavare conducit: emollito enim corpore, ſudor magis quoque oritur, & alvus & urina ſecedit, ipſeque ſui magis compos evadit. Hic morbus oritur a bile commota, ubi ad viſcera, & ſeptum tranſverſum reſederit, judicatur autem morbus breviſſimus die ſeptimo; longiſſimus vero undecimo: at hunc & pauci effugiunt; ipſeque in pulmonis inflammationem tranſit; &, ſi tranſierit, pauci effugiunt.

Quum febris ardens detinet, febris & ſitis vehemens afficit, lingua aſpera & nigra, ſpiritus calore redditur, color aliquantulum bilioſus fit, & dejectiones bilioſæ: atque ægro exteriora frigida ſunt; interiora vero admodum calent. Huic refrigeran-

tia & ad alvum, & exteriorem corporis partem admovere convenit, cavendo ne inhorrefcat: potiones quoque, & forbitiones crebræ, & paulatim, quam frigidiffimæ exhibendæ. Alvus vero curanda; &, fi quidem, quæ in ea continentur, non fecedant, fubluenda; per infufa vero quam frigidiffima, vel quotidie, vel tertio quoque die refrigeranda. Hic autem morbus oritur ex bile commota, quum in aliquam interiorem corporis partem incubuerit. Confuevit etiam in pulmonis inflammationem tranfire: judicatur autem, breviffimus quidem nono die; longiffimus vero decimoquarto. Et, fi quidem in pulmonis inflammationem tranfierit, pauci effugiunt; fi vero non tranfierit, multi evadunt. Atque hi quidem acuti (morbi) vocantur, eofque fic curare decet.

Quæcunque vero aliæ febres hieme, five ex vino, five ex laffitudine, five ex alia quavis re oriuntur, diligenter obfervandæ funt: interdum enim in acutos morbos tranfeunt; earumque tranfitus eft ejusmodi. Commotis duobus (humoribus), tum bile, tum pituita, ubi quæ conferunt corpori, minime exhibentur; ipfi in fefe collecti, tum bilis, tum pituita, in eam corporis partem, quamcunque fors obtulerit, incidunt: fitque aut pleuritis, aut phrenitis, aut peripneumonia. Febres igitur hieme cavendæ funt: fit autem earum præfervatio quies, extenuatio, & ventris evacuatio: forbitionibus autem & potionibus immorandum, donec febris imminuta fuerit. Ex morbis acuti prope maxime & interficiunt, & maximos labores afferunt, atque tum præfervatione, tum accuratiffima curatione indigent. Et a medente quidem nullum malum inferri debet, (fatis enim funt quæ ab ipfis morbis adfunt)

ſed bonum quodque pro viribus conciliari. Quod, ſi probe quidem curante Medico, morbi magnitudine ſuperetur æger, hæc Medici culpa non eſt: ſi vero, cum recte non curet, neque morbum cognoſcat, a morbo ſuperetur, Medici (culpa eſt.)

CAPUT IV.

De æſtivis morbis, doloribus, ac febribus, febre ardente, tertiana, quartana, eorumque ſimptomatibus, cauſis, ſignis, criſibus, & curatione.

Æſtate hæc contingunt. Febris vehemens detinet & ſitis, quidam bilem vomunt, quibusdam etiam per inferiora ſecedit. His quodcunque tibi idoneum eſſe videbitur, potui & ſorbitioni exhibeto. Quod ſi bilis aut pituita circa os ventriculi conſideat, aqua frigida aut mulſa epota vomendum; &, ſi venter infra non dejiciat, clyſtere vel glande utendum. Morbus hic ex bile oritur: liberantur autem maxime ſeptimo vel nono die. Quod ſi febre detinente, neque per inferiora, neque per ſuperiora purgentur: dolor autem inſit toto corpore; tertio aut quarto die levi medicamento, aut potione per inferiora purgandum; parandæque ſorbitiones ex milio aut farina, iisdemque potionibus curandum. Hi vero affectus etiam ex bile contingunt. Si vero partes exteriores admodum incenſæ non fuerint, ſed interiores, linguaque aſpera & nigra reddatur, & pedes, ſummæque manus frigidæ ſint: huic medicamentum quidem ne dederis; ſed curationem per refrigerantia &

ventri & reliquo corpori adhibita facito. Hæc febris ardens nominatur: judicatur autem maxime die undecimo & decimoquarto. Quod si febris prehendat & dimittat, corporis autem gravitas detineat, hunc, donec quidem febris detinuerit, sorbitionibus, ac potionibus curato: quum vero minime detinuerit, etiam cibos dato: sed quam citissime purgato medicamento, sive sursum sive deorsum tibi eo opus esse videatur. Si vero febris quidem non detineat, os tamen amarum habeat, & corpus gravetur, cibumque aversetur, medicamentum exhibendum. Hæc autem a bile contingunt, quum ad venas & articulos decubuerit.

At quicunque alii dolores per æstatem circa ventrem contingunt, si quidem ad hypochondria & os ventriculi (feruntur), aquam mulsam aquosam paratam ad heminas tres, aceto effuso tepidam propinato; & ubi modico tempore eam continuerit, & igne & vestibus calefactus fuerit, vomat. Quod si a vomitu rursus urgeant & suffocent, rursus vomitum cieto; aut multa calida loto alvum subluito, & tepefactoria, si dolor detinuerit, admoveto: hæc autem præcipue ex pituita contingunt, quum commota ad os ventriculi irruperit. Qui vero hujusmodi doloribus vexantur, his etiam ea medicamenta exhibenda, quæ ad hujusmodi morbum sedandum in medicamentorum tractatione scripta sunt. At si dolor alias ad aliam ventris partem transierit, multa calida lavandum, si sit citra febrem, & ob dolorem ea potui exhibenda, quæ in pleuritide scripta sunt, aut aliud quodcunque tibi visum fuerit. Quod si dolore non liberetur, medicamento per inferiora purgandum: cibis vero, quoad dolor tenuerit, abstineat. Hujusmodi autem dolores, qui sic er-

rant, a bile oriuntur: quicunque vero dolores infra umbilicum grassantur, in his alvus est emollienti clystere subluenda; si vero non sedentur, medicamentum deorsum purgans exhibendum. Qui vero dolores derepente citra febrem corpori accidunt, in his multa calida lavare ac tepefacere confert. Pituita namque & bilis, coacta quidem, vehementia sunt, & prævalent, quacunque corporis parte constiterint, gravemque tum laborem, tum dolorem afferunt: diffusa vero, quacunque corporis parte se prodant, imbecilliora sunt.

At vero morbi, qui per æstatem contingunt, sic oriri solent. Quum corpus a sole incaluerit, humectatur; humectatum vero ægrotat, aut totum, aut ea parte, in quam pituita & bilis decubuerint. Eos igitur si quis per initia curet, neque longi, neque periculosi redduntur; si vero non curet, aut male curet, & longiores esse consueverunt, & plerumque interficiunt: quinetiam ex talibus tertianæ & quartanæ febres oriri solent. Hæc morborum constitutio potissimum quidem per æstatem; nonnullis etiam per hiemem, contingit. Quum febris tertiana detinuerit, si quidem impurgatus esse tibi videatur, quarto die medicamentum purgans exhibeto: at si medicamento opus esse tibi non videatur, in potu ea medicamenta danda sunt, quibus febris aut transferatur, aut desinat: exhibenda autem, quemadmodum in medicamentis scriptum est. Et detinente febre quidem, sorbitione, & potu nutriendum; tempore autem intermedio, cibis alvum subducentibus. Detinet autem plerumque non longo tempore; nisi vero curetur, in quartanam transire & diuturna esse solet. Si autem quartana prehenderit, siquidem impurgatus fuerit, primum caput

purgandum; & tribus aut quatuor interjectis diebus, sub ipsam accessionem medicamentum sursum purgans exhibendum; rursus aliquo intervallo interjecto, aliud medicamentum deorsum purgans in ipsa accessione dandum. Quod si per hæc non sedetur, rursus intermissis aliquot diebus, multa calida loto, medicamenta, quæ scripta sunt, exhibenda. Potionibus autem & sorbitionibus, reliquaque victus ratione, velut in tertiana, utendum. Hæc autem febris plurimos quidem longo tempore invadit, quosdam vero etiam brevi: & oritur quidem tum tertiana, tum quartana ex bile & pituita; cur autem tertiana & quartana; alibi a me scriptum est. Harum autem febrium medicamenta hanc habent facultatem, ut his epotis corpus in consueta caliditate & frigiditate juxta locum consistat, neque præter naturam incalescat, neque refrigeretur: exhibenda vero, quemadmodum in medicamentorum tractatu scriptum est.

CAPUT V.

De pituita alba, & liene magno, duro, & suppurato, eorumque affectuum causis, in hydropem mutatione, symptomatibus, & curatione.

QUum pituita alba detinuerit, totum corpus tumore albo intumescit; eodemque die alia parte melius; alia deterius habere sibi videtur, tumorque alias alia corporis parte & major & minor est. Huic medicamenta deorsum purgantia exhibenda, quibus aqua, aut pituita purgatur: in victus autem ratione utendum cibis &

potibus, ac laboribus, ex quibus ſicciſſimus; & maxime gracilis evadat. Morbus hic a pituita oritur, quum quis ex diuturnis febribus, pituita abundans, minime purgatus fuerit, & in ejus carnes pituita ſe recipiat. Et hæc quidem licet alia pituita nihilo albidior ſit, cutis tamen color candidior apparet: ſanguis enim pituitæ copia aquoſior redditur, nec æque in eo bonus color ineſt; propterea que candidiores apparent, morbuſque pituita alba vocatur. Si igitur curatus initio morbi fuerit, convaleſcit; ſin minus, in hydropem morbus tranſit, & hominem perimit.

Quicumque magnum habent lienem, qui quidem bilioſi ſunt, male colorati evadunt, pravis ulceribus ſcatent, ore graveolent, tenueſque ſunt, lien durus eſt, ſemperque æqualis magnitudinis, cibique non ſecedunt: qui vero pituitoſi ſunt, hæc aut minus patiuntur, & lien alias major, alias minor redditur. His confert, ſi quidem minime purgati videantur, & caput & reliquum corpus purgare: quod ſi purgatione non egeant, victus ea ratio inſtituenda; ita ut pituitoſis quidem corpus exſiccet, & extenuet, cibis, potionibus, vomitionibus, & exercitationibus quam plurimis, ac deambulationibus: quinetiam vere per veratrum ſurſum purgandum; bilioſis vero confert victus ratione humectante alvum & veſicam ſubducere, & e vena ſplenica crebro ſanguinem mittere: & medicamentis urinam cientibus uti, quæ lienem mollire ſcripta ſunt, & pro anni tempore bilem purgare. Ex lienoſis autem nonnulli medicamentis epotis minime juvantur, & ex reliqua curatione nihilo gracilior etiam lien redditur, ſed quæ admoventur, a morbi magnitudine ſuperantur: progreſſu vero temporis quibusdam morbus

in hydropem degenerat, & peremti ſunt; quibuſdam vero purulentus fit, & uſti conſaneſcunt; quibuſdam etiam durior & magnus ad ſenectutem uſque perſeverat. Oritur autem morbus, quum ex febribus & vitioſa curatione, bilis aut pituita, aut utraque ad lienem decubuerint: & diuturnus quidem affectus eſt; minime tamen lethalis. Ex medicamentis autem, quæ ad lienem exhibentur, alia quidem per veſicam purgant, & molliorem efficiunt; alia vero purgant quidem, neque per veſicam quicquam, quod evidens ſit, neque per aliam uſpiam partem; lienem tamen emolliunt.

CAPUT VI.

De volvulo, & hydrope, & utriuſque cauſis, prognoſi, & curatione, & hydropis chirurgia.

QUum volvulus corripuerit, venter durus redditur, nihilque dejicit, dolorque totam inferiorem alvum detinet, & febris, & ſitis: interdum etiam præ dolore bilem (æger) vomit. Hunc & intus & extra humectare oportet, & multa calida lavare, eaque bibere, quæ & alvum moveant, & urinam deducant; & (alvum) ſubluere, ſi admittat. Quod ſi clyſterem non admittat, fiſtula propendulo utriculi petiolo alligata & inflata, multus flatus immittendus: quumque inteſtinum & venter a flatu elevata fuerint, exempta fiſtula, ſtatim clyſter injiciendus. Quem ſi admiſerit, alvus dejiciet & convaleſcet: ſi vero ne ita quidem clyſterem receperit, ſeptimo potiſſimum die moritur. Oritur autem ejuſmodi morbus, quum ſtercore acervatim combuſto in inte-

ſtino, pituita circa hoc colligitur; inteſtinumque, his nimirum confertim induratis, intumeſcit, nullumque ex his medicamentis, quæ per ſuperiora bibuntur, recipit; ſed vomitione rejicit: neque admota per inferiora infuſa recipit; eſt autem morbus acutus & periculoſus.

Hydrops autem plerumque oritur, quum quis ex morbo longo non purgatus, diuturno tempore moratur: carnes namque corrumpuntur, & liquantur, & in aquam vertuntur. Sed & fit hydrops a liene, ubi ægrotarit; & ab hepate, & alba pituita, & a dyſenteria & lienteria: & ſi quidem hydrops ex purgationis defectu oboriatur, venter aqua impletur; pedes & tibiæ attolluntur; humeri vero, claviculæ, pectus, & femora contabeſcunt. Hunc, ſi (curandum) initio acceperis, priuſquam aqua ſupra modum exſcreverit, medicamenta propina, quibus aqua, aut pituita per inferiora purgetur: bilis vero minime movenda. Victus ratio inſtituenda in cibis & potibus, laboribus & deambulationibus, a quibus gracilis & ſiccus reddatur, & carnes robuſtiſſimæ. Hic vero morbus cum alias lethalis eſt, tum ſi venter jam aqua repletus fuerit. At quum a liene, aut hepate, aut alba pituita, aut dyſenteria in hydropem tranſierit, per eadem quidem curare confert, neque tamen admodum evadunt: in morbis enim, qui alter alteri ſuccedit, plerumque interficit. Quum enim corpori a præſenti morbo debilitato, alter morbus acceſſerit, præ imbecillitate prius perit, quam alter, qui poſterior acceſſit, morbus deſinat. Aqua ſane ſic gignitur. Quum carnes pituita, tempore, morbo, purgationis penuria, prava curatione, & febribus corruptæ fuerint, liqueſcunt & in aquam vertuntur; neque in ſe quidem venter aquam deſtribuit: ſed

in ejus ambitu ipſa conſiſtit. Si igitur a medicamentis, ac reliqua victus ratione auxilium percipiat, ejuſque venter evacuetur, ſatis eſt: ſin minus, ſectione facta aquam educito: fit autem ſectio vel juxta umbilicum, vel retro juxta ilia. Unde vero pauci etiam evadunt.

CAPUT VII.

De dyſenteriæ, lienteriæ, diarrhœæ, teneſmi, choleræ cauſis, ſignis, & curatione.

QUum dyſenteria detinuerit, dolor totum ventrem occupat, & tormina, bilem, pituitamque, & ſanguinem aduſtum per alvum dejicit. Hujus purgato capite, medicamentum, quod ſurſum pituitam purget, propinato; & alvo lacte cocto abluta, reliquum corpus curato. Et ſi quidem febris expers fuerit, ex alvo quidem unguinoſis, pinguibus, dulcibus, ac liquidis, quæ inſunt ſemper educito; & ſi dolor detineat, partes ſub umbilico calida multa lavato; potiones, ſorbitiones & cibos, prout in medicamentorum tractatione ſcriptum eſt, adhibeto. Oritur hic morbus, poſtquam bilis & pituita in venas & alvum decubuerint: ægrotat quidem ſanguis, & corruptus ſecedit; ægrotat autem inteſtinum, & raditur, ac exulceratur. Longus autem hic morbus redditur, laborioſus, & lethalis: ac, ſi quidem robuſto adhuc corpore curetur, effugiendi ſpes eſt; ſi vero jam colliquato, ventreque penitus exulcerato, vitæ nulla ſpes eſt.

Lienteria. Cibi dejiciuntur incorrupti, liquidi; dolor non adeſt; corpus autem extenuatur. Hunc iisdem, velut dyſenteria detentos,

curato: hic morbus oritur, quum ex capite, & ſuperiore ventre in inferiorem ventrem pituitæ defluxus inciderit: quum autem id fit, cibi ab eo refrigerantur & humectantur, eorumque incorruptorum celer fit ſeceſſus; & corpus liqueſcit, quum ſimul cibi non idoneo tempore in ventriculo coquantur, & ſimul a ventriculo calido præter naturam incaleſcat. At quum diarrhœa detinet longa; primum quidem, quæ ingeruntur, liquida per alvum ſecedunt: deinde vero pituita. Et probe quidem veſcitur; verum a copioſa alvi dejectione debilis ac gracilis redditur. Hunc, veratro potui exhibito, & capite pituita purgato, ſupra reſiccabis; & lacte cocto alvum eluito: deinde reliqua curato per cibos & potiones, quibus venter, & totum corpus exſiccetur. Morbus ab iisdem oritur, a quibus lienteria. Hi morbi, dyſenteria, lienteria, ac diarrhœa, ſunt congeneres; eoſque ſic curare oportet, ut defluxionem quidem a capite & ſuperiore ventre intercipias, aut avertas; morbi namque natura inde manat, neque eſt, qui qua in re ſententiam tuam coarguat. At fere & reliquos morbos ſic conſiderare oportet, unde unicuique natura ſit: quod, quum ita conſideraveris, morborumque principium deprehenderis, minime aberraveris.

Quum teneſmus prehenderit, ſanguis niger, & mucus ſecedunt, dolorque in inferiore alvo oritur, ac maxime ubi ad ſeceſſum devenerit. Huic alvum proluere, lenire, ac tepefacere convenit; quæque intus ſunt ſubducere, & calida, excepto capite, lavare. Hic autem morbus plures cibos inſumere conſuevit: quum enim evacuatur venter, a ſanguine ac muco tranſeuntibus, & ad inteſtinum illabentibus, tormina fiunt: intus autem manentibus cibis, minorem inteſtino mor-

dacitatem inferunt. Ac fit quidem ex iifdem, a quibus & dyfenteria; verum imbecillior, & brevis, minimeque lethalis.

Quum autem ex vino, aut ab epulis cholera prehenderit, aut diarrhœa: diarrhœæ quidem jejunium confert; &, fi fitis detineat, vinum dulce exhibendum, aut uvarum dulcium retrimenta: fub vefperam autem ea danda, quæ a medicamento purgatis dantur. Quod fi non fedetur, fedare autem velis, vomitum poft cibum, aut lenticulæ decoctum, excitato; confeftimque per inferiora feceffus furfum revellitur; ac fi lentium aut cicerum cremore elueris, fic quoque quodammodo fedabitur. At choleræ confert, fi quidem dolor detineat, ea dare, quæ in medicamentis dolorem fedare fcripta funt: venter autem tum fuperior, tum inferior, potionibus humectantibus curandus, corpufque excepto capite, balneis calidis emollientibus; ficque proclivior vomitus contingit, & fiquid humidi fubierit, quæ molefta funt, furfum revomuntur, & per inferiora feceffus magis prodit: quod fi vacuaveris, violenter evomuntur, & violentius fecedunt: fub vefperam autem etiam huic dato, quæ ei, qui medicamento purgante ufus eft, exhibentur. At hi dolores, qui ex vini potionibus, aut epulis contingunt, oriuntur etiam, quum cibi & potus folito copiofiores in ventriculum fubierint, quæque foris corpus fupra modum calefacere folent, bilem & pituitam agitarint.

SECTIO II.

CAPUT VIII.

De ſtranguriæ, iſchiadis, arthritidis, & podagræ cauſis, ſignis, & curatione.

STranguriæ multi quidem & varii ſunt modi. Confert vero, foris quidem corpus balneis calidis emollire; intus vero humectare, alvum quidem cibis, quidem quibus fluida reddatur; veſicam vero potionibus, a quibus urinæ quamplurimum profluit: ex medicamentis autem urinam cientibus, ea danda ſunt, quæ in medicamentorum tractatu dolorem ſedare ſcripta ſunt. Hic morbus vero a pituita oritur, & quum quidem veſica reſiccata, aut refrigerata, aut vacuata fuerit, dolorem affert; quum vero humida & plena, aut etiam diſtenta eſt, minus. Hic autem morbus ſenioribus quidem longior fit: junioribus vero, brevior; neutris tamen lethalis.

Quum iſchias fit, dolor coxæ connexionem invadit, & extremam natem, & clunem; tandem vero per totum etiam crus dolor deerrat. Huic confert, quum dolor detinuerit, balneis, tepefactoriis, ac fomentis emollire ad quamcunque cruris partem dolor forte decubuerit, alvumque ſubducere: quum autem levatus dolor fuerit, medicamentum infra purgans exhibere, & poſt hæc lac aſinnium coctum potare: ad dolorem autem dentur, quæ ſcripta ſunt in medicamentorum tractatione. Oritur hic morbus, quum bilis & pituita ad venam ſanguifluam decubuerit, aut ex alio morbo, aut alias, quicquid ſanguinis a pituita & bile coactum, ægrotarit: iſtud enim

enim toto crure per venam ſanguifluam vagatur; & ubicunque conſtiterit: ibi etiam dolor maxime manifeſtus & moleſtus contingit: non tamen lethalis. Si vero in unum aliquem locum decubuerit dolor, & conſtiterit, neque medicamentis expellatur, urito quocunque loco dolor forte conſederit; ſed eum lino crudo inurito.

Arthritis morbus quum detinet, corporis articulos ignis & dolor invadit: prehendit etiam acutus, & ad alium atque alium etiam articulum vehementiores & leviores dolores decumbunt. Huic, qua parte dolor detinet, refrigerantia admovere confert, & quæ in ventre ſunt, per clyſteres & glandem ſubducere; & quicquid tibi profuturum videbitur, ſorbendum & bibendum exhibere. Quum vero dolor remiſerit, medicamentum deorſum purgans propinato; & poſt hoc ſerum coctum, aut lac aſininum potui exhibeto. Hic morbus ex bile & pituita oritur, quum agitata ad articulos decubuerint; & brevis quidem & acutus eſt: ſed minime lethalis; junioribuſque magis, quam ſenioribus contingere ſolet.

Podagra vero ejuſmodi omnium, qui circa articulos oboriuntur, (affectuum) violentiſſimus quidem eſt, ac diuturniſſimus, quique ægerrime ſolvitur. Et eſt hic quidem morbus ſanguinis in venis a bile & pituita corrupti: quanto autem in tenuioribus fuerit venulis, ac in plurima corporis neceſſitate conſtitutis, & in nervis, & oſſibus multis ac denſis, tanto ſane permanentior morbus eſt, ac ægrius profligatur. Huic morbo eadem, quæ & arthritidi, conferunt, & longus quidem etiam hic morbus eſt & moleſtus; minime tamen lethalis. Quod ſi in pollicibus dolor relinquatur, venas in pollice paululum ſupra articuli

nodum inurito: uſtio autem per linum crudum fiat.

CAPUT IX.

De icteri, & turberculorum cauſis & curatione; & de fœdis affectibus, lepra, prurigine, ſcabie, impetigine, vitiligine, alopecia; favo, panis, furunculis, & carbunculis.

ICterus autem ita curandus eſt. Corpus quidem balneis calidis foris emolliendum; alvus vero & veſica humectanda, & ex urinam cientibus danda, quæ ante ſcripta ſunt. Quod ſi vehemens fuerit, capite purgato, medicamentum, quod bilem per inferiora purget, propinato; poſtea vero urinam ducentibus utendum. Hic autem morbus oritur, quum bilis commota ſub cutem fuſa fuerit. Hæc autem ſi vir privatus noverit, haud ſimiliter in incurabiles morbos inciderit: ſolent enim morbi ex parvis cauſis, magni ac diuturni fieri. Et, quæ quidem ad cibos aut potiones ſpectant, vel ſorbitiones, vel medicamenta, quæcunque doloris gratia exhibentur, ea omnia ſemper ſine periculo exhibentur, ſi, prout præſcripta ſunt, exhibueris: quæ vero medicamenta bilem aut pituitam purgant, in his pericula incidunt, & culpæ medentibus imputantur: hæc igitur maxime evitare oportet.

Atque ii quidem morbi ſunt, qui circa ventrem oriuntur, ſuppuratis & tabidis, & muliebribus morbis exceptis hi enim ſeorſim ſcribentur. Quæ tubercula naſcuntur, omnia a pituita aut ſanguine naſcuntur. Quum autem a vulnere, aut caſu collecta fuerint, hæc ſane confert partim quidem cataplaſ-

matibus inducere, & medicamentis epotis discutere; partim vero cataplasmatibus impositis maturare. Ex cataplasmatibus autem discutiunt, quæcunque calida humectant, neque ad se trahunt: maturant autem, quæ calefaciendo contrahunt. Quum vero aliquid sectum, aut sponte ruptum fuerit, medicamento humorem repurgato; quum autem pus effluere desierit, velut ulcus curato. Lepra, pruritus, scabies, impetigines, vitiligo, & alopeciæ ex pituita oriuntur: sunt autem ista fœditas potius, quam morbi. Favus, strumæ, pani, furunculi, & carbunculus, a pituita creantur. In his, ut ea repurges, medicamentis ad hunc modum utendum. Quicunque biliosi quidem sunt, his ea exhibeto, quibus bilis repurgetur; pituitosis vero, a quibus pituita; melancholicis autem, a quibus bilis atra; hydropicis vero, a quibus aqua. Quæ medicamenta potui dantur, & non purgant neque bilem, neque pituitam, ea quum corpus subierint, facultatem suam exhibere oportet, aut refrigerando, aut calefaciendo, aut siccando, aut humectando, aut cogendo, aut diffundendo: quæ vero somnum conciliant, ea sanguini quietem per medicamentum præbere oportet

---

CAPUT X.

Quæ apud ægrotum medico animadvertenda ac inquirenda sint; ac de idoneis vulnerato remediis diæteticis, ac pharmaceuticis.

QUum vero ad ægrotum accesseris, quænam patiatur, interrogare oportet, & quanam ex causa, & quot jam diebus, an etiam venter

fecedat, & quo victu vivat; imprimifque animadvertere, utrum morbus a bile, aut pituita, aut ab utriufque ortus fit: probeque id noffe, quod ab horum altero, aut utroque ut oriatur, neceffe fit: deinde utrum ficcitate vel humiditate indigeat; aut aliæ quidem corporis partes ficcitate, aliæ vero humiditate: poftea an morbus per fuperiora an per inferiora curandus fit, vel per veficam; & num morbus increfcat, aut minuatur; num folvatur, vel in alium tranfeat.

Vulneratos fame conficito, & ex alvo quæ infunt, aut per clyfterem, aut dato medicamento, deorfum purgante fubducito; aquam vel acetum potui exhibeto, aut forbitiones dato. Inflammata cataplafmatibus refrigeranda: fint autem hæc cataplafmata, aut betæ in aqua coctæ, aut apium, aut oleæ folia, aut fici folia, aut rubi, aut quercus aut mali puniceæ dulcis: atque his coctis utendum eft; crudis vero rhamni folia, aut viticis, aut falviæ, aut tithymalli, aut pulegium viride, aut porrum, aut apium, aut coriandrum, aut ifatidis folia, (admoveto). Quod fi horum nihil habeas, neque ullum aliud cataplafma, polentam aqua aut vino fubactam ex cataplafmate imponito. Tamdiu autem cataplafmata hæc juvant, quamdiu ulcere frigidiora fuerint; quum vero fuerint calidiora, aut æque calida, nocent. Pinguia inflammatis minime conferunt, neque fordidis, neque putrefcentibus: verum ad inflammata frigida conferunt; ad fordida vero & putrefcentia, acria, & quæ morfum quemdam excitando purgant: quum vero carnem generare voles, pinguia & calida magis conferunt; ab his enim caro fuccrefcit.

CAPUT XI.

Sanorum victum ægrotis alterandum esse, & sorbitiones in omnibus morbis exhibendas; quæ esculenta & potulenta alvum subducant, & adstringant, & vires recreent; quæ purgatis, febricitantibus, & febris expertibus exhibenda; quæ humectent, & exsiccent.

QUibus cibis, aut potionibus in victu per sanitatem homines utuntur, ex his præsentibus ad ægrotos uti oportet, ita ut eos præpares calidos, frigidos, humidos, siccos; ex frigidis quidem calidos, & calidos ex minime calidis, & siccos ex non siccis, & reliquos ad eundem modum. Neque vero de præsentium facultatibus dubitandum, neque absentia investiganda, quæ nullam ægro utilitatem afferre possunt. Quod si probe consideraveris, præter hæc, pauca invenies, quibus apud ægrum utaris. Sorbitiones autem in omnibus morbis exhibendæ, aut ptisana, aut milium, aut farina, aut alica. Ex his quæ ad alvi dejectionem exhibueris, tenuia, & cocta magis, dulcioraque dato, quam salsiora, aut calidiora: quæ vero ad robur, aut virium refectionem, crassiora, & pinguiora, & moderate cocta. Potionibus autem utendum, si quidem alvum & vesicam subducere velis, vino dulci, aut aqua mulsa; si vero adstringere, austero, albo, tenui, aquoso; si roborare, austero, nigro. Qui vinum injucunde bibunt, iis potiones præparatæ & in medicamentorum tractatione scriptæ exhibendæ.

His, qui medicamentum biberunt, post purgationem exhibeto, febricitantibus quidem, aut lenti-

culam, aut milium tenue, aut ptiſanæ cremorem. Ptiſana autem danda quidem, & milium, ut quæ levia ſint: alica vero, velut omnium robuſtiſſima; & farina, velut his valentior. Lenticula autem odorata paranda, & pauca ſecundo loco exhibenda, ut quæ levis ſit ſorbitio, & ori ventriculi ſuperiori grata: admiſceatur autem aut ſal, aut mel, & cuminum & oleum: ad lenticulam vero aut pulegium herbam, aut aceti parum admiſceto.

Febre vero carentibus panis puri medullam juſculo intritam dato, aut mazam, aut (piſcis) cocti (& ſale conditi) fruſtulum, aut oviculæ tenerrimæ carnem, aut gallinæ, aut catuli coctam: & febricitantibus, aut betam, aut cucurbitam, aut blitum, & poſt cibum vinum vinoſum, vetus, album, perquam dilutum propinato. Quibus lavari non confert, ii vino & oleo calido inungantur, & tertio quoque die detergantur.

Cum laborantis alvum cibis humectare velis, mazam & opſonia exhibeto; marinorum quidem piſcium fruſtula cocta ex intrito; oviculæ quam tenerrimæ carnes, aut hœdi, aut catuli, aut volucris coctas; & betam, aut blitum, aut rumicem, aut cucurbitam, ſi anni tempus tulerit: olera vero apium, & anethum, & ocimum, & vinum mellitum, vetus, album, aquoſum. Quum autem corpus ſiccare velis, panem dato, & opſonia aſſa & ſicca, eaque omnia calidiora, & carnium partes carnoſas, piſces ſaxatiles; olera, rutam, aut thymum; aut origanum; vinum autem nigrum auſterum. Opſonia vero ſale & cumino condito, reliquis vero condimentis quam minimum utitor.

CAPUT XII.

Quomodo convalescentes reficiendi sint, & in morbis, quæ conferat, siccitas, aut humiditas, conciliandа; ægris optata, si non noceant, exhibenda; paulatim victum addendum, aut detrahendum esse; copiosos cibos conficientibus, sorbitiones non exhibendas; alimenta & medicamenta, quæ in arte sunt, discenda. Quis victus imbecillis idoneus.

AT quum ex morbo vires reficere volueris, alia quidem eadem, quæ dum alvum humectas, exhibeto; sed pro lactentibus carnes validiores, & pro catulinis, volucrium & leporinas; & ex his assas quasdam tum carnes, tum pisces, & quam optime præparatos. Quibuscunque morbis siccitas confert, semel in die cibum capere conducit, & cibos ac potus pauciores, quam ut repleantur; insumere, eosque laboribus & deambulatione conficere, & quam minimum dormire. At quibus humiditas confert, inedia non est ferenda, neque cibo aut potu indigere (debent), neque laborare, at dormire quantum volent. Quoscunque cibos, aut opsonia, aut potiones, ægrotantes expetunt, ea suppetant, si nullum corpori nocumentum sit adfuturum. Quum cibos aut potiones addere vel detrahere cœperis, paulatim apponere & detrahere oportet. Qui copiosos cibos conficere queunt, iis sorbitiones ne dederis, cibum enim excludunt; qui vero non possunt, his dato. Siquid vero dare volueris refectionis gratia, alicam & ptisanam triticeam dato; hæ namque sorbitiones valentiores sunt; post cœnam autem exhibendæ.

Quæ potantur medicamenta, & quæ ad vulnera adhibentur, dicere omnino par eſt: non enim hæc homines ex conſilio, ſed potius ex fortuna inveniunt: neque artifices magis, quam plebeji. Quæcunque vero in arte Medica intelligentia diſcuntur, & inveniuntur, aut de cibis, aut medicamentis, ea ab iis, qui dignoſcere poſſunt, quæ in arte ſunt, diſcere oportet, ſi quid diſcere velis. Imbecillis poſt ſorbitiones cibum dato, & vinum vinoſum ſuperbibendum: ante cibos autem & potiones vel ſorbitiones, & poſtea, quodcunque tandem tibi videbitur. Et cibus & potus imbecillis offerendus, quum ad corpus & animum adtenderis: ſic enim maxime profeceris.

CAPUT XIII.

Unde conjiciendæ ſint cujuſque cibi facultates; quæ cibaria levia, & quæ gravia; quæ cibaria & potulenta ad ſanitatem, & quæ ad corporis robur optima; quæ ructus acidos, quæ tormina, & quæ flatus concitent; quæ dejectiones, & quæ urinas promoveant.

QUam ciborum quiſque facultatem habeat, ex iis, qui manifeſtam facultatem exhibent, conjicere oportet: qui aut flatum, aut morſum, aut plenitudinem, aut ructum excitant, aut tormina, aut per alvum ſecedunt, aut non ſecedunt, idque manifeſto efficiunt, ex his etiam alios conſiderare oportet: ſingula namque edulia, qua facultate tum juvent, tum lædant, habent: verum alia quidem, quæ efficiunt, apertiſſime efficiunt, alia vero obſcurius. Cibos atque opſonia parare & dare infirmis oportet ejuſ-

cemodi, a quibus neque flatus fiat, neque ructus acidus, neque tormina; & quæ neque admodum per alvum secedunt, neque admodum exsiccantur. Hæc autem sic fiunt: quæcumque quidem ventriculus superat, quæque corpus recipit, ea neque flatum, neque tormina excitant: at si ventriculus non superet, ab his & flatus, & tormina, cæteraque id genus contingunt.

Cibariorum, opsoniorum, & potionum levissima sunt, quæ moderata, aut paulo supra modum in corpus ingesta, neque plenitudinem, neque tormina, neque flatum, neque horum quidquam excitant, & celerrime concoquuntur, & concocta dejiciuntur, & quæ toto die in ventrem ingesta, minime molesta sunt, etiamsi longe ante ingesta sint. Gravia vero sunt, quæ moderate aut infra modum assumpta, plenitudinem & laborem exhibent, & ipsa neque assumere, neque edere, neque bibere quis potest, sed laborem afferunt: at siquis ea per tempus aut biberit, aut comederit, sic quoque laborem exhibent, neque pro ratione per alvum secedunt.

Ad sanitatem optima sunt, quæ paucissima assumpta satis sunt, ut & famis & sitis medela sint; & plurimo tempore corpus ipsa recipit, etiamque pro ratione secedunt. Ad robur autem optima, quæ plurimam & densissimam carnem gignunt, sanguinem crassiorem faciunt, & pro ingestorum ratione secedunt, plurimoque tempore in corpore continentur. Pinguia, unguinosa, caseosa, melle & sesamo condita, ructum acidum maxime cient, & choleram, & tormina, & flatum, ac repletionem: idem etiam evenit, quum qui plura comederit, aut biberit, quam ventriculus concoquere queat.

Imbecillis, si quæ das, pro morbi & cor-

poris ratione dederis, ea corpus absumit, & neque indigum est, neque plenum: si vero in temporis opportunitate, aut postea erraveris, ad utrumque noxa (consequitur). Quæcunque cibaria], opsonia, aut potus corpus recipit, ab iis maxime neque tormina, neque flatus neque ructus acidus contingit. Quum enim ventrem subierint, ex iis corpus, quod sibi idoneum est, trahit; & quod relictum est, jam imbecillius esse necesse est, ita ut tormina, aut flatum, aut aliud quid ejusmodi in ventre non excitet.

Vina dulcia, & austera, & mellei coloris vetera, ventrem subducunt, maximeque urinam movent, & nutriunt, & neque flatum, neque tormina, neque plenitudinem pariunt. Carnes excoctæ & assatæ, imbecilles quidem utræque ad robur firmandum: ad alvi secessum excoctæ quidem accommodatæ; assæ vero tardiores: quæ autem moderatam & coctionem & assationem habent, eæ ad robur, & ad alvi secessum moderate se habent: crudiores vero, ad robur quidem accommodatæ; ad secessum vero minime.

CAPUT XIV.

De usu cibi & potus salubri, & insalubri; de victu exsiccante, humectante, roborante, & reficiente; de cibis imbecillis & robustis, levibus, & gravibus; ac de differentiis panis, carnium, ac piscium.

QUi cibi ac potus corpori commodissimi sunt, & maxime sufficiunt tum ad nutritionem, tum ad sanitatem, ex his ipsis quoque, quum

quis non opportune, aut juſto pluribus utitur, tum morbi, tum ex morbis mortes contingunt: reliqui autem cibi ac potus, qui ejuſmodi facultatem non habent, parum quidem juvant, etiam ſi quis ſemper iis opportune utatur, parum vero etiam nocent: imbecilli autem in utramque partem ſunt, ut & boni aliquid, & mali faciant. At cibi & potus, qui hanc facultatem habent, hi ſunt; panis, maza, carnes, piſces, vinum, & ex his certe alii magis, alii minus.

Qui ſicco victu vivunt, his cum cibo potum ne exhibeto, ſed multo poſt cibum tempore interpoſito. Et ſic quidem ſiccus humor a ſiccis cibis ortum ducens, corpus ſiccat: ſi vero una cum cibo bibat, alimentum humidius redditum, corpus humidius facit.

Panis calidus, & carnes calidæ, ſi per ſe edantur, ſiccant: quod ſi cum humido, aut ſtatim a cibo inſuper potum exhibueris, non ſiccant. Panis purus ex farinis ad robur ac refectionem magis confert, quam qui non eſt incerniculo perpurgatus, & recens quam heſternus, & ex farinis recentibus, quam ex vetuſtioribus. Polenta ex hordeo decorticato & circum adfuſa aqua reſperſo, valentior eſt, quam ex macerato, & recens vetuſtiore; & maza ante ſubacta validior eſt, quam non ante ſubacta. Vinum diffuſum, & refrigeratum, ac percolatum, tenuius redditur & imbecillius. Carnes coctæ, ſi percoctas quidem feceris, imbecilliores ſunt & leviores; aſſæ vero, ſi exaſſatæ fuerint, & veteres ſale & aceto conditæ, recentibus imbecilliores ſunt, & leviores.

Imbecilles cibi, & leves, ventriculum quidem non lædunt, neque corpus; quia calefacti non intumeſcunt, neque implent, ſed cito emolliuntur, & cocti per alvum ſecedunt: humor autem ab ipſis

corpori debilis provenit, neque auget neque vires effatu dignas exhibet. Robusti autem cibi, quum ventriculum subierint, tum intumescunt, tum plenitudinem excitant; & tardius quidem concoquuntur, neque per alvum secedunt; humor autem ab ipsis valens & incorruptus proveniens, robur multum corpori, & incrementum præbet.

Carnium corpori levissimæ, catulinæ, volucrium, & leporinæ coctæ; graves vero bubulæ, & porcinæ; moderatissimæ autem & coctæ & assæ ad flatum (sunt). Sanis & imbecillis, ovillæ: suillæ vero & ad bonum habitum & ad robur, laborantibus & exercitatis commodæ sunt; imbecillis vero & privatis, valentiores. Et ferinæ (carnes) cicuratis leviores sunt, quoniam non similes fructus edunt. Differunt autem & pecorum carnes, & eorum, quæ fruges edunt, & eorum, quæ non edunt; neque fruges idem in omnibus faciunt, sed quædam densam & robustam victimæ carnem reddunt: quædam vero tum raram, tum humidam, & imbecillam.

Ut omnia verbo comprehendam, pisces & cocti & assati, ipsique perse & cum cæteris cibis sumpti, leve sunt edulium: ipsi vero inter seipsos differunt; & palustres quidem, & pingues, & fluviatiles graviores sunt; littorales autem marini, leviores; elixique assatis leviores. Ex his cibis, quum aliquem reficere voles, valentes dato; leves vero, quum gracilem & tenuem facere oportuerit.

CAPUT XV.

De balnei usu, & quorumdam olerum facultatibus, calidis, frigidis, humidis, siccis; urinas, dejectiones, & menstrua cientibus; adstringentibus, stomachicis, reficientibus, & attenuantibus.

BAlneum calidum, moderatum quidem corpus emollit & auget; quod vero tempestivum modum excedit, siccas quidem corporis partes humectat, humidas autem resiccat. Et siccæ quidem humectatæ, imbecillitatem & animi deliquium inducunt; humidæ vero exsiccatæ, siccitatem & sitim. Ex oleribus alia, cocta & assata, & urinam promovent, & per alvum secedunt, & ad menstrua muliebria conferunt.

Cepæ ad urinas commodæ; succus enim acrimoniam quandam excitat, adeo ut per alvum secedat: his sic utitor, ne tamen imbecillis exhibeas. Apium, & coctum & crudum, urinam ciet; ac palustre magis quam sativum, quod etiam facultatem habet majorem. Coriandrum tum coctum, tum crudum, stomacho gratum est, & alvum movet. Ocimum humidum & frigidum est, ac stomacho gratum. Porra, cocta quidem urinam & alvum movent; cruda vero, incendium & inflammationem excitant. Malum punicum reficit & pituitosum est, & cum nucleo quidem alvum sistit; citra nucleum vero, subducit.

Cibi calidi, sicci quidem sistunt (quod enim in ventre est humidum, resiccant); humidi vero, caliditate humectantes, subducunt. Acerba corpus siccant & cogunt, sistendique facultatem habent. Acida extenuant & morsum faciunt. Salsa alvum & urinam cient. Pinguia

& unginoſa, ac dulcia, humiditatem quidem, ac pituitam creant.

Reficiunt cucurbita, beta, blitum, & rumex, & humiditate dejiciunt. Braſſica vero acrimoniam quandam habet, qua alvum ſubducit; ſimulque boni ſucci eſt. Caſeus, & ſeſama, & uva paſſa, vires reficiunt & pituitoſa ſunt. Vina dulcia & mellita, utraque & vires reficiunt, & urinas cient, & pituitoſa ſunt: auſtera vero ad robur & ſiccitatem commoda: urinam vero provocant etiam auſtera vetuſta, quæ & alba & tenuia ſunt. Oleum & quæ oleoſa, reficiunt & pituitoſa ſunt.

Ex oleribus coctis per alvum ſecedunt, quæ natura ſunt humidiſſima, aut acerrima, aut caliditatem habent: danda autem hæc, ad ſeceſſum conferunt, tepidiora & molliuſcula. Cucumis pepo, & urinam, & alvum movet, ac levis eſt: alter autem pepo, refrigerationem quandam inducit, & ſitim ſedat. Ab horum neutro alimentum, niſi tenue quoddam, procedit; ſed neque malum aliquod effatu dignum ab horum neutro. Mel cum aliis ſumptum, nutrit, & coloris bonitatem facit; per ſe autem magis attenuat, quam reficit: nam ſupra modum & per urinas fertur, & expurgatur.

Quum urinam cientia calefiunt in ventre, & cito calefiunt, & calefacta marceſcunt & contabeſcunt, ideoque celerem excitant per alvum dejectionem. Cibi ventrem morantes, & calefiunt, citoque calefacti reſiccantur & conſiſtunt, ideoque obdurati, minime ſecedunt. Quæ alvum ſubducunt, ſuccoſa ſunt, & natura calida: quæ vero urinam cient, ſicca & frigida.

CAPUT XVI.

De frumenti & vini differentiis; de cibis robustis ac imbecillis; in morbis consuetum panem exhibendum; vomitum a cibo aut potu uberiore conferre; poma & nuces post cibum obesse. Quod vinum nocumenta a cibo & potu illata emendet; cur alvus perturbetur, sistatur, dejiciat. Quæ cibaria imbecilla. Quando cibandi sunt febre laborantes; quando vinum & mel sunt optima; sanorum victum ægris valentiorem esse.

FRumentum & vinum suapte natura tum robore, & imbecillitate, tum levitate, & gravitate inter se differunt; etiam locus a loco, ex quo ista proveniant, quum alius aquis probe irrigetur, alius aquis careat, & alius soli probe expositus, aut umbrosus, & bonus, aut malus sit; ita ut hæc omnia ad hoc conferant, ut singuli cibi, tum robustiores, tum imbecilliores sint.

Qui sanitatis tempore panem edere consueverunt, his etiam in morbis dandus est. Quum quis, aut cibos aut potiones plures solito, sumpserit, nisi consuetis se impleverit, optimum est, ut statim vomat. Poma & nuces ideo post cibum, tum bene valenti, tum debili molestiora sunt, quod ejus quidem, qui cibum sumpsit, corpus ab ipsis humores trahit; si vero jejunus comederit, plures. Quicunque cibi aut flatum, aut ardorem, aut morsum, aut repletionem excitant, aut tormina, ab ejusmodi vinum merum insuper epotum liberat. Quum enim corpus vino calefit, calore eximuntur ea quæ insunt.

A cibis & potibus, etiam similibus, interdum quidem alvus perturbatur, interdum vero sistitur, inter-

dum alvus etiam pro ratione dejicit. Cur autem hæc accidant hæc caufa eft: primum quidem venter quum humidior fuerit, quumque ficcior, cibum fufceptum corrumpit; deinde quum mutatio contigerit, five ex frigore ad caliditatem, five ex caliditate frigus, corrumpit; adeo ut alvum ab iisdem cibis ac potibus propter hæc ipfa & molliorem & duriorem fieri neceffe fit. Ex cibis, & potibus, & opfoniis, pane excepto, & maza, & carnibus, & pifcibus, & vino, & aqua, reliqua omnia ad incrementum, & robur, & ad fanitatem parva & debilia auxilia conferunt; tenuia etiam & debilia ab his mala contingunt. Quofcunque ægrotos febres non continentes detinent, fed intermittentes invadunt, his poft acceffionem cibi exhibendi, conjectura facta ut ne a recenti cibo, fed jam concoctis cibis, febris ingruat. Vinum & mel optima hominibus cenfentur, fi pro natura & fanis & debilibus tempeftive & moderate exhibeantur. Et bona quidem ipfa per fefe, bona vero etiam permixta, tum alia, tum quæcunque effatu dignam utilitatem exhibent. Quæ fanis conferunt, ægrotis exhibita, valentiora funt; eaque vigore ipforum detracto exhibenda, alioqui ea corpus non fert, fed magis nocent, quam juvant.



HIPPO-

HIPPOCRATIS LIBER DE INTERNIS ADFECTIONIBUS.

PRÆFATIO.

Ex fusissimis. Manifesto Gnidias sententias continet, subdivisi enim fere morbi per numeros hic distinguuntur, & ex solitariis morborum descriptionibus species constituuntur. Ita morborum nomina nascuntur, nullo symptomatum characteristicorum consensu distincta, morbi crassi, typhi, multæ nephritides, multæ hepatitides, multi lienis morbi. Et nimis raris, vix unquam occurrentibus signis morbi distinguuntur: quis enim credat, morbum crassum quartum dari, in quo ægroti ab odore pluviæ in terram cadentis collabantur. Sed etiam vehementia hic Gnidiorum pharmaca offendas, grana gnidia, succum hippophæs, lapidem magnesiæ. Elleborus hujus libri deorsum purgat. Victus ratio nimis vinosa, minus gymnastica. Symptomata morborum alia sæpe ab iis, quæ in reliquis libris hippocraticis traduntur, tetano fere excepto, cujus descriptio & medicamenta cum tertio libro de morbis conveniunt. Potus etiam hic ad pulmones delabitur.

ARGUMENTUM LIBRI.

Internos partium morbos docet, aſperæ arteriæ, vaſorum, cordis, pulmonis, dorſi, pectoris, lateris, ſpinalis medullæ, renum, venarum dextri & ſiniſtri lateris, abdominis, inteſtinorum, articulorum, cutis, & univerſi corporis; eorumque cauſas, ſigna, & curationem.

SECTIO I.

CAPUT I.

De aſperæ arteriæ ulceratæ aut ſauciatæ, vel alicujus vaſorum pulmonis rupti cauſis, ſignis, prædictione, curatione, & convaleſcentis præcautione.

SI pulmonis arteria ulcerata, aut aliqua tenuium venularum, quæ in pulmonem infra dependent, rupta fuerit, aut fiſtularum ex his, quæ per pulmonem extentæ ſunt, & inter ſe perrumpantur, & ſanguine repleantur: his de cauſis maxime divelluntur ac perrumpuntur, vehementi exercitatione, curſu, caſu, plagis, violentis vomitibus, & febribus. Hæc itaque accidunt. Primum quidem tuſſis ſicca detinet; deinde paulo poſt ſputum ſubcruentum, interdum vero purum exſpuit. (Hæc) ita (fiunt), ſi celeriter quidem morbus deſinat; ſin minus,

procedente tempore, copiofior ſanguis, interdum quidem purus, quandoque etiam aliquantulum putridus prodit: plerumque vero fauces etiam non animadvertentibus ſanguine replentur; deinde ſanguinis grumos paulatim & crebro violenter exſpuunt: quandoque vero etiam ab his gravis odor oritur; & fauces interdum quadam ſpuma implentur. Et rigor ac febris prehendit, per morbi quidem initia vehemens; progreſſu vero levior, & alias atque alias corripit; dolor etiam quandoque pectori, dorſo & coſtis inſidet. Quumque ſanguinem ſpuere deſierit, ſputum copioſum liquidum; interdum etiam viſcidum exſpuit. Atque his ita afficitur, donec dies quatuordecim præterierint: poſt hos vero niſi morbus ſedetur, ſquamulas, quales a puſtulis, ab arteria tuſſiendo avellit; & dolor in pectus, dorſum, & latus irruit, ac hypochondria contingens, tanquam ulcus, dolet. Huic morbo, ut quam maxime quietem internam habeat, conducit, ſi ita ſit affectus: ſi quid enim laborarit, tum dolor acutior, tum tuſſis magis quam antea, premit, & rigor & febris magis occupat. Et ſi ſternutaverit, dolor acutus adoritur: dolet autem & in lecto, quum circumvertitur. Huic cibos quidem eoſdem, quos & ſuppurato; ſed hos non multos, offerre oportet. Opſoniis vero his utatur: piſcibus quidem, ſquatina, aut pagro, aut galeo magno glauco, aut aliis ſimilibus, omnibus cum rhoë & origano conditis: galli autem carnem aſſam ſine ſale edat, aut capræ coctam; vinoque utatur auſtero quam vetuſtiſſimo & ſuaviſſimo, nigro, deambulationibus autem moderatis. Atque hæc quidem dum febris non detinet; ſi vero febris detinuerit, ſorbitione farinæ aut milii utatur: ſi vero cibi

exhibeantur, pauci porrigantur, & opſonia per alvum ſecedentia. Quod ſi quidem medicamento tibi utendum eſſe videatur, eum grano cnidio, aut tithymalide aliquantulum purgato; & poſt purgationem, farinæ elixæ pinguis duas heminas abſorbendas dato: deinde quam maxime reficito, quo minimum tenuis ſit: tenuem enim eſſe, ad hunc morbum minime confert. Deambulationes etiam paucæ primum faciendæ, ut ne laſſitudo ſuccedat: fomentum autem alias atque alias admovendum; quaque die admovebitur, ſine cibo ſit, niſi quod farinæ coctæ uncias novem exſorbeat; aquam vero bibat. Poſtero die minus quam pro conſuetudine comedat, vinumque nigrum, ſuave, auſterum, modicum bibat: de cætero, bis aut ter in die cibi dentur; ſic autem ei paulatim exhibeto, donec ventriculum confirmaveris: ex febribus enim & inedia, ſi os quidem appetat, ventriculus vero recipere nolit, ubi confertim receperit, inflammatur: verum paulatim exhibere oportet. Si vero confertim dederis; parumque laborarit, ventriculus deambulationibus minime perfrigeratur; denſatis nimirum ſenſim cibariis; hic autem febris ſuccedere ſolet, ac hieme quidem minus dolet; æſtate vero majus periculum eſt, ne delinquat. Hunc quam maxime reficere oportet, quo quam craſſiſſimus ſit; & deambulationibus moderatis utatur, minuſque ſolito luctetur: ac primum parum laboret, deinde (paulo) plus; nunquam vero multum. Hæc ſi fecerit, citiſſime convaleſcet: quod ſi labore attenuetur, remittat & quietem agat. Hic ubi convaluerit, ad ventum ne celeriter currat, neque equum, neque currum conſcendat: vitet etiam tum clamorem, tum excandeſcentiam. Periculum enim

eſt, ne morbus revertatur: verum hæc omnia vitanda ſunt. At ſi cibum averſetur, orobum toſtum, cortice repurgato; deinde tribus diebus aqua maceratum (quotidie aqua effuſa, aliam affundito) poſtea quarto die excolato & reſiccato; mox tenuiſſime molitum, cribrato, & lini ſemen toſtum tundito ac terito; ſeſamumque etiam toſtum, leviſſime tundito; polentamque inſulſam, puram, tenuem (admiſceto); ſit autem orobi & polentæ utriuſque æqualis portio, ſeſami vero tertia pars, ſed lini partis unius dimidium. Hæc in caprino lacte cocta, quam liquidiſſima ſorbeat. Poſt hæc autem in prandium cibos puros, & ex opſoniis valentiora ei exhibeto; vinum autem idem bibat. Centaurii etiam radices in vinum deraſas, ad ejuſmodi ruptiones facientes, ei exhibeto: dracontii etiam radices in vinum eraſas dato: dato & tuſſilaginis radicem cum melle, & dracontium deraſum delingendum. At ſi in lacte decoctum ſe ſorbere poſſe neget, lac bubulum quam plurimum, aquæ mulſæ tertia parte admixta, bibat. Sicque citiſſime convaleſcet: hic autem morbus multa curatione indiget; difficilis enim eſt; ſi quis enim curatus & ſanus jam factus ſui curam non habuerit, pleriſque revertens morbus, interitus cauſam attulit. Hic ſi quidem hac curatione ſanatus fuerit, ſatis eſt: ſin minus, ubi eum lacte craſſiorem reddideris, & in pectore & in dorſo inurito: ſi enim uſtio bene ſucceſſerit, morbum effugiendi ſpes eſt.

CAPUT II.

De arteriæ aut venæ pulmonis divulſione, ejuſque ſymptomatibus, ſignis, & curatione.

AT ſi arteria, aut venarum ad pulmonem tendentium aliqua divulſa ſit, hæc contingunt. Per morbi quidem exordia tuſſis acuta detinet, & rigor, & febris; & ſputum tum copioſum, tum album ac ſpumoſum, interdumque ſuberuentum exſpuit; dolorque caput, & cervicem occupat. Hic morbus priore eſt vehementior; ac decem quidem primis diebus hæc ei contingunt: deinde plerique undecimo die pus craſſum violenter exſpuunt: die vero decimoquarto puriora exſpuit, ſi evaſurus ſit, & dolore minus vexatur, brevique ſanus evadit. Si vero diuturnus morbus futurus ſit, & multo plus puris exſpuit, & reliquus dolor in corpore longe major eſt; ſed calores, quam antea, leviores detinent. Hunc ſi per initia curandum ſuſceperis, ſcammoniæ ſucco, ſi febre careat, per inferiora aliquantulum purgato. Poſt purgationem autem eadem, quæ prius, exhibeantur; & reliqua eadem quieto quam maxime corpore aſſumantur, & molliter jacens dormiat. Et hæc quidem decem primis diebus faciat.

CAPUT III.

De pectoris suppurato, & pulmone rupto.

AT si suppuratus exstiterit, eadem etiam, quæ prius, faciat: si vero sanus evaserit, his cibis & potibus abstineat oportet acidis, acribus, salsis & pinguibus: labore etiam vehementiore, & iisdem, quibus prior, abstineat. Hæc si fecerit, citissime hoc morbo liberabitur: si quid autem eorum non fecerit, periculum erit reversionis, morbusque deterius detinebit; nam plerique pulmone rupto, quoad interierint, perseverant. Hunc, nisi quis confestim curet, postea reverso morbo, non erit, quo juvare possis, nisi hæc feceris: lacte bubulo crassum redditum, in pectore & dorso inurito, si enim ustio successerit, juvabis. Hic autem morbus ab iisdem erratis, a quibus etiam prior, oritur.

CAPUT IV.

De pneumonidis causis, signis, & curatione.

PNeumonis autem ab his maxime fit. Quum ad sese pulmo sanguinem, aut pituitam salsam traxerit, neque rursus dimiserit, sed ibi collecta & coacta fuerint, ex his tubercula in pulmone gigni solent, & suppurari. Hic per initia & per totum morbum hæc patitur; tussis acuta, sicca, & rigor, & febris detinet; dolor pectori & dorso, interdumque etiam lateri insidet; & erecta cervice spiratio vehemens incidit. Hic ad quatuordecim usque dies hæc patiens

perſeverat, plerumque etiam plures, quam quatuordecim dies: deinde pus erumpit, multumque exſpuit; ſæpe vero tanquam aranearum tunicas exſpuit; crebro etiam ſubcruentum. Quod ſi pulmo quidem cito repurgatus fuerit, & gracileſcat, interitum effugit: niſi vero advertat, morbus annum detinet, & mutatur, & varias (æger) ſubit affectiones. Huic per initia, priuſquam pus erumpat, hæc adhibere oportet. Quum febris remiſerit, multa calida lavet, & ſorbitionibus multis utatur: ptiſanæ cremorem coctum, melle affuſo & cocto ſorbeat; vinumque dulce album, aut aquam mulſam coctam bibat. Quum vero ſemel pus exſpuere cœperit, eadem, quæ prior purulentus, bibat; iisdemque cibis, potibus, & opſoniis utatur; acidis abſtineat, acribus, ſalſis, pinguibus, venere & meri potu, niſi morbo commodum fuerit: colorem autem inſpiciens, quorum tibi indigere videatur, curam habeto: reliqua autem eadem faciat. Lac bubulum & caprinum, pro tempore etiam bibat, prius tamen lacte aſinino cocto deorſum purgetur: bibat autem quotidie mane & lactis equini excolati poculum trium heminarum. Si igitur ita curatus melius habuerit: atque ſi pus in pectus non eruperit, ipſe ſibi medeatur, corpus quam maxime quietum retinendo, concilians, & quæ ſibi ſunt commoda exhibendo. Si vero in pectus pus eruperit, qua parte de ſe tibi ſignificationem præbere videbitur, illic præcipue ſectione, aut uſtione facta, pus primum paucum educito; cætera vero eadem facito, quæ in priore ſuppurato ſcripta ſunt

CAPUT V.

De pulmonis varice, ejusque causis, signis, & curatione.

SI varix in pulmone fiat, per morbi quidem exordia, tussis sicca, rigor & febris vehemens admodum invadit; sed & erecta cervice spiratio detinet. In capite dolor consistit, & supercilia impendere videntur, tumorque ad faciem, pectus, & pedes descendit; sæpe vero & in caput incumbit, quumque labor detinet, præ dolore oculos attollere non potest: corpus est subpallidum, & venæ ipsum extendunt, aut rubræ, aut nigræ.

Huic, quum sic se habet & dolor maxime urget, primum quidem sanguinem detrahito; deinde multa & calida lavato; & quum sitis detinet, cyceonem ex vino nigro austero quam suavissimo, æquali aqua temperatum, potui exhibeto; sed maxime frigidum bibere oportet. Ptisanæ cremore cocto, optimo melle affuso, pro sorbitionibus utatur. Hæc primis quatuordecim diebus offerenda sunt: quod si diutius morbus detineat, dolorque major in corpore, & virium impotentia adsit; huic sane sic habenti ea exhibeto, quæ & pulmone suppurato, quum quatuordecim dies præterierint. Hic morbus a vehementiore labore & sanguine & atra bile fit.

CAPUT VI.

De pulmonis plenitudine.

QUum venæ cavæ, quæ in pulmonem distribuuntur, sanguine aut bile atra repletæ fuerint, venulæ nimirum in angustiis interceptæ, inter sese rumpentur, quumque exitum non habeant, dolorem & ampullam in pulmone excitant. Hic morbus est difficilis, & multa curatione indiget: alioqui ægrum relinquere non potest, & plerumque in multis commoritur.

CAPUT VII.

De inflammationis pulmonis caussis, signis, & curatione.

SI inflammatio in pulmone oriatur; (oritur autem præcipue a vinolentia, & avido piscium capitonum, & anguillarum esu; hi namque pinguedinem hominis naturæ inimicissimam habent:) jam vero ortum habuit hic morbus a pituita, quum sanguini permixta ad pulmonem affluxerit: incidit etiam ex carnis esu, & aquæ mutatione.

Hæc igitur patitur. Vehementer tussit, & sputum liquidum & copiosum exspuit, plerumque etiam crassum & album, tanquam a raucedine: dolor acutus premit pectus, dorsum, ilia, & costas; acidum eructat, & ex pectore ac pulmonibus velut ex ventre quid murmurat; pituitam acidam vomit, ac quod si vomitum est,

in terram effundas, terram tanquam infusum acetum radit, & dentes stupescunt: rigor, febris, & sitis vehemens detinet; & si quid pingue comedere velit, in visceribus strepitus editur, & vomitum cietur, & totum corpus torpor occupat. Quum vero evomuerit, paulo melius habere videtur; deinde sub vesperam diei obortam venter strepit, contorquetur, & murmur edit.

Huic, quum sic habuerit, & tempestivum esse apparuerit, curationem sic adhibeto. Mel, lac, acetum, & aquam simul mixta & in ollam infusa tepefacito, & origani capitati surculis agitato, postea cum tepefactum fuerit, potui exhibeto, aut apprehensa lingua sensim per fistulam infundito; deinde vestibus convolutum quietem agere jubeto. Postea, si ipsi vomitus successerit, prompte vomat; quod si non successerit, subacta penna vomat; & siquid pituitæ vomuerit, idem per dies quinque facito: sic enim agens melius habebit. Hoc autem exercitatus, si possit, bibat, & calida multa lotus; sin minus, saltem lotus. Quum vero dies quinque præterierint, mane jejunus ex aqua mulsa, aut mulso, laserpitii succum ervi magnitudine bibat, & allium ac radiculas jejunus edat, & vinum merum nigrum, aut album austerum insuper sorbeat: bibat autem & cum cibo & post cibum. Cibis autem siccis, & carnibus asininis aut catulinis coctis utatur; si rigor & febris non prehenderit. Hic si quidem ex ejusmodi in os infuso aliquantulum purgetur, (sat est;) sin minus, eum sursum per veratrum purgato: post purgationem vero, farinæ coctæ melle affuso duas heminas sorbendas dato; vinum autem idem aquosum bibat. At si per initia morbo non ad-

fueris, eum lacte craſſum redditum, in pectore ac dorſo inurito; ſic enim præcipue morbo liberabitur: at niſi uſtus fuerit, permanet, neque fere deſerit, ſed ad ſenium uſque perſeverat: plerumque vero commoritur; niſi primis quadraginta diebus interierit. Verum quam maxima cura opus eſt; & ſerum ac lac bubulum, caprinum, aſininum, & equinum, pro tempore bibat: ſic enim facillime vitam deget: hic autem morbus difficilis eſt.

CAPUT VIII.

De pulmonis eryſipelate, ejuſque ſignis & curatione.

SI pulmo ab eryſipelate tumuerit, hic tumor potiſſimum a ſanguine ortum ducit, quum pulmo in ſe ſanguinem attraxerit, & exceptum continuerit: hic autem morbus potiſſimum æſtatis tempore contingit. Hæc igitur ab eo patitur. Tuſſis ſicca accidit, rigor, febris, erecta cervice ſpiratio, dolor vehemens in pectore; tanquam equus a curſu; nares aperit; linguamque, uti canis æſtate ardore ſpiritus incenſus, exſerit; tumor pectus occupat, totuſque brevi peruritur, ruborem in facie, pruritum in corpore patitur; præ labore decumbere non poteſt; ſed anxius ſeipſum jactat. Hic ſeptem diebus moritur plerumque: at ſi hos effugerit, non fere moritur.

Hunc in principio, quum ſic habuerit, his curetur. Betis aqua frigida irroratis, & corpori admotis, corpus quidem refrigerato, recenti præcipue dolore; aut lintea aqua frigida intincta & expreſſa admoveto. Et ſi quidem ſic melius ha-

buerit, (satis est); sin minus, terram figulinam frigidam ex cataplasmate imponito, & sub dio dormiat; sic enim curatus, sæpe septem dies effugerit. Quum vero septem dies præterierint, & adhæserit dolor, dolentem intus partem oleo illinito; eosdemque præcipue fotus, quos & pleuritidi, admoveto. Et potionem ei ex peplio, & meconide, & grano cnidio, ad purgationem propinato; & a purgatione, lenticulæ heminam sorbendam dato; aquam autem bibat. Postero vero die ipsum multa calida, capite excepto, lavato; deinde origanum aqua mulsa maceratum propinato: potionibus quam calidissimis utatur; cibi iidem, qui pleuritide correpto, exhibeantur, nisi febris detineat. Hic morbus gravis, & pauci evadunt.

CAPUT IX.

De pectoris & dorsi ruptione, ejusque caussis, signis, & curatione.

SI pectus & dorsum dirupta fuerint (disrumpuntur autem potissimum vehementi labore) his quoque afficitur. Tussis acuta detinet, interdum subcruentum sputum exspuit; crebro & rigor & febris invadit; in pectore & dorso dolor inest acutus, lateri lapis incumbere videtur, & dolore prorsus stimulatur, ac si acus aliqua pungeret.

Huic, cum sic habuerit, confestim lacte pinguefacto, pectus & dorsum inurito, & sic citissime sanus erit. De cætero vero quieto maxime corpore vivat: si quid enim laborarit, aut currum, aut equum adscenderit, aut humeros one-

ri ſuppoſitos fatigarit, periculum eſt, ne rurſus morbus revertatur: quod ſi contingat, periculum eſt, ne intereat. Morbus enim reverſus, magis quam ab initio, lædit. At ſi uſtus non fuerit, iisdem ſorbitionibus, potibus & cibis, quibus ſuppuratum, curato. Ad ſummam vero, quietem agens idoneis cibis veſcatur: ſi enim ſic curatus fuerit, citiſſime convaleſcet: morbus autem gravis eſt.

CAPUT X.

De lateris tuberculo, ejuſque ſignis & curatione.

SI in latere tuberculum oriatur, & purulentum fiat, hæc contingunt. Rigor detinet, & febris, & tuſſis ſicca multos dies; latus dolet, dolorque in mammam, & claviculam & ſcapulas impetum faciens obſidet.

Hic, quum ſic habuerit, primis decem diebus ſorbitionibus utatur, ptiſanæ cremore percocto, affuſo melle, quum ſorbitio cocta fuerit: vino autem utatur albo, dulci, aut auſtero, & aquoſo, & crebro vinum ſorbentem exſpuere jubeto; ſomnumque, quoad undecim dies præterierint, prohibeto: poſt hos dies, cibis quam maxime paucis utatur; carnibus catulinis aut gallinaceis calidis; hæ vero ex juſculo probe apparandæ ſunt, & juſculum ſorbeat, & ſorbitionibus ante cibum utatur: neque ſitiat, quoad latus ſuppuratum evaſerit; ſuppuratur autem maxime diebus quadraginta, aut paulo ante. Id autem dignoſces, ubi ſuppuratum fiat latus; pus enim non exſpuit, neque evomit. Hunc, quum ſic habuerit, ubicunque tu-

mor de ſe ſignum ediderit, ſecato aut urito; deinde pus paulatim emittito, & poſtquam exhauſeris, linamentum ex lino crudo imponito; quo poſtridie rurſus educto, pus ſenſim exhaurito: deinde linamentum indito; ac rurſus tertio die, cæteriſque diebus, bis die, donec exſiccatum fuerit, extrahito. Et cibos & opſonia, quum appetiverit, exhibeto; modicum, non multum, ſive vinum, ſive aquam, bibat: origanum vero tenellum quam plurimum melle intinctum edat. Quod ſi tenellum non habeat, ſaltem ſiccum tritum, & melle admixto lævigatum, quam plurimum exhibeto. Et neque frigeat, balneis lavet, & molliter dormiat. Hunc morbum ſi ſic curaveris, citiſſime ſanum effeceris. Quum vero ſanus evaſerit, frigus, calorem & ſolem vitet; & modicis deambulationibus utatur poſt cibum, ut ne corpus laſſitudo prehendat. Hæc ſi fecerit, convaleſcet. Ex his morbis, quibus uſtionem adhibueris, ſtatim poſt uſtionem porra multa tuſa uſturis ex cataplaſmate imponito, & diem unum ſinito.

CAPUT XI.

De trium tabis ſpecierum prima, ex pituitæ a capite in pulmonem defluxione, orta, ejuſque ſymptomatibus, ſignis, & curatione.

TRes autem ſunt tabis ſpecies. Prima: ipſa quidem a pituita oritur; quum enim caput pituita plenum ægrotárit, & calor acceſſerit, in capite pituita computreſcit, ut quæ moveri nequeat, ut ſecedat. Deinde, quum craſſior evaſerit, & computruerit, & venulæ ſupra modum

impletæ fuerint, fluxio in pulmonem contingit; quam ubi pulmo ſuſceperit, ſtatim morbo afficitur, cum a pituita ſalſa & putrida mordeatur.

Hœc igitur patitur. Febris lenta initio invadit, & rigor; quum pectus, tum dorſum laborat; interdum vero & acuta tuſſis urget; & ſputum copioſum, & liquidum, & ſalſum exſpuit. Hæc quidem per morbi exordia patitur; in progreſſu vero corpus extenuatur, exceptis cruribus: hæc autem tument, & pedes, & ungues contrahuntur; ab humeris vero tenuis, & debilis eſt; fauces velut lanugine ſpuma implentur, & quaſi per arundinem ſibilum reddunt; vehementer ſitit per totum morbum; multaque debilitas corpus tenet. Hic, quum ſic habuerit, annum contabeſcens, miſer emoritur: at quam maxime curare oportet, ac vires reficere: primum quidem veratrum propinare; per inferiora autem purgare epithymo, aut peplio, aut grano cnidio, aut tithymalide: hæc quater in anno exhibenda ſunt, bis ſurſum, bis deorſum. Lac etiam aſininum coctum ad blandam purgationem, aut bubulum, aut caprinum, exhibendum: lac etiam bubulum crudum, aquæ mulſæ tertia admixta parte, bibat, per dies quadraginta quinque, una etiam admixto origano: caput autem ipſius, admoto ad nares medicamento, ante purgato. Cibaria vero & opſonia, neque pinguia, neque nidoroſa, neque valde acria exhibeto. Signis autem morbum perpendenti hæc facienda; & ad cibos deambulationibus utendum, & obſervet, ne algeat: hieme vero juxta ignem manſionem faciat. Vinum bibat auſterum, nigrum, quam vetuſtiſſimum & ſuaviſſimum, ſed modicum. Quod ſi tibi videatur, ante medicamentum, fomentum admoveto, & ſic medicamentum exhibeto: ſi vero exhibere

hibere nolis, admoto fotu, vomitum ex cibis, velut ante ſcriptum eſt, promoveto. Deambulationibus, ſi huic conferant, utatur: at ſi non conferant, corpore quam maxime quieſcat. Hic ita curatus corpore facillime deget; morbus autem lethalis eſt, ipſumque pauci effugiunt.

CAPUT XII.

De ſecunda tabe, a ſanguinis ſputo ob vas ex labore ruptum orta, ejuſque ſignis, & curatione.

TAbes ſecunda. Fit autem a vehementi labore: eadem ut plurimum, quæ & prior, patitur: hic vero morbus priore magis intermittit, & per æſtatem remittit. Sputum craſſius quidem priore exſpuit, & tuſſis maxime ſenes premit, & dolor in pectore vehementior, eique velut lapis incumbere videtur; dolet etiam dorſum; ipſiuſque cutis madore colorata eſt, &, ſi quid laborarit, flatus & anhelatio detinet. Hic ex hoc morbo intra tres annos maxime moritur: iiſdem vero, quibus etiam priorem, curare oportet. Hic morbus multis ad tres annos perſeverat: verum moriuntur; eſt enim gravis morbus.

CAPUT XIII.

De tertia tabe (quem ſpinalem catarrhum vocat Hippocrates) a defluxione in ſpinalem medullam, ejuſque ſignis, ac curatione.

TAbes tertia. Ab ea hæc patitur (æger). Ejus ſpinalis medulla ſanguine bileque plena fit: tabeſcit autem ſimiliter & a venis cavis; hæ vero

pituita hydropiformi, & bile implentur. Eadem autem patiuntur, a quibufcunque tabes oboriatur: atque homo ftatim niger & fubtumidus evadit: & partes fub oculis cavæ pallidæ funt; venæque per corpus pallidæ diftenduntur; quædam vero valde rubræ funt, maxime tamen manifeftæ, quæ fub axillis; pallida exfpuit, quæ ubi ipfum invaferint, fuffocant interdumque, quum tuffire vult, non poteft; interdum vero præ fuffocatione & tuffiendi cupiditate copiofam bilem evomit, quandoque etiam pituitam; plerumque vero etiam cibos, cum comederit; quumque vomuerit, levior effe videtur; deinde rurfus parvo interjecto tempore, in iifdem jacet doloribus. Hic acutius quam quum fanus effet, loquitur; & rigor & febris interquiefcens, cum fudore invadit.

Hunc, quum fic habuerit, cibis, forbitionibus, potionibus, medicamentis, cæterifque omnibus, quibus priores, curato. Hic autem morbus maxime annos novem perdurat; deinde perfert, contabefcens: pauci vero ex eo evadunt, gravis enim morbus eft: verum fi velis, fic ipfum curato. Primum quidem fomentum admoveto; eoque admoto, poftridie aquæ mulfæ femicongium, pauco aceto affufo, potui exhibeto; idque unico hauftu & fpiritu bibere jubeto; deinde multis cum ftragulis quam plurimo tempore convolvito; at fi non perferat, fed vomere velit, evomat; fi vero poft aliquod tempus vomitus non accidat, aquæ tepidæ magno calyce fuperepoto, penna irritatus vomat: quum autem evomuerit, ut bene habeat, hoc die quietem agat: quum vero cœnæ tempus fuerit, mazam paucam cœnet, & falfamentum, & porra pro opfonio habeat; his autem quam plurimis vefcatur; vinumque dulce bibat. Reliquo vero tempore quoti-

die ſtatim ab aurora multa calida lavetur: & a balneo, ne frigeat, cavendum, verum decumbens diutiſſime dormiat: quum autem a ſomno ſurrexerit, eo die viginti ſtadia ut minimum obambulet; reliquis autem diebus, alia quinque ſuperaddita ſtadia ambulet, quotidie addens, donec ad centum ſtadia pervenerit. Alvum autem quotidie aliquantulum purgare oportet betæ & braſſicæ ſuccis; utriſque ſeparatim coctis, ita ut utriuſque congio percolato; deinde admixto adipis ovilli ex renibus minæ quadrante, & ſimul cocto, amborum coctionem dividas: quum autem bibiturus eſt, ad braſſicæ quidem ſuccum ſalem adjicias; ad betæ vero ſuccum mel affundas: licet autem ſeparatim utrumque bibere, aut melle ad alterum poculum affuſo, bibere: ad alterum vero ſale injecto: totum autem ſuccum ebibere oportet. Et hæc quidem triginta diebus facere: ſecundo vero menſe panem edat, & carnes ſuillas pingues coctas, aliud vero nihil: vinum autem album auſterum bibat; & ante cœnam non minus quam triginta ſtadiorum iter conficiat, poſt cœnam vero, decem, neque frigeat, ſed contegatur. Hæc ſi fecerit, facilius morbum feret. At tertio menſe cyceonem florulentum bibat, & apii radices, & anethum, & rutam, & mentham, & coriandrum, & papaver tenerum, & ocimum, & lentem, & mali punici dulcis ac vinoſi ſucccum: eſſe autem oportet dulcis duplum; eſſe vero oportet & utriuſque ſucci ſimul heminæ dimidium, ac vini nigri ſuavis, auſteri, heminæ dimidium, aquæ etiam, heminæ dimidium; deinde flores leviter tritos in hoc permixto diluere, & in calycem infundere: poſtea farinæ ervi acetabulum injicere, & polentæ tantundem, caſeique

caprini veteris rafi parem ervo portionem: hæc commixta ebibat. Poftea modico tempore interjecto prandeat panem, & opfonium habeat torpedinis fruftulum, aut fquatinæ, aut galei, aut raiæ; & carnes fuillas coctas edat, & quam maxime quietem agens fefe faginet; ac decimo quoque die fibi ipfe leviter fomentum adhibeat. Quarto autem menfe, quinto quoque die leviter foveatur; neque, quam plurimum opfonium edat, pro opfonio utatur cafeis, & paucis carnibus ovillis coctis. Stadia, velut ante dictum eft, deambulet: incipiens autem primo quarti menfis die a decem ftadiis, incedat, & quotidie addat, ufque dum ftadia octoginta conficiantur; & per diem octoginta ftadia obambulet; ante cœnam triginta, poft cœnam viginti, mane triginta. Reliquo tempore maza & pane victitet, utraque comedens: opfonio habeat pifces cartilagineos; carnes vero omnes, præter bubulam & porcinam, edat: pifcibus his abftineat, mugile, anguilla, & melanuro. Torpedinem autem edat, fquatinam, raiam, galeum, paftinacam, & ranas; aliorum vero nullum: etiamfi innoxia effe videantur: cyceonem etiam bibat, quum dormire volet, vini nigri, fuavis, veteris, duarum heminarum calicem bibat; & per diem eodem vino in cibo utatur. Et per diem centum quinquaginta ftadiorum iter conficiat, ante cœnam nonaginta, poft cœnam viginti, mane quadraginta. Hic, fic curatus, intra annum convalefcit.

CAPUT XIV.

De quarta tabe, seu de medullæ spinalis ariditate a venarum in medullam tendentium, aut viæ a cerebro in spinam, obstructione, aut ab actu venereo orta; ac de ejus signis & curatione.

MEdulla spinalis potissimum resiccatur, quum venulæ ad medullam tendentes obstructæ fuerint, quique a cerebro est aditus. Ob corporis autem vitium hisce afficitur, & ægrotat: resiccatur etiam maxime ab immoderata venere.

Hæc igitur patitur. Dolor acutus ipsi in caput irruit, in cervicem, in lumbos, in lumborum musculos, & in crurum articulos: ita ut interdum flectere nequeat; stercus per alvum non secedit, sed sistitur; & urinæ difficultate laborat. Hic per morbi quidem exordia quietius degit: quanto autem tempus morbo producitur, tanto magis omnia dolent; & crura velut ab aqua intercute tument, ulcera ex lumbis erumpunt, & alia quidem sanescunt, alia vero enascuntur.

Huic ita habenti, hippophaes succo, aut grano cnidio caput purgato, primum prope admodum soto corpore: vesperi vero post purgationem, ptisanæ duas heminas melle affuso sorbeat; vinum autem album, molle bibat. Postridie lactis asinini decocti, melle affuso, heminas octo ebibendas ipsi dato: quod si asininum non habeas, bubuli aut caprini cocti tres semicongios, affuso melle: & pro anni tempore, lac bibat, per quinque ac quadraginta dies, cum lacte ervum assumens. Cibis autem & opsoniis,

quam maxime alvum ſubducentibus utatur: vinum bibat album, molle, Mendeſium. Quum autem craſſiſſimus fuerit, ad ejus lumbos ab utraque vertebrarum parte, quatuor cruſtas inurito, & ad dorſum utraque ex parte quindecim, & in cervice inter tendones, duas. Si enim uſtio probe tibi ceſſerit, ſanum reddes: eſt autem morbus gravis.

CAPUT XV.

De quatuor renum affectibus, ac primum de renum calculo, ejuſque cauſis, ſignis, & curatione.

QUatuor, qui a renibus oriuntur, morbi. A primo (æger) hæc patitur. Dolor acutus in renem, in lumbos, & in teſtem ad renis regionem incidit, frequenter urinam reddit, & paulatim urina ſupprimitur, & cum urina arena egreditur; &, ubi per urethram arena exit, vehementem in urethra dolorem parit: quum autem ipſam cum urina ejecerit, remittit dolor; deinde rurſus in iiſdem jacet doloribus: quum vero urinam reddit, colem etiam præ dolore fricat. At plerique Medici ignorantes morbum, quum arenam videant, veſicam calculo laborare exiſtimant: hæc autem minime, ſed ren calculo laborat.

Hic morbus a pituita naſcitur; quum ren receptam in ſe pituitam non rurſus dimiſerit, ſed illic in tofum concalluerit, fiunt ex ea calculi parvi, velut arena.

Hunc, quum ſic habuerit, ſcammoniæ ſucco, aut radice ipſa (toti corpori adhibito prius fo-

mento) per inferiora purgato: poſtridie vero ex cicerum alborum decocto, ſale injecto, ad duos congios potui exhibito; per inferiora purgato. Poſt hæc potionibus eduliis, & balneis curato, iiſdem datis medicamentis, quæ in urinæ ſtillicidio exhibentur. Quum autem dolor urget, multa calida lavato, & qua parte præcipue dolor eſt, fotus tepentes admoveto. Quum vero intumuerit & extuberaverit, ſub hoc tempus juxta renem ſecato, & extracto pure, arenam medicamentis urinam cientibus curato: ſi enim ſectus fuerit, evadendi ſpes eſt; ſin minus, morbus homini commoritur.

CAPUT XVI.

De ſecundo renum morbo, vel ruptione, a labore cum venarum renis ruptione, orto, ejuſque ſignis, & curatione; ex hac nephritide tabes renalis.

SEcundus renum morbus. Dolores quidem vehementer, ut in priore, urgent: oritur autem morbus a vehementi labore, quum venulæ ad renem tendentes ruptæ fuerint; deinde quum ren ſanguine repletus fuerit. Quum his æger affectus fuerit, per initia morbi ſanguinem una cum urina reddit; deinde pus progreſſu temporis. Hic ſi corpore quieverit, citiſſime convaleſcit: ſi quid enim laborarit, dolores multo magis detinebunt. Quum igitur ren ſuppuratus fuerit, circa ſpinam intumeſcit.

Hunc, quum ita habuerit, qua parte tumor eſt, altiſſima quidem ſectione ad renem ſecato:

quod ſi quidem ſectionem aſſecutus fueris, confeſtim ſanum reddes: at ſi aberraveris, periculum eſt ulcus linamentoſum fieri. Si vero ulcus coaluerit, renis venter intro pus colligit. Et ſi quidem pus intro rumpatur, & ad inteſtinum rectum feratur, evadendi ſpes eſt: quod ſi alterum renem attigerit, periculum eſt, ne corruptione pereat. Medicamentis autem & iiſdem omnibus, quibus & prior, curetur, eandemque victus rationem teneat. Hic autem morbus moleſtus eſt, ex eoque plures ad renum tabem devenerunt.

CAPUT XVII.

De tertio renum morbo, vel ulcere, ejuſque ſignis, & curatione.

TErtius renum morbus. Urina velut a bubulis carnibus aſſatis ſuccus, egreditur. Oritur autem morbus ab atra bile, quum bilis ad venulas ad renem tendentes, confluxerit; quumque conſtiterit, venas renemque exulcerat: ab exulceratione igitur tale quid cum urina elabitur. Dolores autem in lumbis, veſica, interfemineo, & in rene ipſo parumper detinent: deinde remittit dolor, rurſuſque ex brevi intervallo acutius invadit, & in tenuem ventris partem nonnunquam dolor incidit.

Huic, cum ita habuerit, ventrem epithymo, aut ſcammoniæ radice ſuppurgato; eadem, quæ urinæ difficultate laboranti, potui exhibeto; quumque dolor detinuerit, copioſa calida lavato, fomentis potiſſimum loco laboranti admotis;

pro ſorbitione farinam coctam affuſo melle ſumat, reliquaque victus ratione quam maxime alvum ſubducente utatur; vinumque bibat album Mendæum, melle permixtum, aut aliud album ſuaviſſimum, probe dilutum (hic morbus non fere deſerit): ſi anni tempeſtas ferat, ſerum bibat, & lac bibat; ſerum quidem ad purgationem; lactis autem potione tempeſtive utatur, quinque & quadraginta diebus. Hæc ſi ita feceris, morbum meliore ſtatu conſtitues.

CAPUT XVIII.

De quarto renum morbo, ſeu nephritide ex obſtructione & venere orta, quæ in ſuppuratum degenerat; ejuſque ſignis, & curatione.

QUartus renum morbus. Morbus hic a bile & pituita æſtatis potiſſimum tempore generatur; quin etiam ex venere morbus oritur.

Hic æger hæc patitur: dolores cum ad hypochondrium, & ilia premunt, & ad lumbos, lumborumque muſculos, & cruciatibus afficitur, quibus mulier in partu laborans; neque decubitum in ſanam partem ferre poteſt, ſed valde laborat; & de ilibus quædam velut abrupta ſuſpenſa eſſe videntur: at ſi pronus jaceat, non dolet. Ejus vero pedes & tibiæ ſemper frigent. Urina autem ob pituitæ copiam & craſſitudinem ſuam vix egreditur: & ſiquidem depoſitam quoad reſederit, parumper ſiveris, totum ſedimentum craſſum velut farinam videbis: at ſi quidem bilis ſuperaverit, ipſum ſubfulvum videbis: ſi vero ex pituita morbus fuerit, album & craſſum erit. Ac primo quidem in annum, aut paulo longius, aut brevius

tempus, talibus æger affectus perseverat: at si pro-bucatur morbus, tum magis laborat, tum sup-purat: quumque purulentus factus intumuerit, qua præcipue parte intumuerit, ad renem secato, & pus emittito; & si quidem sectio prospere cesserit, statim sanum reddes.

Hunc, quum sic habuerit, iisdem omnibus, quibus priores, curato: per morbi vero exordia purgare oportet, & ante purgationem fovere, & crebris balneis lavare: Inungatur vero & fo-veatur magis, neque frigeat; a soleque abstineat, neque venere utatur. Hæc si fecerit, neque ci-tissime sanescat, haud novum; morbus enim per-difficilis. At si absque medicamentis curari desi-deret, per victus rationem crassum facere opor-tet, sive hoc morbo, sive superiorum aliquo la-boret. Cibis nimirum, quos comedere consue-vit, in decem partes divisis; deinde parte una subducta, reliquas comedat. Opsonium autem carnem suillam tritam habeat; & eo die decem stadia obambulet: sed postero die, & tertio adus-que decem dies adjectione facta, portionem mi-nus edat, & unoquoque die decem, aut plura stadia obambulet. Quum vero ad ultimam cibi portionem pervenerit, ad centum stadia iter fa-ciat, & unam solam partem edat, eoque die cen-tum stadia deambulet; ante cœnam quadragin-ta, a cœna vero viginti, mane quadraginta. Vi-num autem vetus, album, austerum bibat. Hæc autem per tres menses faciat: reliquo deinde tempore subductis deambulationibus, plures ci-bos comedat, additione eodem, quo detraxerat, modo facta: deambulationem vero ad decimum usque diem subducat; deinde quam maxime quie-scat, cibisque puris vescatur, & quam pinguissi-mis opsoniis, dulciaque omnia ei conferunt. Ab

oleribus autem & acidis omnibus abſtineat, acribusque & iis, quæ flatum excitant: calida quoque multa lavet, & non algeat. Hæc ſi fecerit, citiſſime ſanus erit.

CAPUT XIX.

De magno venarum cavarum morbo nephritidi ſuccedente, qui defluxio recurrens vocatur; ejusque cauſis, ſignis, & curatione.

A Nephritide invadit magnus venarum cavarum morbus, quæ a capite juxta jugulum per ſpinam, ad exteriorem pedis malleolum, & intermedium magni digiti locum feruntur. Oritur hic morbus a pituita quidem & bile, quum ad venas confluxerint; hæ autem venæ ſanguine plenæ ſunt; ſi quid igitur alieni ad eas pervenerit, ægrotant. His itaque afficitur. Si dextra parte morbus ſit, per exordia ex coxendicis acetabulo dolorem exhibere incipit: quo autem longius tempus proceſſerit, & productum fuerit, eo dolor acutior ad inferiora deſcendit, quumque ad malleolum pedis externum, & intermedium magni digiti pervenerit, rurſus ad caput ferri incipit: quumque in capite dolor conſtiterit, vehementer urget, & homo ſibi caput diſrumpi arbitratur, & oculi pituita implentur, totumque corpus.

Huic, quum ita habuerit, elaterium, aut thapſiæ radicem, aut veratrum, aut ſcammonii ſuccum propinato: poſt purgationem vero eadem, quæ ſuperioribus, offerto. Si vero hac curatione non ſedetur, ubi lacte craſſum reddi-

deris, ſcapulam dextram inferiorem quatuor cruſtis inurito, coxendicis dextræ acetabulum tribus, inferiores nates duabus, & medium femur duabus, genu ſuperius una, & malleolum ſuperiore parte, una: hic ſi ita uſtus fuerit; neque ſurſum, neque deorſum morbum progredi ſinit. Si vero aliquam in partem dolor affatim, & cum impetu irrumpere viſus fuerit, ſi quidem priuſquam uratur, in crus decubuerit, claudus erit; ſi in caput, ſurdus aut cæcus; ſi vero in veſicam, ſimul cum urina (aliquid) ſanguinis maxime quadraginta dies progreditur; ſed ſi in veſicam irruperit, eadem medicamenta, quæ & urinæ difficultate laboranti, exhibenda ſunt; &, ſi aliqua in parte dolor coacervatus ſteterit, urito. Urendæ vero ſunt carnoſæ quidem partes ferramentis; offeæ vero & nervoſæ, candelarum fungis; ſed ante hæc, iſta facienda ſunt. Si morbi initio acceſſeris, vinum Mendæum album dilutius quam plurimum per diem potui exhibere oportet; & inebrietur, quoad ſanguis e naribus erumpat: quum autem fluere cœperit, ut minimum tredecim diebus fluit: ubi vero hi dies præterierint, non amplius inebrietur, neque ubi ſemel fluere cœperit: in cibo tamen paulo plus vini bibat, ut ſanguis fluat. Jam vero quibusdam ſedato ſanguine in veſicam irrupit, & ſanguis & pus prodiit. Si igitur irruperit, eadem medicamenta, quæ & urinæ difficultate laboranti, exhibeto; & de eodem vino plus propinato. Hic ſi ita curetur, ciboſque per alvum ſubducentes & opſonia aſſumat, citiſſime ſanus evadit. Morbus autem gravis eſt.

CAPUT XX.

De venæ cavæ ſiniſtræ morbo, ſeu defluxione recurrente, ejuſque cauſis, ſignis, & curatione.

ALius a vena ſiniſtra morbus. In reliquis quidem eadem multitudine, quæ etiam prior, patitur; ſed in lienem ſtatim, & per morbi exordia, dolor acutus decumbit. Et, niſi mature animadvertat, priuſquam decubuerit, ſed ad pulmonem (feratur,) lienis capite apprehenſo, quam citiſſime cruſtis octo fungis candelarum inurito; & quocunque alius dolor decubuerit, urito; ſicque confeſtim ſaneſcet. At niſi uſtus fuerit, ſponte autem ſanus evadat, pleriſque poſt duodecim annos rurſus morbus revertitur; ac, ſi lienem occuparit, multis hydropem attulit. Sed confeſtim velut priorem curare, &, ſi videatur, ſane etiam ſimiliter ut priorem inurere oportet, ſi dolor in iiſdem articulis conſtiterit. At niſi ita curatus fuerit, de cætero corruptus moritur: nam morbus gravis eſt.

SECTIO II.

CAPUT XXI.

De pituitæ, ſive cacochymiæ, quibusdam ſpeciebus, ac primum de pituitæ vulgaris curatione; ficus poſtremas evomi.

DE pituita autem eaſdem, quas & de bile, habeo ſententias, ejuſque multas eſſe ſpe-

cies affero. Et hæc quidem vulgaris eft; illa vero recentiffima, cujus etiam facillima eft curatio.

Vomitus enim poft cibum duobus aut tribus diebus inducere oportet, infuperque prandere & quiefcere, fi prioribus diebus femel (in die) cibum fumere, & vehementibus laboribus uti confueverit: alioquin hac victus ratione utatur. Quum vero vomitum inducere voluerit, multa & calida lavetur; & mazam melle & oleo fubactam, & panem exaffatum hefternum edat; hæc enim magis pituitam trahunt. Opfoniis & oleribus acribus utatur; pinguia, dulcia & acida, hæc omnia permixta, idonea affumantur; & oleribus omnibus viridibus utatur; inter epulas vinum dulce, paucum, crebro bibat; in fine placentam, mel & ficus comedat; quumque cœnabit, pocula large ebibat. Quumque jam oppletus fuerit, paululum dormiat; deinde experrectus vini aqua tepida temperati magno epoto poculo, vomat; magis enim pituitam & humorem ex carnibus attrahit, corpufque magis exficcat. Vomat autem, quoad ficus evomuerit: hæ namque poftremæ evomuntur. Hæc quidem eo (die): poftero vero, fefe ad cœnam ufque contineat, & panem cœnet, cui nihil furfurum deceffit; opfonium autem fit ex valentioribus; vinum vero bibat nigrum, aufterum. Hæc igitur vulgaris pituitæ medela eft.

Quod fi comedere & bibere poffit, cibifque delectetur; deinde crura graventur, & color immutatus fuerit; pituitam hunc vexantem in ventriculo effe dicendum. Verum quum fic habuerit, melle, vino dulci, & oleo, nitroque ovilli tali magnitudine, permixtis, ventrem per clyfterem fubluere oportet: hæc enim in clyftere, hominis naturæ mitiffima funt: fuum autem cu-

jusque modum esse oportet, vini quidem heminam, olei heminam dimidiam, & mellis tantumdem. At si alvi infusum nolis, humido fomento admoto, perhumectum hominem reddere oportet: sic enim fortassis quoque stercus subduci poterit. Etenim hæc ex ciborum resiccatione ei contingunt: siquis igitur cibos valde succulentos comedat, ab his fortasse non ita vehementer afficietur; & si quandoque afficiatur, parva curatione indigebit. Hunc, ita si curaveris, citissime sanum reddideris.

CAPUT XXII.

De vetustiore pituita (quæ alba pituita vel leucophlegmatica vocatur, hydropis species) ac de ejus causis, signis, ac curatione.

At si vetustiorem esse pituitam contigerit (hæc autem pituita alba vocatur), his afficitur. Hominem magis gravat, speciemque ab epidemia diversam pallidiorem habere videtur; corpus universum laxo tumore intumescit, facies rubet, os siccum, sitis detinet; &, quum comederit, crebra spiratio contingit. Hic eodem die interdum quidem melius habet, interdum vero derepente dolet, & sibi moriturus videtur.

Huic, si venter quidem sua sponte permotus fuerit, sanitati erit proximus: at si alvus sponte turbata non fuerit, cneoro dato, aut hippophae, grano cnidio, vel Magnesio lapide, purgare oportet; & post purgationem, lenticulæ acetabulum unum sorbendum, vel duo dato: (in lenticula autem allium concoquatur) betæ etiam pinguis

non conditæ acetabulum, polenta ſuper aſperſa dandum: vinum autem bibat nigrum, auſterum & valens. Poſtero vero die mane ſtadia viginti obambulet: at reverſus panem exaſſatum parvum comedat, & opſonium allium coctum habeat, vinique ejuſdem paululum meracius bibat; deinde ſtadia triginta ambulet; quumque tempeſtivum fuerit, quantum prandere conſueverat, cœnet. Pro opſonio potiſſimum quidem pedes ſuillos, aut capita habeat; ſin minus, gallinaceis carnibus, aut ſuillis tritis utatur: piſcibus vero, ſcorpio, aut dracone, aut cuculo, aut callionymo, aut gobio, aut aliis piſcibus, qui ſimilem vim habeant: ex oleribus, aliis ſolis utatur, neque olerum ullo alio: hæc autem quam plurima comedat, tum cruda, tum aſſa, & elixa, ſingulis diebus ſemper plura; & pro ciborum ratione ex parvo plus laboret.

Hic morbus potiſſimum per æſtatem oritur ex aquæ potu, ad hæc etiam ex multo ſomno; judicatur autem triginta diebus, lethalis ſit, nec ne. Tranſactis autem triginta diebus, hæc quidem faciat: per primos autem dies ſorbitionibus, lenticula cocta per acetum acidiore facta, & ptiſana acida utatur: bibat vero aquam mulſam tepidam, modica polenta inſperſa, quo ſane corpus emollitum ſit ad medicamentorum purgantium potionem; & per hoſce dies ſub dio dormiat. Quod, ſi viſum fuerit ſanguinem e lumbis detrahere, cucurbitulam admoveto, & venas in ſcroto craſſiſſimas concidito. Hic ita curatus citiſſime ſanus evadet.

CAPUT

CAPUT XXIII.

De hydrope a cacochymia, seu pituita tenui orto, ejusque signis & curatione.

A Pituita in hydropem maxime hoc modo devenitur. Colliquatur pinguedo, & ab ardore, qui pituitæ inest, in aquam vertitur. At hoc, quis sanari possit, & quis non, cognosces: quamdiu enim quis in imo ventre pinguedinem habet, curari non potest. Sed an pinguedo in imo ventre insit, nec ne, his potissimum dignosces: si sane febres advenerint, & erectus stare nequeat, & umbilicus inflatus foras promineat, pinguedinem non amplius inesse dicito, eumque sanari non posse: (si vero febris non successerit, & erectus stare queat, & umbilicus foras non promineat, pinguedinem inesse, & curari posse asserito.) Huic ventrem siccare confert ; & panem nigrum cibarium dare calidum non pridianum: opsonia vero asini carnes, canis adulti, & ovis, ac suis maxime assatas, & galli assas calidas, polypos etiam vino nigro austero incoctos edat: vinum bibat nigrum quam crassissimum & acerbissimum: piscibus utatur gobio, dracone, callionymo, cuculo, scorpio, & hujusmodi cæteris, elixis omnibus, pridie coctis, & frigidis (hi enim potissimum quam siccissimi sunt) ac in jusculum non immergat, & insulsi pisces sint. Oleribus autem utatur, raphanis & apio: lenticulam vero tostam multo aceto temperatam edat; & interdiu, & a cœna, & mane deambulet, vesperi dormiat, & mane exsurgat. Ac si quidem ab his restituatur, satis est; sin minus, ei cneorum aut hippophaes succum,

aut granum cnidium propinato; & poſt purgationem duas lenticulæ heminas ſuperſorbeat, & parvum panem comedat: vinum autem bibat nigrum, acerbum, modicum. Medicamentum autem bis die, quoad mollis ſit (venter,) bibat. Quod ſi in ſcroto & femoribus, ac tibiis tumor conſtiterit, peracuto ſcalpello multis & crebris vulnuſculis ſcarificato. Hæc ſi feceris, cito ſanum efficies.

CAPUT XXIV.

De hydrope pulmonis aut pectoris, a copioſo aquæ potu, aut tuberculo procreato, ejuſque ſignis & curatione.

HYdrops autem ex his oritur. Quum æſtatis tempore ſiti premente copioſam aquam biberis (quandoquidem inde maxime gigni ſolet) & pulmo expletus fuerit, rurſum in pectus dimittit: quumque in pectore manſerit, vehementem ardorem excitat, ita ut pinguedinem, quæ in arteriis ineſt, liquefaciat: at, ſi ſemel pinguedo multo magis liquefieri cœperit, hydropem brevi efficit. Gignitur etiam, ubi tubercula in pulmone exorta fuerint, & aqua repleta in pectus eruperint. Quod autem etiam a tuberculis oriatur hydrops, mihi argumento ſunt boves, canes, & ſues: in his enim quadrupedibus maxime pulmonis tubercula oriuntur, quæ aquam continent: ſectione namque facta, citiſſime cognoveris, nam aqua effluet. Talia autem multo magis etiam in homine, quam pecoribus, fieri videntur, quanto morboſa magis etiam victus

ratione utimur: plerique vero exortis tuberculis, purulenti etiam facti fuerunt.

Hæc igitur per initia morbo oboriuntur; tussis sicca, & fauces exasperari videntur; & rigor, & febris succedit, & erecta cervice spiratio; corpus extuberat, pedes maxime tument, ungues contrahuntur; &, quamdiu quidem in superiore ventre hydrops fuerit, adest acutus dolor; quum vero ad inferiorem ventrem devenerit, melius habere videtur; deinde progrediente tempore, impleto ventre, eadem, quæ prius, patitur. Interdum vero ad latus intumescit, & qua parte secandum sit, indicat: quod si non indicet, multa calida lotum, humeris comprehensum concutito; deinde, utro in latere magis (materia) fluctuet, auscultato: hoc intellecto, tertiam ab ultima costam ad os usque secato; deinde terebra acuta ulterius perforato; quumque perforata fuerit, aquæ parum educito; quumque eduxeris, lino crudo obtura, & mollem spongiam supra apponito; deinde ne penicillus decidat, deligato. Per duodecim autem dies, semel die aqua educenda; post duodecim vero dies, decimotertio tota aqua educenda; & reliquo tempore, si ab aqua distentio fiat, exhaurienda, venterque cibis resiccandus.

Hæc autem post sectionem exhibenda. Succum silphii drachmæ pondere apparatum, & aristolochiæ tali cervini magnitudine frustulum derasum, & lentium ervique torrefactorum polentam, utriusque purgatæ chœnicis dimidium, hæc melle & aceto subigito; deinde sexaginta trochiscos formato, & unum tritum quotidie, vini nigri austeri quam suavissimi heminæ dimidio diluito; mox jejuno, potui exhibeto: reliquam vero victus rationem & exercitationem eandem, quam

& priori tempore, habere jubeto: &, si pudenda ac femora intumuerint, audacter scarificato. Hunc, si ita curaveris, citissime sanum reddes.

CAPUT XXV.

De hydrope jecoris phlegmonæ œdematosæ succedente, ejusque signis, curatione, & chirurgia.

HYdrops ab hepate. Hydrops ab hepate oritur, quum ad hepar pituita accesserit, eamque hepar exceperit, & humectatum fuerit. Quamprimum igitur ardorem huic præbet, & flatum excitat: deinde vero tempore, aqua impletur: posteaque in corpus morsus incidit, in tibiis & pedibus tumor est; hepar durum (redditur) ac tumet, & claviculæ extenuantur.

Huic, quum ita habuerit, per morbi exordia, si hepar doluerit, origanum tritum, & laserpitii succum ervi quantitate, in vini albi hemina dimidia macerata, potui exhibeto; & lactis caprini poculum quatuor heminarum, tertia aquæ mulsæ admixta parte. Primis autem decem diebus cibis abstineat: hi namque morbum, lethalis sit, nec ne, dijudicant: ptisanæ autem cremorem melle affuso coctum sorbeat: vinum vero album Mendæum, aut aliud suavissimum aquosum bibat. Quum autem dies decem præterierint, cibos puros assumat, & pro opsonio galli carnes assas calidas habeat; sed habeat catulinas etiam coctas; pisce vero galeo & torpedine assatis utatur: vinum autem idem bibat. Ac

ſi quidem ab his (remediis) deſierit, ſatis eſt: ſin minus, ubi certe ipſe craſſiſſimus evaſerit, & hepar maximum, fungis candelarum inurito; ſic enim citiſſime ſanum reddideris: octo autem cruſtis inurere oportet.

CAPUT XXVI.

De hydrope aſcite ab hepate aqua in ventrem erumpente, ejuſque curatione.

AT ſi hydrops innaſcatur, & in ventrem erumpat; iisdem medicamentis, & potibus, & cibis, & exercitationibus, quibus priores, curato; vinum vero auſterum nigrum bibat. Quod ſi ab hepate decedere tibi videatur, ubi apparuerit, ferramento inurito, & aquam paulatim educito, velutque reliquos priores curato. Si vero ex his non convaleſcat, tempore contabeſcens moritur: morbus enim gravis eſt, & pauci hunc effugiunt.

CAPUT XXVII.

De lienis inflammatione, & huic ſuccedente hydrope, ejuſque cauſis, ſignis, & curatione.

HYdrops a liene. At hydrops a liene hoc modo, & ab hac potiſſimum cauſa oritur; quum autumnus eſt, & ipſe comederit ficus, multas, virides, & poma: plerique vero

jam etiam a multo racemorum cibo, & musto copioso, in morbum inciderunt.

Si quis igitur in morbum collapsurus est, confestim in doloribus jacet: acuti namque dolores in liene consistunt, & ad humerum, claviculam, mammam ac ilia transeunt, & febres vehementes detinent; venterque, etiamsi parum quid comederit, impletur, lien attollitur, & dolorem præbet. Hic morbus si diuturnus fuerit, reliquo quidem tempore minus dolet: quum vero pomorum tempus aderit, eaque comederit, magis quam antea dolet.

Hunc ita habentem per exordia curato, veratro supra exhibito, infra vero cneoro, aut hippophaes succo, aut grano cnidio, & lacte asinino ad heminas octo, melle affuso. Quod si quidem ab his restituatur, satis est: sin minus, ubi lien maximus fuerit, & maxime intumuerit, capitibus multis apprehensis, candelarum fungis inurito, aut ferramentis, cum multa cautione, & observatione, ne ulterius peruras. Hæc per morbi exordia facito, istamque victus rationem adhibeto, si febris non detineat; pane quidem utatur triticeo tosto, aut ex duro tritico, bis cocto: opsonium salsamentum Gaditanum, aut saperdam habeat, & carnem ovillam tritam, acida & salsa omnia comedat; vinumque austerum Coum quam nigerrimum bibat: dulcibus vero abstineat. Quod si exsurgat validusque sit, summis humeris luctetur, & interdiu multis circuitibus exerceatur, ac ea quæ dicta sunt, in cibum sumat. Quod si supervenerit hydrops, per eadem & iisdem, sicut etiam priores, curato.

CAPUT XXVIII.

De hydrope universali ab itinere, & aquæ statariæ potu orto, ejusque signis ac curatione.

HYdrops universalis. Hic hydrops ab his oritur. Quum quis per æstatis tempus ex longo viæ itinere in aquam pluviam & statariam inciderit, eamque avide copiosam biberit: si igitur carnes aquam ebiberint, & in se continuerint, nusquam autem secessus fiat, hæc contingunt. Si sane in carne fuerit, ardorem ventri & corpori exhibet, proindeque pinguedo ventrem ambiens colliquescit. Hic interea sane si incedat, nihil mali habere videtur; quum autem ab incessu cessarit, solque occiderit, confestim multum laborem exhibet. Progrediente vero morbo, admodum extenuatur; sique etiam cibi inappetentia succedat, multo magis extenuatur. Quod si cibos quidem edere possit, exerceri autem nequeat, amplius etiam læditur; horum plerisque tumor etiam toto corpore excitatur. Et extenuato quidem color lividus fit, & venter magnus, sitis vehemens detinet; viscera vero ejus præ calore inflammantur: temporis vero progressu ad edendum quidem promptus est, & quicquid quis exhibuerit, comedit, & bibit, nihilque dolet. Quod si tumor detineat, ejus color pallidus fit, venæque nigræ crebræ per corpus distenduntur; ex re quavis irascitur & tristitia afficitur, quamvis novi nihil accedat; venter autem perhumidus & magnus, ac (pellucet) velut laterna; & procedente tempore cibos non admittit; sed videntur ipsi cucumerem agrestem olere præ fastidio.

Huic, quum ſic habuerit, cneori, aut hippophaes ſuccum, aut granum cnidium exhibeto: hæc vero medicamenta ſic exhibere oportet: cneorum quidem ſexto die, hippophaes vero ſuccum octavo, & granum cnidium decimo: eaque dare oportet, quoad expurgetur & vacuatione mollis ſit. Intermediis vero diebus eadem, quæ prior, in cibo ſumat: potiſſimum vero ejus aquæ, ex qua morbus corripuit, quamplurimum propinato, quo ejus ventrem turbet, & multum dejiciat: ſic enim maxime ſanum facies. Quod ſi tibi videatur crebro etiam clyſtere opus eſſe, ex cneoro trito ad dimidiam heminam, mellis tertia heminæ parte admixta, & betæ ſucco ad quartam heminæ partem diluto; deinde ſic clyſtere ſubluito; & lactis aſinini cocti poſtero die affuſo melle octo heminas exhibeto, aut injecto ſale propinato. Poſt purgationem iiſdem, quibus etiam prior, utatur; & interjectis diebus cibos, & potus eoſdem adhibeat, ſimileſque deambulationes. Hic ſic curatus, brevi hoc morbo liberabitur, intra tertium aut ſextum menſem: quod ſi negligentia aliqua contigerit, neque ſtatim curatus fuerit, cito moritur. Extenuatus quoque iisdem ad curationem uti debet: prius autem ejus corpus fomentis præhumectare oportet, quo magis medicamentis obſequatur. Verum cito curatio adhibenda; ſin minus, pleriſque morbus conſeneſcit. Ex his autem clyſteres parandi ſunt, utricumque morborum (mederi) volueris. Vini albi heminas duas ſumito, mellis heminam dimidiam, olei heminam dimidiam, nitri Ægyptii torrefacti quadrantem, & ſucci foliorum cucumeris agreſtis tuſorum & expreſſorum heminam: his omnibus mixtis, in ollulam aliquam infuſis & fervefactis, ſic per infuſum ſubluito.

CAPUT XXIX.

De morbo hepatico ab atra bile, seu de hepatis inflammatione scirrhosa, ejusque causis, signis, & curatione.

MOrbus hepaticus. Hic morbus oritur ab atra bile, quum ad hepar confluxerit: adoritur autem potissimum autumno, in anni mutationibus.

His autem afficitur ægrotus. Dolor ipsi acutus ad hepar incidit, & sub postremas costas, & ad humerum, & ad jugulum, & sub mammam, vehemensque suffocatio detinet: interdum etiam bilem lividam evomit; & rigor, & febris primis diebus imbecillior tenet, dum tangitur, hepar dolet, illius color est sublividus; eumque cibi, quos antea comedebat, strangulant, & in ventrem irruentes incendunt, & tormina excitant. Hæc quidem per exordia patitur: at procedente morbo, tum febres remittunt, tum a paucis cibis impletur, & in hepate solus dolor remanet; isque interdum quidem vehemens, interdum minor & interquiescens: quandoque vero acutus invadit, ac sæpe derepente (æger) animam afflavit.

Huic confert, quum dolor detinet tum alia, tum sane fomenta eadem quæ pleuritidi, admovere: quum autem dolor remiserit, ipsum multa calida lavato, & aquam mulsam & vinum album dulce, aut austerum, utrumcunque conduxerit, propinato, easdemque sorbitiones quas pleuritide correpto. Ad dolorem autem hæc potui exhibenda: vitellum ovi gallinacei cocti tritum, succi solani heminæ dimidium, tum aquæ mulsæ semi-

heminæ dimidium: hæc commixta potui exhibeto, & dolorem ſedabunt: quotidie autem exhibenda, quoad ceſſaverit dolor. Silphii etiam ſuccum ervi quantitate, & origanum tritum vino albo dilutum, eodem modo jejunus bibat: medicamenta vero etiam, quæ in pleuritide doloris gratia exhibentur, ſuperbibat: ſed & lac caprinum, tertia mellis parte admixta bibat; ſint autem lactis heminæ quatuor: hoc mane bibat, quum alia non biberit. A cibis autem abſtineat, quoad morbus judicatus fuerit; judicatur vero maxime diebus ſeptem: in his enim lethalis ſit, necne, manifeſtum fit. Quod ſi etiam ſuffocatio urgeat; hæc, uti revomat, exhibere oportet; mel, aquam, acetum & ſales; hæc mixta in ollulam novam infunde; poſtea tepefacta, & origani capitati ramulis cum ſemine agitata, tepida ebibenda dato: deinde veſtibus injectis, donec maxime exſudet, contectum ſinito; quumque vomitus prehenderit, levi penna proritatus alacriter vomat: at ſi vomere nequeat, aquæ mulſæ tepidæ duarum heminarum poculo inſuper epoto, ſic vomat: &, ſi quid bilis aut pituitæ evomuerit, rurſus idem poſt horas quatuor faciendum, proderit enim. Poſt morbi autem judicationem, paucis cibis puris exhibitis curato: & ſi quidem panem edere conſueverit, panem calidum & quam maxime purum edat: ſi vero mazam, (vino dulci) non ſubactam comedat, antea tamen ſubactam. Pro opſonio carnes catelli elixas habeat, aut columbi, aut pulli gallinacei, iiſque omnibus elixis utatur: piſcibus vero, galeo, torpedine, paſtinaca, & parvulis batidibus, omnibus elixis. Lavet autem ſingulis diebus, frigus vitet, & parum obambulet, quoad in tuto ſit. Hæc ſane ſi obſerventur, haud metus eſt, rur-

ſus morbum reverti: hujuſmodi enim morbus moleſtus eſt, ac diuturnus.

CAPUT XXX.

De hepatico morbo, ſeu hepatis eryſipelate, aut phlegmone eryſipelatoſa, ejuſque cauſis, ſignis, & curatione.

ALius hepaticus morbus. Dolores quidem eodem modo ad hepar urgent; & color a priore differt, malicorio namque eſt ſimilis. Oboritur autem potiſſimum morbus æſtatis tempore: oritur vero a carnis bubulæ eſu, & ebrietate: hæc enim omnia iſto anni tempore jecori ſunt infeſtiſſima, & bilem maxime ad hepar adducunt. His ſane afficitur. Dolores acuti ingruunt, neque hora ulla deſerunt, ſed ſemper magis urgent. Interdum etiam bilem pallidam vomit; & ubi vomuerit, paulo meliuſcule habere videtur: quod ſi non evomuerit, bilis ad oculos pervenit, & admodum pallidi fiunt, pedeſque tument. Hæc interdum quidem vehementer, interdum vero levius patitur: quum autem dies præterierint, in quibus morbus judicatur, ac dolor factus ſit mitior, ſi nihil peccatum fuerit; eandem quam prius, victus rationem inſtituere oportet: nam ſi intempeſtive inebriatus fuerit, aut venere uſus ſit, aut quid aliud minime commodum fecerit; ipſi confeſtim hepar durum evadit, & tumet, & præ dolore pulſat; ac ſi qua in re feſtinarit, derepente hepar, totumque corpus dolet.

Huic, quum ſic habuerit, primique dies præterierint, fomentum admoveto; deinde ſcammo-

nio ſubpurgato. Quod ſi venter incenſus fuerit, clyſtere proluendus, qui probe ducat, ex iiſdem, quibus & in prioribus uſus es: ac poſt clyſterem lacte aſinino cocto ad heminas octo ſubpurga; melle autem affuſo propina. Lactis etiam caprini poculum quatuor heminarum menſura, aquæ mulſæ triente commixto, mane exhibeto: lactis quoque caprini cocti heminas duas dato, aquæ mulſæ tertia parte admixta, aut ſolo melle affuſo: lac etiam equinum eodem, quo aſininum, modo exhibeto. Quod ſi his curatus morbus ceſſerit, ſatis eſt: ſin minus, internam dextri cubiti venam ſecato, & ſanguinem emittito. Si vero id tibi viſum non fuerit, lacte aſinino aut bubuli lactis crudi heminas duas, tertia mulſæ parte admixta, ſingulis diebus ad dies decem dato; deinde aliis duodecim diebus, aquæ mulſæ ſextante affuſo, potui exhibeto. De cætero vero, lac ipſum ad duas heminas, donec pinguior evaſerit, exhibendum. At ſi neque ſic ſedetur, quum hepar maximum fuerit, maximeque prominuerit, inurere oportet: ure autem buxeis fuſis oleo fervente intinctis, eoſque donec recte habuerit, uſtioque perfecta fuerit, admoveto: aut fungis candelarum octo cruſtas inurito. Si enim uſtio ſucceſſerit, ſanum reddes, ac reliquo tempore facilius deget; at ſi uſtio minime ſucceſſerit, de cætero per alia remedia non convaleſcens, contabeſcit & moritur.



CAPUT XXXI.

De tertia hepatitide ex bilis translatione ab hepate ad cerebrum, ejusque signis, & curatione.

ALia hepatitis. Cætera quidem multitudine eadem, quæ prioribus, contingunt: color vero niger est. Bilis autem hepatis, pituita & sanguini referta, velut ratiocinamur, erumpit; quumque eruperit, citissime insanit, indignatur, & stulta loquitur, & ut canis latrat; & hujus ungues puniceo sunt colore; oculis cernere non potest; pili capitis erecti stant; & febris acuta invadit.

Huic eadem, quæ prioribus, adhibere oportet; plerique vero intra undecim dies moriuntur; paucique evadunt.

CAPUT XXXII.

De primo lienis morbo, seu lienis intemperie calida cum bile, aut phegmone erysipelatosa; ejusque symptomatibus, signis, & curatione.

LIenis morbus primus. Gignitur autem ejusmodi morbus, bile solis calore commota, quum bilem ad se lien traxerit.

Hæc igitur patitur. Febris acuta per initia succedit; progrediente vero morbo remittit, præterquam circa lienem ipsum; semper autem hic calor perstat; dolorque acutus per intervalla tum in ilia tum in ventrem incidit. Cibos autem

per exordia quidem admittit, non autem admodum ſecedunt: procedente vero morbo, color pallidus evadit, dolor vehemens ingruit, & claviculæ extenuantur, neque cibos, velut per initia, facile admittit, & paucis impletur. Lien autem interdum eodem die magnus, & interdum minor evadit.

Huic, quum ſic habuerit, veratrum bibendum dato, tuncque grano cnidio ſubter purgato: poſt purgationem autem veſperi lenticulæ acidioris heminam ſorbendam exhibeto, & betarum mollium heminam, polenta inſperſa. Poſtero vero & tertio die, parvum panem dato; pro opſonio, lenticula utatur; & carne ſuilla contuſa cum lenticula cocta: vinum auſterum, nigrum, paulo meracius bibat; & per hoſce dies quietem agat; tamen intus in umbra paululum obambulet. Reliquo vero tempore hæc exhibere oportet; in cibo quidem panem cibarium; pro opſonio carnem canis majuſculi, aut capræ, aut oviculæ tuſam habeat, & ſalſamentum Gaditanum, aut ſaperdam, acidaque & ſalſa omnia, acerbaque exhibeantur: vinum Coum, ſubaſtringens, quam nigerrimum bibat; dulcibus, pinguibus, & nidoroſis abſtineat; ſilphium minime exhibeatur, neque allia, neque caro porcina, neque mugil, neque recens, neque ſale conditus, neque anguilla, neque olus ullum coctum ſine aceto. Ex crudis eduliis, radicula & apio aceto intinctis utatur, polentam edat vino ſubactam; & vinum meracum ſorbeat: quod ſi velit, panem etiam in vino intritum, calidum comedat: ex piſcibus vero ſcorpium, draconem, cuculum, gobium, callionymum, eoſque elixos & frigidos exhibeto. Dato etiam ſingulis diebus, quæ lienem attenuare valent, aſphodeli ſemen, aut viſci folia, aut

fœnum græcum, aut viticis femen, aut rutam, aut menthæ radicem: ex his quod volueris, tritum, in vini aufteri hemina, jejuno exhibeto. Quod fi validus fuerit, triginta diebus ipfum ligna fecare cogito: fummis quoque humeris luctetur, interdiu obambulet; vefperi dormiat, mane vero furgat; & quæ dicta funt, his vefcatur. At fi ne his quidem meliufcule habeat, lienem candelarum fungis, quum maximus lien & fublatus maxime fuerit, decem magnis cruftis inurito: fi enim, ut decet, uftio fucceflerit, fanum reddes in brevi. Hic autem morbus curatione indiget; gravis enim eft & diuturnus; nifi confeftim curatio adhibita fuerit.

CAPUT XXXIII.

De fecundo lienis morbo, aut lienis phlegmone fcirrhofa, ac ejus fymptomatibus, fignis; & curatione.

ALius lienis morbus. Ab iifdem quidem, a quibus & prior, oritur: his vero ab hoc morbo afficitur: venter inflatur; poftea vero lien tumet, durus eft, & dolores acuti in lienem incidunt: color autem immutatur, & niger videtur, fubpallidus malicorii inftar; ex aure male olet; & gingivæ male olent, eæque a dentibus decedunt; & in tibiis ulcera, qualia puftulæ nocturnæ, erumpunt; membra extenuantur; neque ftercus per alvum dejicitur.

Hunc, quum ita habuerit, iifdem medicamentis, ac eduliis, & potu, exercitationeque, ac reliquis omnibus curato; quumque fæces non dejiciuntur, his alvum fubluito: mellis heminæ dimidium, & nitri Ægyptii tanto quanto ovillus talus,

hæc ex betarum coctarum aqua ad quatuor heminas terito & diluito; deinde hoc infuso subluito. Quod si his morbus non sedetur, ejus lienem velut prioris, inurito; &, si ustio successerit, sanum efficies.

CAPUT XXXIV.

De tertio lienis morbo, aut inflammatione a peculiari plethora, ejusque symptomatibus, signis, & curatione.

ALius lienis morbus. Quavis quidem anni tempestate; sed maxime verna, atque a sanguine oritur. Quum enim sanguine lien repletus fuerit, in ventrem erumpit; & in lienem dolores acuti, in mammam, jugulum, humerum, & sub scapulam irruunt: color autem corporis plumbeus, leves cutis lacerationes in tibiis habet, & ex iis magna ulcera oriuntur. Et quæ primum per inferiora secedunt, cruenta sunt, & æruginosa; venter durus subit, & lien tanquam lapis est. Hic morbus superioribus magis lethalis est, ex eoque pauci evadunt.

Hunc, quum ita affectus fuerit, iisdem quibus priorem curato, sed medicamentum sursum purgans ne dederis: deorsum vero cocco cnidio purgato: postero die quoque lactis equini cocti heminas octo, melle affuso (exhibeto): sin minus, lacti bubulo aut caprino cocto ad duos congios, melle in altero poculo affuso, & alternatim bibere oportet. Sub vesperum vero post purgationem eadem, quæ priori, exhibeto post medicamentum; sique visum fuerit, sanguinem ex interiore sinistri cubiti vena detrahito. Per reliquos

quos autem dies jejuno ſingulis diebus lactis bubuli quatuor heminas, tertia muriæ parte admixta, exhibeto. Cibis autem, potibus, & reliquis aliis, iiſdem, quibus priorem, curato: tum hic, tum ſuperiores, venere & vinolentia abſtineant. Quod, ſi tibi viſum fuerit, etiam cum craſſiſſimus & maximus lien evaſerit, inurito. Et, ſi opportune uſtio ſucceſſerit, ſanum efficies: at ſi ſub hac curatione non convaleſcat, tempore contabeſcens moritur; nam admodum gravis eſt morbus.

CAPUT XXXV.

De quarto lienis morbo, vel tumore a pituita orto, ejuſque ſignis, & curatione.

ALius lienis morbus. Hic etiam morbus vere potiſſimum contingit, quum lien in ſe pituitam exceperit, ſtatimque tumidus & durus evaſerit; deinde rurſus ſubſidit. Et, quum quidem ſublatus fuerit, dolores acuti incidunt; quum vero mollis eſt, abeſt dolor: quumque morbus inveteraverit, obſcurior eſſe videtur, & aſſurgit, celeriterque deprimitur. Hic, quum ſic habuerit, per morbi exordia cibos admittere non poteſt, & cito extenuatur, magnaque intemperie corpus afficitur. Morbus autem niſi ſtatim curatus, aut ſua ſponte ſedatus fuerit, quinque aut ſex intermiſſis menſibus rurſus exſurgit, per hiemem autem præcipue intermittit.

Hunc ſi per exordia curandum ſumpſeris, de-

cem cruſtis ad lienem inurito, ſtatimque ſanum reddes: quod ſi non uſſeris, iisdem medicamentis, & eduliis, & potibus, ac laboribus, quibus ſuperiores, curato: ſic enim celerrime ſanum reddideris. Hujus autem color exalbidus, nunc ſubpallidus, nunc ſquallidus eſt.

CAPUT XXXVI.

De quinto lienis morbo, inflammatione in ſcirrhum mutata, ejuſque cauſis, & curatione.

ALius lienis morbus. Ab atra bile potiſſimum autumno oritur: fit autem ex olerum eſu, quæ cruda comeduntur, & aquæ potu.

His igitur afficitur, ubi morbus prehenderit; lien valde dolet, & rigor & febris invadit, cibi inappetentia detinet, totumque corpus celeriter concidit. Lien autem magnus quidem admodum non evadit, ſed durus, & ad viſcera prolabitur, adjacenſque (humores) ſugit.

Hunc, quum ita habuerit, iisdem tum medicamentis, tum eduliis, tum potibus, tum laboribus, quibus etiam ſuperiores, curato. Ac ſi (ſe) tibi commiſerit, eum, quo alios, modo inurito. Hic morbus in pleriſque, ſi confeſtim curatus fuerit, cito decedit.

CAPUT XXXVII.

De ictero primo, a bile æstate commota orto; ejusque signis, & curatione.

ICteri quatuor. Primus quidem æstate maxime corripit, a bile commota: bilis igitur sub cute & in capite colligitur, proindeque statim corpus colorem immutat, pallidumque ceu malicorium evadit; oculi pallidi sunt, & sub pilis capitis velut lanugo subest; & rigor & febris prehendit; urinam mejit pallidam, in eaque crassum subpallidum subsidet; mane quamdiu jejunus fuerit, ad os ventriculi & viscera strepitus editur; &, si quis eum adloquatur, aut interroget, ægre fert, ac tristatur, neque audire sustinet. Stercus autem progrediens, ex pallido albicat, & male olet: hic, quum ita habuerit, intra dies quatuordecim potissimum moritur: si vero hos effugerit, convalescit.

Eum autem ita curare oportet: quum febris remiserit, multa calida loto aquam mulsam propinato, & sorbitionibus utatur, ptisanæ cremore melle affuso (atque mel ne concoquas) quoad quatuordecim dies præterierint; hi namque, lethalis sit, necne, decernunt. Postea autem bis die lavato, & in cibo exhibeto primum pauca, quæcunque maxime admiserit; deinde tamen plura porrigito: vinum album quamplurimum interdiu bibat; &, si procedente tempore pallidus ac imbecillus tibi videatur, a cibis vomitum fieri, velut in superioribus morbis habetur, jubeto. Quod si his quidem sedetur, satis est; sin minus, veratrum propinato: post ejusmodi vero purgationem, vesperi mazam mol-

lem, aut panis medullam comedat: pro opſonio pullum edat gallinaceum percoctum, cum cepa, coriandro, caſeo, ſale, ſeſamo, & uva paſſa alba probe elixum: vinum autem album, auſterum, quam vetuſtiſſimum bibat: alvumque inferiorem ſubpurgato. Poſtero die, cicerum alborum cremore, melle affuſo, utatur, taliſque ſucci heminas duas ebibat. Tertio vero die, ſingulis diebus hanc aquam, ex his decoctam, bibere incipiat: fœniculi radices tenues, quantum pugillo, aut tribus digitis comprehenditur, in duos aquæ congios immittito, & coquito, dum dimidium remaneat: & cicerum alborum chœnicem in duobus (aquæ) congiis, de quo dimidium bibat: hæc quum remanſerint, colata ſub dio exponito, & ambobus permixtis, vinum hac aqua diluat, & bibat; & aquam ipſam ſolam, ſi velit, quam plurimam potet, nec aliam aquam bibat. Quod ſi potum iſtum averſetur, hunc ita paratum exhibeto. Caricarum albarum chœnicem duobus congiis decoctam colato, & ſub dio exponito; deinde aquam hanc ſolam, ſi velit, aut vino mixtam bibat; eam vero non confertim multam bibat, ſed per intervalla dimidiam heminam, ut alvi perfluvium ei ne superveniat; parvoque interpoſito tempore, bibat. Optima vero & hæc quotidie jejuno potui exhibita, trita & vini albi veteris hemina diluta; apii ſemen, cucumeris ſemen, fœniculi ſemen, cuminum Æthiopicum, adiantum, coriandrum herba, uvæ paſſæ albæ. Hæc & illa ſi biberit, juvabitur, celerrimeque ſanus evadet.

CAPUT XXXVIII.

De ictero secundo, hieme tum ab ebrietate & rigore, tum a bile per suppressionem coacervata orto, ejusque causis, signis, & curatione.

ALius icterus. Hic hiemis tempore ex temulentia & frigore invadit: primum autem invadere incipit rigor; deinde etiam febris detinet; & corporis humidum sub cute concrescit: ex his autem rem se ita habere proditur. Ejus corpus lividum est, & subdurum; & quæ venæ per corpus distenduntur, sunt pallidæ, majores & crassiores quam antea; quædam etiam subnigræ subtenduntur. Ex his aliquam si quis secuerit, sanguis defluet pallidus, si pallidæ sint venæ; si vero nigræ fuerint, niger sanguis defluet. Et vestem corpori adjacentem præ pruritu ferre non potest; hic ad eundum & ambulandum promptus est, sed præ imbecillitate ejus crura titubant; & vehementer sitit. Hic morbus superiore non minus lethalis est, in longius autem tempus progreditur, nisi primis septem diebus sanescat: quod si morbus producatur, & ad octavum aut nonum diem extendatur, in lectum incidit, morbusque & dolor magis urget, neque exsurgere potest, & plerique intra hoc tempus confestim pereunt.

Huic, quum sic habuerit, si ad eum initio morbi accesseris, ubi septem jam dies præterierint, veratrum propinato: inferiorem vero alvum (cicerum alborum) succo, velut in superiore (morbo), subpurgato, aliaque eadem medicamenta exhibeto: cantharidas etiam sine alis

& capite tritas quatuor, & ex vini albi hemina dimidia dilutas exhibeto; jam vero etiam pauco melle affuſo, mox ita propinato; idque bis aut ter in die bibat. Procedente autem morbo, balneis & fomentis curato. Quæcunque vero expetit, edat; vinum album, auſterum bibat; reliquaque eadem offerantur, quæ & priori. Hic morbus, niſi probe per initia curatus fuerit, diuturnus eſt & moleſtus.

CAPUT XXXIX.

De tertio ictero epidemio, ab hepatis obſtructione ex ſatietate & ebrietate, orto; ejuſque ſignis, & curatione.

ALius icterus. Hic popularis vocatur, quod omni tempeſtate prehendat: a ſatietate autem & temulentia potiſſimum oritur; & poſtquam riguerit, quamprimum ſane corpus immutatur, & pallidum evadit, & oculi admodum pallidi; ſub capillos & ungues illabitur morbus; & rigor & febris levis detinet, corpus debilitatur, caput dolor occupat, pallidamque & craſſam urinam reddit. Hic icterus ſuperioribus minus lethalis eſt, & curatus brevi ſanatur.

Huic, quum ſic habuerit, cubiti venas incidito, & ſanguinem detrahito: deinde fotu admoto, elaterium propinato: tertio vero die, aſinino lacte rurſus deorſum aliquantum purgato. Reliquas autem ſorbitiones, potus, & cibos eoſdem, quos & priori, exhibeto; ejus caput crebro purgato, & rupicis (juſculum) bibat, eumque multa calida lavato; & deraſas rupicis

carnes ex vino albo propinato; & ad reliqua omnia iisdem utatur, & brevi convalescet.

CAPUT XL.

De quarto ictero, hyberno, a pituita orto; ejusque signis, & curatione.

ALius icterus. A pituita quidem oritur; præcipueque per hiemem invadit: hujus color albus est; ejusque pectus pituita plenum est, & salivam multam exspuit; quumque exscreat, ei singultus contingit; & urinam albam & crassam reddit, in cujus imo velut farina subsidet. Hic icterus minime est lethalis, brevique sanescit.

Huic, quum ita habuerit, granum Cnidium propinato; postque purgationem, cremoris ptisanæ quatuor heminas, affuso melle sorbendas exhibeto: ventrem vero superiorem per vomitum, velut in superioribus, purgato: sic enim facillime pituitam ex pulmone & arteriis eduxerit: & gargarismum ei frequenter apparato. Hic aliquando levi febre febricitat, & horror tenuis oboritur. De cætero, iisdem, quibus superiores icteros, tum medicamentis, tum fomentis, tum balneis, eduliis, potibus, ac sorbitionibus curato: sic enim potissimum sanum efficies.

SECTIO III.

CAPUT XLI.

De typho primo, a bile per corpus commota cum ſentiendi, movendique impotentia; ejuſque ſymptomatibus, & curatione.

MOrbus, qui typhus vocatur. Typhus quidem appellatur hic morbus; invadit autem æſtatis tempore, quum canis ſidus oritur, bile per corpus agitata. Statim igitur eum febres vehementes corripiunt, & acutus ardor, & a gravitate imbecillitas, crurumque ac manuum impotentia, quæ nullum ei uſum præſtant, venter perturbatur, & quæ dejiciuntur, graviter olent, vehementiaque tormina ſuccedunt. His etiam afficitur; ſi quis eum erigere velit, rectus ſtare nequit, neque oculis intueri præ ardore; &, ſi quis ipſum interroget, præ dolore reſpondere non poteſt. Quum vero interiturus eſt, tum acutius cernit, tum audacter loquitur; & potum & cibum poſtulat; &, ſi quis cibum exhibuerit, brevi etiam, niſi evomuerit, animam emittit. Huic morbus ſeptem aut quatuordecim diebus judicatur: multi vero etiam ad viginti quatuor perveniunt: hos igitur, ſi effugerit, convaleſcet; his enim diebus, lethalis ſit, necne, declaratur.

Hunc ita ſe habentem ita curato. Primis diebus balneo quidem abſtineat; vino autem & oleo tepido in cubili illinito: cibis abſtineat; ſorbitiones autem tenues & frigidas exhibeto. Vinum autem, ſi ipſi conferat, nigrum, auſterum

bibat; ſin minus, album, aquoſum, auſterum: quod ſi vehemens ſitis ex ardore urgeat, ubi conſertim potum multum exhibueris, vomere jubeto, idque bis aut ter facito. Quumque ardor tenuerit, attrita lintea frigidæ immerſa, qua præcipue parte ardere ſe dixerit, admoveto: at ſi horror corpus detinuerit, refrigerantia remittito. Hic, quum laboraverit, maxime periclitabitur, ne ex hujuſmodi dolore derepente animam emittat: verum ei ad dolorem eadem medicamenta, quæ pleuritide laboranti, ſtudioſe exhibenda ſunt. Quum vero ſurrexerit, cibo, potu, & balneis quam citiſſime recreandus eſt: morbus enim gravis eſt, paucique evadunt.

CAPUT XLII.

De typho ſecundo, a ſuperflua corporis humiditate, ejuſque cauſis, ſignis & curatione.

ALius typhus. Morbus quidem omni anni tempeſtate invadit: ob corporis autem humiditatem oritur, quum cibos humidos & copioſum potum carnes exſorbuerint, & madidæ factæ ſint; ab his potiſſimum morbus generatur.

Per exordia igitur febris tertiana aut quartana exoriri incipit, dolor vehemens capiti inſidet, & interdum in corpore, ſed intermittit; & ſalivam evomit, crebro ructat, & oculorum regiones dolet; vultus (ut apua) exalbeſcit, ad pedes tumor delabitur, interdum vero etiam totum corpus tumet; & ad pectus & dorſum aliquando dolor excurrit: venter turbatur; oculis acriter

intuetur; ſputum copioſum & ſpumoſum exſpuit, quod faucibus adhæreſcere videtur, ipſaſque exaſperat, plerumque vero etiam fauces inflammantur. Hic, quum ſic habuerit, ſicque dolor preſſerit, eique vehemens erectæ cervicis ſpiratio inciderit; interdum, frequenterque, derepente intra ſeptem aut quatuordecim dies præ dolore animam emittit: plerique vero etiam ad vigeſimum quartum perdurant. Sæpe quoque derepente morbus remittit, & ſanus eſſe videtur: verum diligenter cavere oportet, quoad quatuor & viginti dies præterierint; hos enim ſi effugerit, vix moritur.

Huic, quum ita habuerit, primis diebus ſorbitio, farina elixa, tenui melle affuſo, exhibenda eſt: vinum vero nigrum paulatim potui dandum, prout voluerit, temperatum. At cibos, priuſquam hi dies præterierint, ne porrigito: polypos ex vino coctos edendos dato; & jus ſorbendum; radiculaſque multas comedendas. Et naſturtii ſemen toſtum, molitum, & tenuiter cribratum; deinde in vinum nigrum, auſterum injiciens cum tenui, modica polenta mane bibendum dato. Balneo abſtineat, quoad hi dies præterierint: vino & oleo tepefactis, in cubili illine, & abſterge: ac pæoniæ ſeminis grana decem ex vino nigro decocta potui exhibeto: & raporum probe decoctorum juſculum ſorbeat, caſeo inſulſo conditum, papavere, ſale, oleo, ſilphio, & aceto. Quod ſi medicamentum propinare velis, granum Cnidium propinato: & poſt purgationem, farinæ coctæ, & pinguis duas heminas ſorbendas dato, idemque vinum bibat. Huic medicamenta, ſorbitiones, & potiones, quaſcunque dederis, ſive ſingula per ſe, ſive plura ſimul exhibueris, profuerint; ſicque citiſſime

ſanum reddideris. Morbus autem gravis eſt, paucique effugiunt.

CAPUT XLIII.

De tertio typho ex bilis putrefactæ, ſanguini permixtæ, in venas & articulos decubitu, orto, unde motionis difficultas; ac de ejus cauſis, ſignis, & curatione.

ALius typhus. Hic quidem hanc ob cauſam gignitur; quum bilis putrefacta ſanguini per venas & articulos permixta fuerit, quum ſanguis ſteterit; in articulis autem præcipue conſiſtit; quandoque etiam in reliquum corpus univerſum decumbit, doloreſque acutos exhibet. Plerique etiam ex hujuſmodi morbo claudi evadunt, quum bilis in articulis intercepta in tofum obduruerit; dolor vero intermittens per tres & quatuor dies invadit.

Hunc, quum ita affectus fuerit, ſic curato. Dolore in corpore exſuperante, fotus tepentes, oleo prius illito, parare & admovere oportet. Quum autem remiſerit, veratrum ipſi exhibeto, fotu prius univerſo corpori admoto. Poſtero autem die ſerum lactis caprini decoctum ad duos congios potui exhibeto, ad alterum congium melle affuſo, ad alterum vero ſale injecto; deinde viciſſim alternatis poculis bibat, donec totum ebibat. Sub veſperum vero poſt purgationem, lenticulæ heminam ſorbeat, & betarum pinguium heminam, polenta aſperſa, bibat: pulli gallinacei carnem, aut columbæ, aut turturis, aut oviculæ, aut ſuis, pinguem edat: veratrum autem ſexto quoque die exhibeto. Et ſicubi in

articulis tumor exoriatur, nec abſcedere queat; admota cucurbitula ſanguinem detrahito, compunctis ferri cuſpide triangulari vicinis genu partibus, & genibus, in quibus tumor exſtiterit; nullum tamen alium articulum compungas. Intermediis autem diebus cibum ſumat, panem quidem maxime aſſatum, mazam autem quam maxime melle & oleo ſubactam: ſed opſonium habeat potiſſimum volucrem aſſatam nullo ſale conditam; ſin minus, etiam cum jure coctam, abſque caſeo tamen, ſeſamo, & ſale. At piſcibus utatur maxime carnoſis, aſſis tamen, ad eundem modum, quo carnes, coctis, origano conſperſo & oleo ſubunctis. Vinum autem ſi conferat, album bibat; ſin ſecus, nigrum; & per circuitus interdiu poſt cœnam & mane ſe exerceat: ſerum autem & lac pro tempore ſemper bibat: quod ſi tibi viſum fuerit, etiam aſininum lac decoctum exhibeto. Et, ſi ſanus evaſerit, a frigore & æſtu ſibi caveat, neque cibis admodum repleatur; periculum enim eſt, ne rurſus morbus revertatur. Sic igitur curatus hic morbus, ſex menſibus ſanatur: tot enim menſium intervallo, lethalis ſit, necne, judicatur; qui etiamſi confeſtim curetur, moleſtus tamen eſt, & plerifque commoritur.

CAPUT XLIV.

De quarto typho ex ſuperflua humiditate a fructuum aut placentæ eſu genita, facto, ejuſque ſignis, prognoſticis, & curatione.

ALius typhus. Oritur quidem hic morbus fructuum autumnalium tempore, quum

quis se omni genere fructuum expleverit: plerisque vero inde etiam ejusmodi morbus oritur; ex inexplebili placentarum ex sesamo, aliorumque ex melle dulciariorum esu. Mel enim coctum æstuosum est, & ventriculo adhæret; deinde, quum in ventriculo coctum fuerit, effervescit; venterque derepente attollitur, incenditur, & disrumpi videtur. Postea vero diarrhœa continuo succedit; quumque semel (alvus) fluere cœperit, multos dies purgatur, multique post hanc purgationem sani evaserunt.

Quum igitur sponte purgari cessaverit, lentium cremoris, injecto sale, tres semicongios ipsum ebibere cogito. Post succi autem purgationem, sub vesperum, lenticulæ frigidæ insulsæ heminam, multo silphio incocto sorbeat, & betæ non conditæ, pinguis, polenta aspersa, heminam. Vinum nigrum austerum paulatim bibat. Reliquo autem tempore eadem faciat, & cibos assumat, panem exassatum, & mazam quam maxime melle & oleo subactam. Primis autem diebus farinam coctam & melle affuso refrigeratam comedat: vinum bibat nigrum, austerum: quoad sedatus fuerit morbus, hæc assumat.

Qui vero ob autumnalium fructuum esum morbo correptus est, flatum habet, ac tormina, & dolorem; neque cibaria dejici queunt, venterque ei magnus & durus est, & rigor, & febris detinet. Huic, si sponte quidem venter turbatus fuerit, viginti (ut minimum) diebus purgatur, quumque purgatio cessaverit, confestim sanus evadet. At si minime purgatus fuerit, eum hippophaes succo, aut grano Cnidio purgato: sub vesperum autem eadem ac illi, qui sponte purgatur, exhibeto. Postridie vero si febris detineat, quietem agat; eique vinum idem ex aqua

frigidissima bibendum dato: quod si febris minime detineat, victu utatur non humido, sed validiore; & ciborum ratione habita, deambulet. Ab hoc morbo plerisque jam hydrops obortus est: &, si clystere opus esse tibi visum fuerit, iisdem quibus in hydropico, alvum subluito. Quod si volueris, ex his clysterem parato. Thapsiam herbam in aquæ mulsæ hemina incoquito; deinde sic (paratum) clysterem injicito. Hic, ita curatus, citissime sanus evadet.

CAPUT XLV.

De quinto typho, a corporis putrida humiditate, & ab atra bile genito; ejusque caussis, signis, & curatione.

ALius typhus. Gignitur quidem hic morbus, quum corporis humores putruerint, & plus æquo resiccati sint. Quum igitur morbo corripitur, fit specie humidus, subpallidus, pellucidus, & vesicæ urinæ similis apparet, sed non tumet; verum tenuis est, aridus, ac debilis: maxime vero in corpore claviculæ extenuantur; & vultu vehementer gracilis est, oculique admodum cavi. Hæc quidem a morbo patitur; quod si corporis color niger exstiterit, hæ autem caussæ sunt. Quum in venas & sub cutem bilis atra subierit, quumque his calor supervenerit, venulas a calore exuri & siccari necesse est, ac proinde sanguinem per venulas excedere.

Hic igitur his afficitur. Tenuis & admodum gracilis evadit; oculis raro nictatur, & muscas a stragulis venatur; & ciborum magis edax est,

quam quum ſanus eſt; lucernæ extinctæ odore delectatur; frequenter noctu ſe polluit; plerumque vero incedenti ipſi ſemen effunditur.

Huic, quum ſic habuerit, ventrem, ſuperiorem videlicet veratro nigro purgato; inferiorem vero ſcammonii ſucco. At poſt purgationem, eadem quæ & cæteris dato, & ſerum, lacque bubulum, aut caprinum, tempore exhibeto: lac etiam aſininum decoctum ad purgationem dato. Hic, ita curatus, intra biennium maxime ſanus evadit. Cibos quos velit, accipiat; quam plurimum comedat, & pro ciborum ratione obambulet. Hic morbus non viginti annis majorem prehendit; quumque prehenderit, niſi per exordia morbi curatus fuerit, non deſerit, priusquam viginti anni prætericrint, ſed perſeverat; deinde a nonnullis, dum curantur, abſcedit. Gravis autem morbus eſt.

CAPUT XLVI.

De ileo primo, laxo, a craſſis, lentis, & frigidis humoribus, citra inflammationem, & dejectionum ſuppreſſionem, tenuia inteſtina non omnino obſtruentibus, orto: ejusque cauſis, ſignis, & curatione.

CONvolvuli appellantur hi morbi: ab his autem potiſſimum oriuntur; ſi quis calida & humida victus ratione per hiemem utatur, neque ciborum ratione ducta obambulationibus ſe exerceat, verum expletus dormiat; deinde derepente longum iter per frigus conficere cogatur; poſtea ſub oſſibus riguerit.

Hæc ſane patitur: flatus in univerſo corpore oboritur, ejusque color fit plumbeus; & perpetuo riget, adeo ut calida ei affuſa, minime calida eſſe videatur. Corpus autem ejus dum lavatur, ſub calida deſquamatur, præſertim vero ſcrotum; ſique digito corporis partem aliquam comprimas, impreſſionem facies, & tibi veſtigium apparebit, velut in farina aqua ſubacta; maxime autem in pedibus cavitas imprimitur. Ejus autem crura gravantur, &, ſi deambulet, tremunt; ſique per arduum locum iter faciat, vehementer ſpirat, & ulnæ ſuſpendi videntur; ſitis per noctem detinet, cibosque, quoscunque comedit, crudos dejicit.

Huic, ita affecto, fotu ipſi admoto, cneorum, aut hippophaes ſuccum, aut granum Cnidium propinato: poſt purgationem autem eadem, quæ & ſuperioribus, dato. At poſtridie lactis aſinini cocti congium, ſale injecto, bis ebibendum dato: ſub veſperum autem panem in cœna ſumat; opſonium habeat oviculæ carnes elixas, & polypos in vino nigro coctos, juſculumque ſorbeat, lenticulamque ſic apparatam habeat. Lentis heminam coctæ, probe terito; poſtea farinam commiſceto, & ſilphium deraſum & ſalem injicito, acetum infundito, & ad hæc allia ſimul coquito; deinde aqua affuſa, bis aut ter fervefacito, & ſimul ipſa tudicula agitato; poſtea detracta (tudicula) elixetur ſorbitio; ſit autem non valde craſſa, cuique boni odoris gratia pulegium (ſimul) coctum injectum ſit. Interjectis autem diebus ſexto quoque die vomitus excitet; per intervalla tamen ante vomitum & medicamenti potionem fomentum admovere oportet. Tertio quoque die balneum, ſi conferat, adhibeatur; ſin minus, inungatur; & ſi poſſit, pro cibo-

ciborum ratione deambulationibus utatur; & sambuci folia, conyzæque semper tenellæ decocta, edenda dato: sic enim curatus facillime deget; morbusque post annum deseret.

Multis vero jam sanatis, iterum post biennium morbus reversus est: verum si redeat, eadem curatione curare oportet. Quod si tertio revertatur, tumor quidem non contingit; tenuis tamen & gracilis evadit, & facies extenuari incipit, colorque fit exalbidus magis, quam antea. Huic interdum hydrops in ventre subnascitur: si igitur exortus fuerit, eum minime secare oportet: moritur enim; sed iisdem remediis curare, quibus a liene hydrope laborantem. Hunc maxime quidem per initia curare velis; sicque celeriter sanum reddes: morbus autem multa curatione indiget; est enim gravis.

CAPUT XLVII.

De secundo ileo icterico & bilioso, ex multi humoris biliosi collectione tenuia intestina obstruente facto, ejusque caussis, signis, & curatione.

ALius ileus auriginosus. Hic maxime æstatis tempore, in palustribus locis invadit; ex aquæ autem potione magis: plerique vero etiam sub sole versati capitis dolore affecti, ejusmodi jam (morbo) correpti sunt.

Verum prioribus similia patiuntur, colore excepto: etenim hic fit pallidus ut malicorium, & oculi interdum auriginoso colore implentur.

Hunc, quum sic habuerit, iisdem, quibus superiorem, curare oportet. Cicerum etiam albo-

rum aqua decocta potui exhibenda, & vino mixto propinanda est, ejusque caput tetragono (medicamento) purgandum. Hic superiore minus lethalis; convolvulus autem auriginosus nuncupatur.

CAPUT XLVIII.

De tertio ileo hæmatite, vel cum hæmorrhagia, ejusque caussis, signis, ac curatione.

ILeus sanguineus. Cætera quidem copia eadem, quæ prioribus, contingunt: morbus autem autumno oriri incipit, in eoque morbo hæc accidunt. Ore male olet, & a dentibus gingivæ abscedunt, & ex naribus sanguis effluit: interdum vero ex cruribus ulcera erumpunt, & hæc quidem sanescunt, alia vero exoriuntur; color niger est, cutis tenuis; ad deambulationem & exercitationem (haud) promptus est.

Hunc, quum ita habuerit, iisdem quibus superiores curato, & ex his alvum subluito. Cucumeris agrestis folia quinque tenuiter terito, & mellis heminam dimidiam admisceto, & salis quantum una manu comprehenderis, itemque olei heminam dimidiam, & betarum coctarum succi heminas quatuor. Dato etiam ad purgationem per inferiora lactis asinini cocti heminas octo, melle affuso; & (lac) bubulum, si tempus ferat, quadraginta diebus bibat. Mane quoque lactis bubuli heminas duas bibat, tertia aquæ mulsæ parte etiam interpositis diebus admixta. Hic morbus multa curatione indiget; alioqui non decedit, sed cum homine commoritur: vocatur autem convolvulus sanguineus.

CAPUT XLIX.

De primo pachyſmo, aut craſſa ventris mole ex pituitæ & bilis collectione, vel defluxione, orta; ejusque cauſis, ſignis, & curatione.

MOrbi, qui craſſi vocantur. Ex craſſis morbis nuncupatis, hæc præcipue oriuntur. Quum pituita & bilis in corpore mixta fuerint, in ventrem defluunt, ac ubi in ventre collecta ſint, attolluntur, ſurſumque ac deorſum velut unda decurrunt; rigor & febris prehendit, dolor in capite conſiſtit; quumque ad viſcera dolor pervenerit, ſuffocationem parit. Interdum pituitam acidam, quandoque etiam ſalſam vomit; quumque evomuerit, os ei amarum eſſe videtur. Latera rubor occupat; quippe quum pituita in ventre maneat, ſanguis calore coacervatus ad latera fertur; & in lateribus rubores excitat, coſtasque calor maxime vexat, ipſique dorſum incurvatur. Quumque maxime dolet, corporis contactum non ſuſtinet; dolet enim tanquam ab ulcere, carnes præ dolore palpitant, teſtesque contrahuntur, & ad ſedem, ac veſicam calor quidam, & dolor irrumpit, craſſamque urinam, qualem hydrope laborantes, reddit; capilli ex capite defluunt, crura & pedes ſemper frigidi ſunt, dolor maxime latera, dorſum, & cervicem premit, eique ad cutem aliquid adrepere videtur. Morbus autem interdum quidem urget; interdum vero remittit: at procedente morbo, aſſidue magis urget, cutisque capitis craſſa & rubra evadit. Hic ad ſex quidem annos hoc modo affectus perdurat; deinde ſudor copioſus & graveolens effunditur; crebro vero per

ſomnum ſemen ejicit, illiusque ſemen genitale ſubcruentum exit, & ſublividum. Hic morbus ex ſolis calore, & aquæ potione oritur.

Hunc igitur, quum ſic habuerit, cneoro exhibito ſubpurgato, aut grano Cnidio, aut hippophaes ſucco. Dato etiam lactis aſinini cocti octo heminas, melle affuſo: poſtera die poſt purgationem eadem, quæ aliis, exhibeto. Primis autem diebus eadem, quæ hydrope detentus, in cibo accipiat; & ſi poſſit, obambulationibus ſe exerceat: quod ſi non poſſit ob febres, neque cibos comedere queat, lenticulæ ſorbitione utatur, & in potu vino nigro quam maxime auſtero. Hic morbus autumno præcipue & autumnalium fructuum tempore invadit. Hic, ſi non intra ſex annos curatus fuerit, ad usque decem annos perſeverat; plerisque vero, niſi quamprimum curatus fuerit, commoritur.

CAPUT L.

De ſecundo pachyſmo, aut craſſa hepatis mole a bile, quæ jecoris inflammatio eſt; ejusque cauſis, ſignis, & curatione.

Alius morbus craſſus. Craſſi autem hujusmodi morbi a bile fiunt, quum ad hepar confluxerit, & in capite ſedem habuerit.

His certe afficitur. Jecur tumet, & præ tumore ad ſeptum transverſum expanditur, ſtatimque dolor in caput: præcipue vero in tempora irruit, neque auribus acute audit; ſæpe vero & oculis non videt, horrorque & febris invadit. Hæc quidem per morbi initia ipſi contingunt,

& interdum valde quidem, interdum etiam minus intermittunt; quo vero tempus longius morbo processerit, eo & labor corporis major, oculorum pupillæ dissipantur, & cæcutit, sique digitum ad oculos admoveris, non percipit, quod non videat; hoc autem cognoveris eum non videre, quod admoto digito non nictet; & floccos ex vestibus avellit; si quos videat, pediculos esse ratus: quumque hepar ad septum transversum magis expassum fuerit, delirat, eique ante oculos reptilia & cujusvis generis variæ feræ apparere videntur, & milites pugnantes, cum quibus ipse pugnare videtur, & tanquam pugnas & bella videat, talia loquitur; irruit, & nisi quis eum exire sinat, minatur, sique surrexerit, crura attollere non potest, sed decidit. Ejus pedes semper sunt frigidi; quum dormit, a somno exsilit, & terretur, quum insomnia horrenda viderit: eum autem a somniis exsilire, ex eo cognoscimus; terretur, & quum ad mentem redierit, insomnia enarrat, quæ corpore gesserit, & quæ lingua loquutus sit. Hæc quidem sic patitur: interdum vero per totum diem ac noctem voce captus jacet, multum spiritum confertum respirant: quum autem delirare desierit, statim e vestigio ad mentem redit; &, si quis eum roget, recte respondet, & quæ dicuntur, omnia intelligit; deinde rursus paulo post in iisdem doloribus decumbit. Hic morbus maxime in peregrinatione accidit, & sicubi desertas vias peragrantem ipsum ex viso spectro terror corripuerit: sed & alio modo prehendit.

Huic, quum sic habuerit, veratri nigri pondus obolorum quinque propinato; sed ex vino dulci propinato: aut ei ex his clysterem injicito: nitrum Ægyptium ad tali ovilli quantitatem lævi-

ter terito, & mellis optimi decocti heminam dimidiam in pila admifceto, & olei heminam dimidiam, & ex betis coctis aquæ quatuor heminas, per noctem fub dio expofitas; quod fi velis, pro betæ (decocto) lac afininum coctum admifceto; eaque permixta, febris detineat necne, per infufum immittito. Sorbitionibus, ptifana cocta, melle affufo, utatur. Mel autem, & aquam, & acetum fimul permixta bibat, quoad morbus judicatus fuerit. Judicatur autem quatuordecim ad fummum diebus, lethalis fit, necne.

Multis vero jam fedatus ejusmodi morbus, rurfum reverfus eft. Si igitur redierit, periculum eft, ne æger confumptus pereat: judicatur autem morbus feptem diebus, lethalis fit, necne; fed fi hos effugerit, fere non moritur, fed in multis curatus decedit.

Quum vero ceffaverit morbus, optima victus ratione utatur, fenfim adjiciens, quæ ventriculus fufcipiat, neque exurantur, neque alvi profluvium fuperveniat: utrumque enim periculofum effe videtur. Lavetur autem quotidie, & poft cibos moderate obambulet; veftem vero levem as mollem induat; & lac ac ferum per dies quinque & quadraginta bibat. Hæc, fi fecerit, citiffime fanus evadet: morbus autem gravis eft, multaque cura indiget.

CAPUT LI.

De tertio pachyfmo, feu craffo crurum tumore a pituita putri orto; ejusque fignis, & curatione.

ALius craffus morbus. Fit autem a pituita putrefacta: id vero, unde oritur, putridum

esse, hinc manifestum est; eructat (enim) ab eo, quod odorem habet, qualem qui radiculas ederit. Ejusmodi morbus a cruribus oriri incipit; deinde ab his ad ventrem adscendit; quumque in ventre constiterit, rursus ad viscera recurrit; &, ubi in his constiterit, strepit, & vomitum ciet, simul pituitam acidam subputrem evomit; quam, quum vomuerit, sibi non constat (æger;) deinde anxietudo est circa viscera, interdumque acutus dolor repente capiti adhærescit; & auribus acute audire non potest, neque oculis præ gravitate videre; sudor etiam multus, graveolens effunditur, præsertim quum dolor detinet, morbique remissionem facit. Color autem ipsius auriginosus est. Hic morbus priore paulo minus lethalis est.

Huic, quum ita habuerit, ventrem inferiorem per hippophaes purgato, superiorem vero per veratrum; caputque tetragono purgato; quumque per veratrum purgatus fuerit, postridie lacte asinino cocto purgato; tertio autem die caprino cocto: eodemque sane modo quarto, & quinto; at reliquis viginti diebus lac bubulum crudum, sive etiam caprinum dato, tertia aquæ mulsæ parte admixta: sed lactis congium bibat. Post inferiorem autem purgationem, eadem quæ hydrope detentis, medicamenta porrigito. Reliquo tempore quum lac bibit, cœnet panem exassatum; opsonium vero habeat, ex piscibus quidem scorpium, aut callionymum, aut cuculum, aut squatinæ frustum cum condimentis coctum; ex carnibus vero ovilles, aut pullos gallinaceos, eosque coctos. Vinum bibat album, si conferat; sin minus, nigrum austerum; deinde obambulet, postquam comederit, ita ut non frigescat. Huic igitur prædictos cibos, si conferant, exhi-

beto; si vero non conferant, sorbitiones ptisanæ, & milii. In hoc morbo si triginta dies æger præterierit, sanus evadit: hi enim, lethalis sit necne, decernunt. Est autem gravis morbus.

CAPUT LII.

De quarto pachysmo ex alba pituita in alvo collecto, ejusque curatione.

ALius crassus morbus. Hic morbus a pituita alba gignitur; in ventre vero colligitur, ubi febres diuturnæ corpus occuparint. Hic morbus initium sumit a facie, & facies tumet; deinde ad ventrem descendit, quo quum pervenerit, ventrem in magnitudinem attollit, corpusque velut ab exercitatione fessum, succumbit, & in ventre pondus est, & dolor vehemens, & pedes intumescunt. Quod si pluvia in terram effusa fuerit, pulveris odorem non sustinet: si vero in pluvia forte constiterit, & terræ odorem senserit, derepente concidit. Hic morbus, quum intermittit, diuturniorique tempore quam prior occupat, & tardius solvitur.

Eum autem iisdem quibus & hydropicum, curare oportet; fomentis videlicet, medicamentis, cibariis, & exercitationibus.

Hic morbus per sex annos maxime detinet; deinde probe curatus tempore decedit, etiamsi per exordia curatus non fuerit. Hic morbus molestus, multamque curam postulat.

CAPUT LIII.

De quadruplici ischiade, arida, biliosa, pituitosa, & sanguinea, ac de cujusque caussis, signis, & curatione.

DE ischiade. Ischias autem ab his caussis potissimum multis oritur; si quis per multum tempus in sole iter fecerit, & coxendices incaluerint, & humor, qui articulis inest, a calore fuerit resiccatus: quod autem resiccetur, & concrescat, hoc magnum signum est: æger enim articulos præ dolore articulorum vertere aut movere non potest, & eo quod verticula compacta sunt. Dolor vero lumbos potissimum obsidet, & vertebras, quæ ad coxendices ex obliquo sitæ sunt, & genua: in inguinibus autem, simulque coxendicibus, dolor acutus & æstuosus plurimo tempore insistit; & si quis eum erigat, aut magnopere moveat, præ dolore quantum potest plurimum ejulat: interdum vero & convulsio, & rigor, & febris supervenit. Fit autem a bile & pituita, oritur quoque etiam a sanguine dolor consimilis, velut ab omnibus morbis, rigorque, & febris lenis interdum prehendit.

Sed eum, qui hoc morbo a sole correptus est, hoc modo curare oportet. Corpus ejus admoto fotu humectandum, & cibi ac potus, & quæ cætera exhibentur, tepida ac humida: eaque omnia cocta exhibenda. Pane autem, ac maza utatur molli, non subacta: vinum vero bibat album, aquosum; & corpore quietem agat, etiamsi exsurgere queat; parum tamen quotidie obambulet; neque frigeat; neque multum lavet. Quumque tibi probe habere, corpusque humectum esse videbitur, leni fomento multum fo-

veto, magis enim relaxat, & quod in articulis concretum eſt, perhumectat. Poſtero deinde die granum Cnidium propinato: quod ſi non juverit, hæc per clyſterem huic injicere oportet; cumini triti heminam dimidiam, colocynthidem non diſſectam, parvam & rotundam, in pila contuſam, & tenuiſſime tritam, & nitri Ægyptii rubri, toſti & lævigati minæ quadrantem; hæc mixta in ollam conjicito, & olei heminam affundito, mellis heminam dimidiam, vini albi dulcis heminam, & ſucci betæ duas heminas; hæc quoad probam craſſitudinem habere tibi videantur, coquito: deinde his per linteum excolatis, mellis Attici heminam admiſceto; ſi mel ſimul coquere nolis: quod ſi Atticum non habeas, (mellis) optimi cocti heminam in pila admiſceto: ſi vero infuſum craſſius fuerit, de eodem vino habita craſſitudinis ratione affundito; eoque clyſtere alvum ſubluito. Deinde ſinere oportet ad tres dies usque purgari: quod ſi pluribus diebus purgetur, lactis bubuli aut caprini heminas tres ebibendas dato; poſtea betas pingues inſulſas, condimentis adſperſis, comedendas præbeto.

Ex hoc morbo multi claudi evaſerunt.

At vero ſi a bile morbus fiat, veratrum deorſum purgans, aut ſcammonii ſuccum ei propinato: poſt ejusmodi vero purgationem, ſucci ptiſanæ melle affuſo heminas duas ſorbendas dato: poſtero autem aut tertio die, admoto fotu, lacte aſinino cocto ſubpurgato: ſub veſperum betæ pinguis heminas duas, polenta adſperſa, comedat: vinum album, aquoſum, dulce, & nunc, & poſt medicamenti purgationem bibat.

Si vero a pituita ægrotet, ei granum Cnidium, aut hippophaen, poſt admotum fotum propinato: poſt purgationem autem easdem ſorbitiones,

& potus, & lactis potionem exhibere oportet. Interjectis vero diebus quam leviſſimo victu utatur. Et, ſi quidem ab his juvetur, (ſat eſt;) ſin minus, ipſum multis & altis cruſtis, in oſſeis quidem partibus per candelarum fungos: in carnoſis vero per ferramenta inurito.

At ſi a ſanguine ægrotarit, admoto fotu, & cucurbitulam admoveto, & venas in poplite ſecato: ſi vero tibi videatur, granum quoque Cnidium ei propinato. Quam ſicciſſima autem victus ratione utatur: vinum quidem potius ne bibat; ſed ſi ſane bibere velit, quam minimum & dilutiſſimum dato; & modicum obambulare jubeto; aut ſi poſſit, plurimum.

A pituita etiam ægrotanti eadem facere confert. Quod ſi ſtare nequeat, eum creberrime in lecto circumvertere oportet, quacunque ex cauſa ægrotet, & per omnia ſimiliter, ut ne intus cartilago coaleſcat; ſi vero coaluerit, & articuli obriguerint, omnino hominem claudum fieri neceſſe eſt.

Et, ſi a ſanguine ægrotanti velis alvum ſubluere, quo ſanguinem & pituitam a coxendicibus revoces; ex his infuſum parare oportet: ſalis pugillo trito, olei heminam, & de hordei decocto heminas duas admiſceto; deinde ſic infuſum injicito. Ita curatum citiſſime ſanum reddideris: morbus autem moleſtus admodum, ac diuturnus eſt.

CAPUT LIV.

De tetano; ejusque causis, signis, & curatione.

TEtani tres. Si quidem ex vulnere tetanus (aut distentio) fiat, his afficitur. Maxillæ rigent, & os diducere nequit, oculique lachrymantur ac contrahuntur, & dorsum rigidum est, neque crura, neque manus, neque spinam inflectere potest: quum vero lethalis fuerit, potus & cibi, quos devoravit, interdum per nares redeunt.

Hunc, quum sic habuerit, fovere oportet, & pingui inunctum eminus ad ignem calefacere, & fomenta tepida, inuncto corpore, admovere. Et absinthium, aut lauri folia, aut hyoscyami semen tritum, & thus; deine vino albo macerata, in ollam novam infundito; deinde vino per oleum affundito; quibus calefactis, multo calido corpus & caput ungito. Postea in solio reclinatum, sursum spina conversa, vestibus albis, mollibus & puris contegito, ut vehementer exsudet. Aquam vero mulsam tepidam, si eam quidem bibere possit, per os exhibeto; si vero non possit, per nares infundito. Vinum denique album, quam suavissimum & copiosissimum potui dato. Hæc quotidie facienda sunt, donec sanus evadat: morbus autem gravis est, & cita curatione indiget.

CAPUT LV.

De opisthotono, ejusque signis, & curatione.

OPisthotonus. Opisthotono alia quidem eadem oboriuntur: fit autem quum posterioribus cervicis tendinibus ægrotaverit. Ægrotat autem aut ab angina, aut ab uva, aut locis ad tonsillas suppuratis; interdum vero etiam a capite febribus obortis, convulsio succedit; quinetiam & a vulneribus. Hic in posteriora trahitur, & præ dolore dorsum immotum est, & pectus protuberat, ac lamentatur. Hic vehementer convellitur, vix ut quidem adstantes eum contineant, ne e cubili excidat. Hic sæpius quidem interdiu laborat; frequenter etiam levius degit.

Huic sic affecto, eadem quæ priori, sunt exhibenda: hic vero morbus ut longissime ad dies quadraginta detinet, si vero hos effugerit, convalescit.

CAPUT LVI.

De tetano ab exteriore causa potissimum facto, ejusque signis, & curatione.

ALius tetanus. Hic tetanus minus, quam priores, lethalis est: ab iisdem autem oritur: plerique vero & ex casu in posteriora, in hunc morbum inciderunt.

His sane afficitur æger. Corpus totum convellitur; interdum vero ad quamcunque corporis partem sorte contigerit, ea convellitur. Et

primum quidem circum obambulat: deinde ſucceſſu temporis in lectum decidit, rurſusque dolor & convulſio remittit; quumque ſurrexerit, ſi forte paucos dies huc & illuc oberraverit, poſtea rurſus iisdem vexatur doloribus. Atque hæc patitur, multoque tempore has ſubit mutationes: ſi quid comederit, id non niſi ægre & exuſtum per inferiora ſecedit; ſed ad pectus cibus defertur, & ſuffocationem excitat.

Hunc, ſi eodem, quo priores, modo curaveris, citiſſime ſanum reddideris: infuſum ex ptiſanæ coctæ cremore cum melle, in alvum injicito.

FINIS TOMI SECUNDI.

ERRATA.

Pag. 3. lin. 10. *ſecutum*, lege ſolutum.

Pag. 41. lin. 5. *mucedine*, lege raucedine.

Pag. 103. Præf. lin. 6. *ſexu*, lege ſitu.

Pag. 216. lin. 1. *inter*, lege intern.

Pag. 401. Præf. lin. 15. *minus*, lege nimis.





